DE ORDINE DEQUE PRIORI ET POSTERIORI LIBER. AD VARIAS ET CELEBRES...

Claude Tiphaine, cardinale Pallau

Digitized by Google

VITT. EMANUELE

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

46 46
E D
23 9

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE
ORDINE
DEQVE
PRIORI ET POSTERIORI
LIBER.

AD VARIAS ET CELEBRES Theologiæ & Philoſophiæ quæſtiones enodandas.

P. Claudio Tiphano S.J.
Authore N. N. Doctore Theologo.

Bibl. Secr. ex leg.
Coll. Rom. S.J. Card. Pallav.

REMIS,
Apud FRANCISCVM BERNARD, Illuſtriſſ. Archiepiſc. Ducis Rem. Typog. ſub ſigno Griphi aurei.

M. DC. XL.

Cum Approbatione.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

AVGVSTISSIMÆ
COELI ET TERRÆ
REGINÆ
SACRO-SANCTÆ
VIRGINI DEIPARÆ
MARIÆ
D. D.

SECVNDVS *hic*, BEATISSIMA VIRGO, *ingenioli mei partus de Ordine, nulli potiùs, quàm tibi debetur à me, qui primum Filio tuo aliquot ante annos jurè dedicaui. Nempe tu ab illo & ſanctitatis gratiâ, & excellentiâ poteſtatis, & beneficiorum erga nos mortales magnitudine, ſecunda es ordine, nulli aliàs ſecunda. Tu ab increata*

Digitized by Google

Prouerb. 8. *Sapientia totius Ordinis primâ origine ſic* ab æterno es ordinata, *vt ejuſdem fieres, & chariſſima filia,*
Luca 1. *& genitrix amantiſſima. Tu illa,* cui fecit adeo magna; qui potens eſt, *vt diuinarum opum, chariſmatumque cœleſtium plus vna poſſideas, quàm cæteri vnâ omnes à bonorum omnium largitore Deo vel vnquam acceperint, vel aliquando ſint accepturi. Tu illa præter omnem rerum ordinem facta Deo Virgo,* in qua charitatem *cinctam reliquarum*
Cantic. 2. *virtutum choro* tam ſapienter ordinauit *Spiritus Sanctus, vt nulla vnquam vel leuiſſimi peccati inordinatio animum tuum à ſanctitatis norma deflexerit. Ne illa quidem humani generis lues, quæ Adami poſteros naturali propagine procreatos miſerandum in modum depaſcitur, vlla ex parte violauit animæ tuæ integritatem. Ut enim aureus annulus in catenula ferreis anſulis innexus, manet omnis expers rubiginis, quam hæ omnes mutuo tactu contrahunt: ſic aurea anima tua in tota hominum ſerie ab originis labe prorſus immunis fuit. Tu Regina Cœli ſublimis in ſolio cunctis Angelorum ordinibus im-*
Apocal. 12. *peras. Tu illa* Mulier amicta Sole, pedibus Lunam calcans, Stellarum duodecim *longè lateque micantium admirabili ordine coronata, quæ Beatorum omnium oculos, animoſque in te defixos*
Cantic. 6. *tenes. Tu* terribilis vt caſtrorum acies ordinata

inſenſiſſimos Dei, noſtrique generis hoſtes, tenebrarum principes, minaci vultu adeo terres, vt præcipites inordinatâ fugâ turmatim trudant ſe ſe in cæcum inferorum carcerem, vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. *Tu denique lectiſſima Spiritus Sancti ſponſa, Eccleſiam Filij tui ſponſam, omneſque in ea ſapientiſſimè inſtitutos ordines conſilio regis, curâ foues, ac ſingulari beneuolentiâ complecteris. Quibus beneficijs tuis maximè gaudet ille, in quem me tua materna pietas induxit, & hactenus in eo benignè amanterque conſeruauit. Accipe igitur,* VIRGO SANCTISSIMA, *hoc munuſculum amoris erga te mei, & gratitudinis monimentum. Tu fac illud, obſecro, & protectione tua tutum, & legentibus nec inutile, nec ingratum.* Iob 10.

Digitized by Google

LECTORI CANDIDO ET ERVDITO.

DVO te, Amice Lector, Libellum hunc ſumentem in manus, aperientem, & legere parantem ipſo in limine præmonitum velim. Primum exiguum quidem illum eſſe mole, ſi rerum, quas tractat, amplitudinem, & quæſtionum, quas continet, varietatem, difficultatem, celebritatemque conſideres: non propterea tamen deſpiciendum, ſtatimque abjiciendum. Sic enim à me confectus, & editus eſt, tùm vt tibi in eo comparando ſumptus, in legendo jactura temporis minor eſſet, ac ſarcina leuior in ferendo: tum quòd breuitati, quæ intelligentiæ, & memoriæ amiciſſima eſt, ſtudere voluerim. Libros namque ex mole, vel nouitate æſtimare, Librariorum eſt, non doctorum hominum. Quocirca neque varios in quaque controuerſia dicendi modos fingere, ac refellere; neque multos vt plurimùm Authores pro ſententijs, quas in medium adduco, recenſere; neque ex SS. Patribus, aut ex Doctoribus Theologis plurima loca corrogare, & cumulare placuit, præſertim cùm id non pauci jam abundè præſtiterint, nec deſint qui cum laude facturi ſint.

Volvi præterea ratione priùs agere, quàm authoritate. Cùm enim, vt ait Auguſtinus, *ad diſcendum du-*

Digitized by Google

pliciter ducamur, authoritate, & ratione: tempore authoritas, re autem ratio prior eſt, bonorumque authoritas imperitæ multitudini videtur ſalubrior, ratio vero aptior eruditis. Quanquam nec omnino deſint huic meo Libro lectiſſima ex Antiquioribus Patribus, & probatiſſimis omnium calculo DD. Theologis teſtimonia, quippe *in Antiquis eſt ſapientia.* Quo altiùs cadit lapis, eò ferit vehementiùs: ſic antiquior authoritas mentem magis premit, vrgetque fortiùs. Præterquam quòd ex ipſis fontibus purior ſemper eſt hauſtus, quàm ex riuulis. Fallit plurimos illud Ægidij Romani, *quod poſteriores exiſtentes ſuper humeros priorum longiùs vident, quàm priores. Nam ſi nanus eſſet ſuper humerum gigantis, longiùs videret quàm gigas:* Cùm nec ingenij acumine, nec judicij bonitate, nec doctrinæ laude Recentiores ſemper ſint Veteribus pares, nedum ſuperiores, & poſteriores ſuis jam anticipatis præpediti opinionibus, quod à prioribus veriùs & rectiùs ſcriptum eſt, non rarò prætermittant. Atque vt ſimilitudinem claudicare videas, ſi quid nani luminibus officeret, aut ſi obtuſa ei eſſet oculorum acies, is etiam ex montis editiſſimi apice non cerneret longiùs, quàm oculatiſſimus gigas ex ipſis montis radicibus.

Lib. 1. de Ordine cap. 9.

Iob 12.

In 2 diſt 31. q. 1. a 3.

Alterum eſt, me hoc in opere diſputantem de Scientia media, & prædeterminatione, id ſenſiſſe difficultatis, quod expertum ſe fuiſſe commemorat Ariſtoteles, cùm in Platonis Ideas ſibi diſputandum eſſet. Amici enim ſunt, à quibus me diſſentire cogit, & authoritas, & argumentorum vis. Verùm amicitiâ potior, & antiquior debet eſſe veritas, *Rectiuſque*, ait idem Philoſophus, *& oportere videretur, vt pro veritatis ſalute vnuſquiſque, & præſertim Philoſophi, ſua quo-*

Lib. 1. Ethic. c. 6.

Digitized by Google

que propria refutarent. Nam licet amici ambo ſint, ſanctum eſt veritatem ipſis in honore anteponere.

NEQVE verò Patres Dominicani omnes pro qualitate prædeterminante, neque Patres Societatis IESV omnes pro Scientia media pugnant; nec verum eſt, quod ſcribit Didacus Aluarez, hos ex regulis & ſtudiorum ſuorum Ordine aſtringi ad Scientiæ mediæ defenſionem.

Lib. vlt. Reſponſ. cap. 1.

SED neque opinionum diſſenſio pugnat cum amicitia. Siquidem vt docet S. Doctor, *Ad amicitiam non pertinet concordia in opinionibus, ſed concordia in bonis conferentibus ad vitam, & præcipue in magnis: quia diſſentire in aliquibus paruis, quaſi videtur non eſſe diſſenſus: & propter hoc nihil prohibet aliquos charitatem habentes in opiniooibus diſſentire.*

2. 2. q. 29. a. 3. ad 2.

CÆTERVM quoniam, vt ait Auguſtinus, *minus malum eſt, indoctum eſſe, quàm indocilem*, non ita inſident animo quas complexus ſum opiniones, quin ab eis facilè me deduci patiar validioribus, ſi cui occurrant, argumentis. Quin magnam ille inibit à me gratiam, qui ea in medium produxerit, *Tantumque abeſt*, quod cum Tullio, & ſentio, & dico, *vt ſcribi contra nos nolimus, vt id etiam maximè optemus. In ipſa enim Græcia, Philoſophia* (etiam nunc in Academijs Theologia) *tanto in honore nunquam fuiſſet, niſi Doctiſſimorum contentionibus, diſſenſionibuſque viguiſſet, & refellere ſine pertinacia, & refelli ſine iracundia parati ſumus.* Meliùs dixero cum Auguſtino, *Magis optabo à quolibet reprehendi, quàm ſiue ab errante, ſiue ab adulante laudari. Nullus enim reprehenſor formidandus eſt amatori veritatis. Reprehenſurus enim eſt, aut inimicus, aut amicus*: Si inimicus inſultat, ferendus eſt; amicus ſi errat, docendus; ſi docet, audiendus.

Tuſcul. 2.

Lib 2. de Trinit. in Proem.

TITVLI,

TITVLI, NVMERVS, ORDO, ET PAGINÆ CAPITVM.

CAP. I. *CAVSÆ ſuſcepti operis, ejuſque Dignitas, & Vtilitas.* Pagina 1

II. *Exponuntur varij modi Prioris, & Poſterioris.* Pag. 6

III. *Quid ſint Prius, & Poſterius naturâ ſecundùm cauſalitatem.* Pag. 16

IV. *Nullum dari Prius in quo.* Pag. 23

V. *Quid ſit Ordo, & Quotuplex.* Pag. 27

VI. *Quædam notanda ex prædictis inferuntur.* Pag. 33

VII. *Quid Ordo Intentionis, & quid Ordo Executionis.* Pag. 38

VIII. *An eſſe rei poßibile prius ſit, quàm eſſe actuale ejuſdem.* Pag. 43

IX. *Sitne Ordo inter generationem vnius ſubſtantiæ, & alterius corruptionem.* Pag. 46

X. *Quid Ordinis ſit inter gratiam, & contritionem in juſtificatione impij; inter diſpoſitionem vltimam, & formam ſubſtantialem in generatione naturali.* Pag. 54

XI. *Poßintne cauſæ ſibi inuicem eſſe cauſæ, atque adeo ſe inuicem naturâ priores, & poſteriores, tam in eodem, quàm in diuerſo cauſarum genere, & Ordine.* Pag. 57

XII. *Quomodo Actus Potentijs, & Objecta vtriſque priora ſint, & non ſint.* Pag. 64

XIII. *Inferuntur quatuor corollaria ex doctrina Capitis præcedentis.* Pag. 74

XIV. *Tria alia corollaria ex ijſdem principijs deducuntur.* Pag. 80

e

Digitized by Google

XV. *Sitne aliquod prius, & poſterius in æternitate.* Pag. 92

XVI. *De Ordine durationum inter ſe.* Pag. 100

XVII. *Quomodo Æternitas tempore prior ſit.* Pag. 106

XVIII. *Quomodo quæ nobis, noſtræque cognitioni ſunt futura, Deo, ejuſque ſcientiæ, ac decretis futura non ſint.* Pag. 110

XIX. *An præterita, præſentia, & futura objectivè tantùm, an etiam realiter ſcientiæ Dei æternæ ſint præſentia.* Pag. 115

XX. *Quomodo quæ nobis ſunt futura, tam neceſſaria, quàm libera, & contingentia certò cognoſcantur à Deo.* P. 120

XXI. *Futura, ſiue abſoluta, ſiue conditionata cognoſci à Deo non poſſe in decreto conditionato.* Pag. 126

XXII. *An propoſitiones de futuris contingentibus ſingularibus ſint veræ, aut falſæ.* Pag. 129

XXIII. *Exponuntur quædam diuinæ ſcientiæ diuiſiones, & ſpecies ad earum inter ſe ordinem veſtigandum.* Pag. 140

XXIV. *Deturne in Deo ſcientia media à ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & ſcientia viſionis diſtincta, & illis prior.* Pag. 148

XXV. *Nullam in Deo eſſe ſcientiam mediam, & conditionatam.* Pag. 155

XXVI. *Expenditur, & refellitur doctrina Ludouici Molinæ de ſcientia media.* Pag. 162

XXVII. *Præmittuntur nonnulla monita ad Scripturæ de futuris conditionatis intelligentiam, & argumentorum, quæ ex ea ducuntur ſolutionem neceſſaria.* Pag. 170

XXVIII. *Proponuntur, & ſoluuntur argumenta ex Scriptura pro ſcientia media, & conditionata.* Pag. 177

XXIX. *Proponuntur, & ſoluuntur argumenta ducta ab authoritate SS. Patrum pro eadem ſcientia conditionata* Pag. 184

XXX. *Proponuntur, & ſoluuntur argumenta ducta ex ratione pro eadem ſcientia.* Pag. 189

XXXI. *Alia argumenta pro eadem ſcientia media ſoluuntur.* Pag. 196

XXXII. *Scientiam mediam nihil habere commercij cum Pelagianiſmo.* Pag. 201

Digitized by Google

XXXIII. *An ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſit prior ſcientiâ viſionis.* Pag. 204

XXXIV. *Scientiam Dei, quæ viſionis dicitur, eſſe cauſam rerum, ideoque priorem ſuo objecto.* Pag. 208

XXXV. *Proponuntur, & ſoluuntur objectiones contrariæ.* Pag. 215.

XXXVI. *Sitne Ordo inter actus Dei internos, ejuſque decreta.* Pag. 224

XXXVII. *Refellitur doctrina Didaci Ruiz de ordine decretorum Dei.* Pag. 236

XXXVIII. *Ordinis inter decreta Dei neceſſitatem, vel vtilitatem ex ſacris Scripturis colligi non poſſe.* Pag. 242

XXXIX. *SS. PP. nullum in decretis Dei agnouiſſe ordinem, nec eo vſos eſſe in Scripturis, vel fidei dogmatibus exponendis.* Pag. 251

XL. *Decretorum Dei ordinem prorſus inutilem ad Theologicas difficultates diſſoluendas.* Pag. 254

XLI. *Sine vllo decretorum Dei ordine diuinam præſcientiam, & prouidentiam cum libertate noſtra optime conciliari poſſe.* Pag. 259

XLII. *Refellitur nouus modus componendi diuinam præſcientiam cum noſtra libertate.* Pag. 266

XLIII. *De qua Prioritate intelligenda ſit propoſitio Sancti Thomæ,* Prædeſtinatio præſupponit præſcientiam futurorum. Pag. 272

XLIV. *Quid Ordinis ſit in Prædeſtinatione.* Pag. 281

XLV. *Refertur, & explicatur doctrina Sancti Thomæ de cauſa Prædeſtinationis.* Pag. 286

XLVI. *Quid Ordinis ſit in interna, & externa Dei Prædeſtinatione.* Pag. 295

XLVII. *Electionem ad gratiam, & ad gloriam ex nullis Prædeſtinatorum meritis eſſe, ſed ex ſola Dei voluntate Scripturis ſacris oſtenditur.* Pag. 299

XLVIII. *Idem probatur SS. PP. & Doctorum Scholaſticorum authoritate.* Pag. 303

XLIX. *Idem oſtenditur varijs rationibus.* Pag. 307

L. *Proponuntur, & ſoluuntur argumenta Aduerſariorum.* Pag. 313

ẽ 2

Digitized by Google

LI. *Quæ fuerit ſententia D. Auguſtini de Prædeſtinatione Sanctorum, & Reprobatione malorum.* Pag. 319

LII. *Reprobationem non omnino ex præuiſis demeritis eſſe, ſed ex Dei voluntate.* Pag. 327

LIII. *Eadem doctrina confirmatur authoritate.* Pag. 335

LIV. *Ordinem effectuum reprobationis alium eſſe, quàm ordinem effectuum Prædeſtinationis.* Pag. 340

LV. *De Ordine cauſarum ad eundem effectum concurrentium.* Pag. 346

LVI. *Quod Deus agat cum cauſis ſecundis.* Pag. 351

LVII. *Deum concurrere immediatè cum cauſis ſecundis, tam liberè, quàm neceſſariò agentibus.* Pag. 355

LVIII. *Proponuntur, & ſoluuntur argumenta Durandi.* P. 363

LIX. *Proponuntur, & ſoluuntur argumenta Ludouici à Dola.* Pag. 367

LX. *Quid ſit Deum ad eundem effectum cum cauſa ſecunda concurrentem, agere prius naturâ, & quot titulis id ei conueniat.* Pag. 375

LXI. *Quid ſit modificatio, & determinatio concurſus diuini à concurſu cauſæ ſecundæ.* Pag. 380

LXII. *Nullam dari qualitatem Phyſicam, quâ Deus moueat, & prædeterminet cauſas ſecundas ad agendum.* P. 383

LXIII. *Quid ſit Motio cauſæ ſecundæ à cauſa prima.* P. 389

LXIV. *Sanctum Thomam nullam agnouiſſe Dei motionem, & prædeterminationem, quæ ſit forma, & qualitas voluntati, vel alijs agentibus ſuperaddita ad agendum.* Pag. 393.

Digitized by Google

DE ORDINE, DEQVE PRIORI, ET POSTERIORI.

CAPVT I.

Cauſæ ſuſcepti Operis, ejuſque Dignitas, & Vtilitas.

1. DE ORDINE, deque varijs *Prioris*, & *Poſterioris* generibus diſputare aggredior, quòd hæc materia pro dignitate, & neceſſitate à paucis hactenus animaduerſa, & pertractata ſit; & quòd ex ejuſmodi terminorum, quorum in ſcientijs vſus eſt creberrimus, clara & diſtincta cognitione, plurimarum in Philoſophia, & Theologia difficultatum plena & perfecta enodatio, diſſolutioque potiſſimùm pendeat. **Rationes ſuſcepti operis**

2. EGIT quidem Ariſtoteles de Modis *Prioris*, & *Poſterioris* in Poſtprædicamẽtis cap. 2. ſed leuiter, & typo, vt loqui ſolet, ac rudiore penicillo: exactiùs autem & pleniùs lib. 5. Metaphyſ. text. 17. Ad cujus doctrinam, quam ſequenti Capite expoſituri ſumus, cùm plerique recentiores & Theologi, & Philoſophi non ſatis attenderint, nec ejus lucem, vbi maximè neceſſaria erat, ad multarum rerum, & quæſtionum obſcuritatem illuſtrandam admouerint, factũ eſt, vt in ijs non rarò hæſerint, vel etiam hallucinati ſint. Quæ me etiam cauſa ad hunc laborem ſuſcipiendum plurimùm impulit.

3. Plerique enim, vt mihi quidem videtur, valde ambiguè & confusè his paſſim terminis abutuntur, eorumque rationes proprias non ſatis tenent, aut diſtinguunt; Quò fit vt vnum pro alio ſumentes, & in eadem quæſtione ab vno genere Prioris ad aliud tranſeuntes, & ſuam, & aliorum intelligentiam non parum confundant. Quòd in Philoſophia quidem accidit maximè, cùm agitur de cauſalitate mutua materiæ & formæ, aliarumque diuerſi generis cauſarum dependentia reciproca: De ordine introductionis formæ ſubſtantialis & diſpoſitionis vltimæ in materiam, aut expulſionis priuationis cōtrariæ ab ea: De prioritate naturæ inter cauſam & effectum, vel etiam inter ipſas cauſas ad eundem effectum concurrentes: De Ordine inter potentias, actus, & objecta. In Theologia verò cùm agitur de Ordine decretorum Dei, vel concurſus ejuſdem cum cauſis ſecundis; de Prædeſtinatione & Prouidentia Dei: De concordia noſtræ libertatis cum ejus & ſcientia, & concurſu ad noſtras actiones: cùm tractatur quæſtio, An Adamo non peccante, Verbum Dei fuiſſet incarnatum: cùm diſputatur de Immaculata B. Virginis Conceptione, & ſanctificatione. Has enim, & ſimiles difficultates ex rationibus prioris & poſterioris pendere, & non niſi per eas enodari poſſe plerique recentiores Theologi putant.

D Thom. ordine decretorū Dei nunquam vtitur.

4. In quo à veritatis ſcopo, & à Sancti Thomæ mente, & docendi methodo longe diſcedere videntur. Hic enim in prædictis quæſtionibus elucidandis nullo vnquam decretorum Dei ordine, nullâ *Prioris* aut *Poſterioris* notione vſus eſt; immò diſertè negat 1. Parte quæſt. 19. artic. 6. ad 1. Deum vnum altero priùs, aut poſteriùs velle; Et quæſt. 24. artic. 8. non alium docet quærendum eſſe modum & ordinem decretorum Dei circa prædeſtinationem hominum, quàm qui cernitur in Prouidentia, & diſpoſitione rerum naturalium ad fines ſuos naturales. *Sicut*, inquit, *ſic prouidentur naturales effectus, vt etiam cauſæ naturales ad illos naturales effectus ordinentur, ſine quibus illi effectus non prouenirent: Ita prædeſtinatur ſalus alicui, vt etiam ſub ordine prædeſtinationis cadat quidquid hominem promouet in ſalutem, vel orationes propriæ, vel aliorum, vel alia bona, vel quidquid hujuſmodi, ſine quibus aliquis ſalutem*

Digitized by Google

non conſequitur. Vnde prædeſtinatis conandum eſt ad bene operandum, & orandum, quia per ejuſmodi prædeſtinationis effectus certitudinaliter impletur. Propter quod dicitur 2. Petri 1. Satagite vt per bona veſtra opera, certam veſtram vocationem, & electionem faciatis. Hic autem omnis ordo eſt non in Deo, ſed ſolùm in ipſis rebus extra Deum.

Eadem eſt ratio ordinis decretorum Dei circa res naturales, morales, & ſupernaturales.

5. Et certè in conſilijs & decretis Dei circa ſalutem & finem ſupernaturalem hominum, non alium cogitandum eſſe ordinem, quàm qui eſt in ordine decretorum ejuſdem de rebus naturalibus ad ſuum finem naturalem obtinendum, vel etiam moralibus circa fines humanos & naturales hominum, ex eo conſtat, quòd prædeſtinatio ad gloriam pars quædam ſit diuinæ prouidentiæ: hæc autem aliud nihil eſt quam ordinatio rerum in ſuos fines per certa media à Deo conſtituta. Igitur qui eſt ordo prouidentiæ inter ea omnia quæ cadunt ſub Dei prouidentiam in vniuerſum, eſt etiam in prodentia ſpeciali prædeſtinationis Hominum, & Angelorum.

6. Deinde in qualibet prouidētia ad extra, vt loquuntur, & ex parte effectus, reperiuntur rationes finis & medij, & mutua inter vtrumque cauſalitas. Vt enim pluuiam eſſe propter fruges, & fruges per pluuiam Deus voluit, vt virtutes medicas plantis, metallis, ſuccis, & alijs rebus propter hominis ſanitatem indidit, & ſanitatem per illas fieri voluit; &, vt in exemplis moralibus idem appareat, ſicut Alexandro Magno Coronam, & Imperium Perſarum Diuina prouidentia per pugnam, & victoriam Darij, & hanc propter illam vt finem eſſe voluit; ac Dauidi Regnum Iudeæ per victoriam Goliath, aliaque ejus in populum Hebræorum merita tribuere ſtatuit; ita decreuit dare Sancto Petro æternam gloriam per martyrij gratiam, illam volens vt finem, vt præmium, vt coronam; hanc verò vt medium, vt pugnam, & meritum gloriæ. Igitur non alius ordo eſt in rebus, vel decretis prouidentiæ diuinæ circa fines naturales rerum naturalium, quàm qui eſt circa finem ſupernaturalem & prædeſtinationem hominum. Quamobrem fruſtra, vt ego quidem ſentio, nulloque operæ pretio de ordine decretorum Dei tam multa ſcripſère nonnulli Theologi recentiores, eique malè tanquam ſolido firmiſſimoque fundamento non exi-

Digitized by Google

guam doctrinæ ſuæ molem impoſuerunt, vt conſtabit pleniùs ex ijs quæ dicentur cùm de eo diſputabimus.

7. Cvm autem cujuſque ſcientiæ nobilitas & præſtantia ex objecti, circa quod verſatur, nobilitate, & dignitate maximè pendeat, ex Philoſopho lib. 1. de Anima textu 1. quid vel dignitatis, vel vtilitatis huic inſit, facile eſt intelligere ex ipſa Ordinis natura, & excellentia; quæ quanta ſit, quantumque ſit momentum ordinis ſiue cauſæ ad effectum, ſiue partium in toto, ſiue mediorum ad finem, aliarumque rerum ex multis euidenter cognoſci poteſt. Nam & ipſa corporum figura, quæ noſtros interdum oculos tantopere delectat, quid aliud eſt, quàm gratus quidam ordo, ſituſque concinnus extremarum partium corporis colorati? & elegans noſtris grata & jucunda oculis ædificij facies aliud nihil eſt, quàm lapidum & partium quibus conſtat ordinata compoſitio, & tam feneſtrarum, quàm portarum apta & proportionata quædam collocatio, juſtaque diſtantia; Ac vniuerſim omnis ea quæ eſt in ipſis opificijs ex rebus etiam pretioſiſſimis, vt gemmis, & vnionibus contextio, venuſtas, & pulchritudo, ex recta aptaque, ac bène ordinata earum compoſitione, & artificio magis, quàm ex materiæ pretio oritur. In ipſis etiam ſcientijs ac diſciplinis methodus, & eorum quæ in illis traduntur, ordo, rectaque diſpoſitio ad intelligentiam & memoriam quantùm valeat; quid commodi afferat ad legendum commoda characterum, dictionum, & linearum diſtributio; quid militum ordo in pugna ad robur & victoriam valeat (nam *miles pugnat, ordo vincit*, ait quidam) & in quibuſcunque negotijs feliciter & expeditè conficiendis apta rerum agendarum ſeries quantùm poſſit nemo non experitur.

Ordinis dignitas & neceſſitas.

8. Neqve verò id tantùm præſtat Ordinis natura, vt ipſum opus totum & integrum, quod eo maximè conſtat, qualibet ſui parte longè perfectius ſit; ſed etiam facit vt quælibet pars alias perficiat, & viciſſim ab alijs perficiatur; adeo vt Ordinis beneficio non ſolũ ſibi, ſed etiã alijs bona ſit. Vnde quemadmodũ Iuſtitia à Philoſopho 5. Eth. cap. 1. virtus perfectiſſima dicitur, quòd per eam homo non ſolùm ſecum, ſed etiam ad alterũ virtute vti poſſit; ſic Ordinis virtus magni facienda eſt, quòd per eam fiat, vt res quælibet nõ ſibi ſolùm,

Digitized by Google

ſed alijs cōmoda ſit & vtilis, & opus quodlibet ſuis omnibus abſolutū numeris efficiat. *Optimum in rerum vniuerſitate eſt bonū ordinis. Hoc enim eſt bonum commune cætera verò ſunt ſingularia bona*, inquit S. Thomas Opuſ. 15. cap. 12. Ideoque meritò Aug. lib. 1. de Ordine cap. 7. *Deus*, inquit, *amat ordinem. Ab ipſo enim manat, & cum ipſo eſt*, & lib. 2. cap. 4. *Ordo eſt quo Deus agit omnia quæ ſunt. Si enim mentis oculos erigens atque diffundens ſimul quis vniuerſa colluſtret, nihil non ordinatum ſuiſque ſemper velut ſedibus diſtinctum, diſpoſitumque reperiet.* Quod fuſiùs poſtea multis exemplis declarat. Et Philoſophus lib. 3. de Cælo, textu 24. *Ordo*, inquit, *eſt propria ſenſibilium natura, & inordinatio nihil aliud eſt quam quod præter naturam.* Et lib. 8. Phyſ. text. 15. *nihil inordinatum eſt eorum quæ natura & ſecundùm naturam fiunt. Natura enim cauſa eſt ordinis in omnibus. Ordo autem omnis ratio eſt.* Et Sanctus Thomas lib. 2. contra gentes cap. 42. *Optimum in rebus creatis eſt diſtinctio & ordo ipſarum, & bonum vniuerſi in ordine conſiſtit.* Quod declarans Gregorius Nazianzenus Oratione 26. *Ordo*, inquit, *omnia conſtituit & colligauit. Ordo cœleſtia & terreſtria continet. Ordo in ijs, quæ ratione & animo intelliguntur, locum habet. Ordo in ijs, quæ ſenſibus percipiuntur; Ordo in Angelis; Ordo in aſtrorum motu, magnitudine, mutua relatione, & ſplendore; Ordo in anni partibus & temporibus aptè & diſtinctè progredientibus & recedentibus, ac per mediocritatem, aſperitatem mitigantibus; Ordo in diei & noctis menſuris & interuallis; Ordo in Elementis ex quibus corpora conſtant; Ordo Cælum in orbem duxit, aërem exporrexit, terram ſuppoſuit*, &c. Et poſt multa alia in commendationem Ordinis verè & eleganter dicta. *Ordo*, inquit, *nos à multis animantibus diſtinxit, Ciuitates condidit, leges inſtituit, virtutem honoribus, vitium pœnâ affecit: artes excogitauit, matrimonia conciliauit, ac per acrem erga ſuſceptos liberos amorem, feram & agreſtem vitam ad humanitatem excoluit: & quod terreno hoc & carnali amore majus eſt, diuinum amorem animis noſtris infixit. Quid ſingula commemorare attinet? Ordo omnium rerum pater, & præſidium eſt.*

Auguſtinus.

Ariſtoteles.

Greg. Naz.

9. DENIQVE perfectio *Ordinis* vel ex ipſa cauſæ, à qua manat, excellentiâ dignoſci poteſt. Eſt enim opus proprium Sapientiæ, virtutum omnium præſtantiſſimæ. Sapientis enim

Digitized by Google

& in quaque arte, vel facultate eminentiſſimi eſt res rectè ordinare & bene diſponere; quòd earum tùm naturam propriam, tùm cujuſque ad alias proportionem per primas & ſupremas earum cauſas probè cognoſcat. Ideoque authore Philoſopho 1. Metaphyſ. cap. 2. *Sapientis eſt imperare, & ordinare*, quia, inquit Sanctus Thomas in Prooemio Eth. *Sapientia eſt potiſſima rationis perfectio, cujus proprium eſt cognoſcere ordinem. Etſi enim vires ſenſitiuæ cognoſcant res aliquas abſolutè, ordinem tamen vnius rei ad aliam cognoſcere ſolius eſt intellectus, aut rationis.*

10. CÆTERVM ne de *Ordine* differentes in ipſum peccemus Ordinem, noſterque labor nullâ methodo, nulloque doctrinæ ordine ſuſceptus eſſe videatur, agemus primùm de Ordine in vniuerſum, ejuſque naturam à primis & incompoſitis ejus partibus, quæ ſunt *Prius* & *Poſterius*, compoſitionis viâ & ordine inueſtigabimus: Tum varijs & *Ordinis*, & *Prioris* ac *Poſterioris* generibus & rationibus proprijs abſtractè & in communi priùs expoſitis, eas poſtea in rebus & ſubjectis, non quidem omnibus (hoc enim eſſet infinitum, & ſuperfluum) ſed in nonnullis Theologicis, & Philoſophicis, de quibus potiſſimùm inter Doctores controuerſia eſt, conſiderabimus: & quæ, quibus inſint, aut à quibus abſint pro ingenij ſenſuſque noſtri tenuitate, Deo dante, monſtrare conabimur.

Exponuntur varij Modi PRIORIS, & POSTERIORIS.

CAPVT II.

Prius & Poſterius ſunt Modi entis.

1. CVM *Prius*, & *Poſterius* Ordinem componant, ejuſque rationem & conceptum intrinſecum neceſſariò ac eſſentialiter ingrediantur, vt notat S. Thomas 2. 2. q. 26. artic. 1. illis ignoratis, varijſque eorum modis ac generibus non ſatis diſtinctè perſpectis, Ordinis naturam plenè cognoſcere, ejuſque ſpecies varias, ac diuerſa genera clarè & perfectè diſtinguere planè

impoſſibile eſt. Quare de ijs primo loco nobis agendum. *Non ſunt autem Prius, & Poſterius*, inquit Alenſis in textum 2. lib. 2. Metap. *accidentia hujus vel illius Entis, ſed oriuntur ex Ente, in quantum Ens; Nam omne Ens reſpectu alterius eſt vel prius, vel poſterius.* Itaque Prius & Poſterius, modi quidam Entis ſunt ad inuicem relatiui, ijdemque termini metaphyſici valde generales, & per omnes categorias tranſcendentes; ideoque valde æquiuoci, multiſque modis accipiuntur, quos tradit Ariſtoteles in Poſtprædicamentis Cap. 2. & lib. 5. Metaphyſ. text. 16. quique à nobis hujus tractatus initio neceſſariò recenſendi & exponendi ſunt vitandæ æquiuocationis causâ, & ad declinandos errores, in quos plerique paſſim incidunt, dum ejuſmodi terminis abutuntur.

2. Ergo *Priora* & *Poſteriora* in plurali ſic in genere deſcribit Ariſtoteles loco citato Metaphyſicæ. *Priora, & Poſteriora dicuntur vno quidem modo, tanquam aliquo primo & principio in quoque genere exiſtente, quod propinquius eſt cuidam determinato, aut ſimpliciter & naturâ, aut ad aliquid, aut vbi, aut ab aliquibus.* In quem locum D. Thomas. *Principium*, inquit, *in quoque genere eſt id, quod eſt primum in illo genere; & Prius dicitur, quod eſt propinquius principio illi determinato; Poſterius quod eſt remotius ab illo.* *Quid prius.* *Quid poſterius.*

3. Cum autem Prioris & Poſterioris quinque tantùm modos enumeret Philoſophus in poſtprædicamẽtis, videlicet, *tempore, non reciprocatione ſecundùm exiſtendi conſequentiam, ordine, dignitate, & cauſalitate*, multò plures, alioque ordine recenſet loco citato Metaphyſicæ.

Primus eſt *ſecundùm locum*; Quod enim determinato alicui loco propinquius eſt, id prius; quod ab illo remotius eſt, poſterius dicitur; ſiue locus ille ſit primus & determinatus à natura; idemque vel extremus, vt Cælum; vel medius, vt centrum Mundi: ſiue ſit locus à nobis pro arbitrio determinatus; quo modo, qui muro, aut arbori, aut alteri corpori à nobis deſignato vicinior eſt, is prior ſecundùm locum; qui remotior ab illo, is poſterior dicitur. Ad hoc genus Prioris pertinet prius & poſterius *ſitus & poſitionis partium* in magnitudine. Partes enim in quantitate continua ſunt in loco potentiâ, eſſentque actu in loco, ſi eſſent actu *1. eſt prioritas localis & ſitus.*

diuiſæ à vicinis. Continentur enim ex Philoſopho 4. Phy. t. 34. à vicinis & adjacentibus.

2. eſt prioritas temporis.

4. SECVNDO Prius dicitur *Tempore* ſeu duratione; quod nimirum antiquius eſt & vetuſtius: quem modum prioris in Prædicamentis ait eſſe proprijſſimum. Tempore autem priora ſunt, quæ à Nunc ſeu à tempore præſenti remotiora ſunt, ſi ſermo ſit de præteritis; ita Ariſtoteles Cicerone tempore prior; vel quæ propinquiora ſunt tempori præſenti, ſi ſermo ſit de futuris, vt craſtina dies, ſequentibus; quoniam propinquior eſt ipſi Nunc præſenti & principio, vt primo quodam nunc poſito.

3 eſt motus.

5. TERTIVS modus Prioris eſt *ſecundùm motum. Quod enim,* inquit, *propinquius primo mouenti eſt, prius eſt, vt puer viro; Etenim quoddam & hoc ſimpliciter principium.* Quo prioris modo ex cauſis ſubordinatis ad eundem effectum concurrentibus, quæ cauſæ primæ vicinior eſt, ea prior eſt.

4 ſecundùm potentiam & excellentiam.

6. QVARTVS modus Prioris eſt *ſecundùm vim & poteſtatis excellentiam. Quod enim,* inquit, *excellit potentiâ & fortius eſt, prius eſt; Tale verò eſt cujus electionem, vt alterum, & quod poſterius eſt ſequatur, neceſſe eſt vt non mouente illo, non moueatur; & mouente moueatur, Electio enim principium eſt.* Quod igitur fortius & potentius eſt, ſiue per naturam, vt agens patiente; ſiue per electionem & voluntatem, vt Princeps ſubditis, ſuperior inferioribus, prius eſt ſecundùm potentiæ excellentiam.

5. eſt rationis ordinis inſtituti.

7. QVINTVS modus Prioris eſt *ſecundùm ordinem. Quæcumque,* inquit, *ab aliquo vno determinato* (ſcilicet tanquam principio) *proportionaliter diſtant, vt in tripudijs qui ſecundum locum obtinet, prior eſt eo qui tertium tenet, & paranete quàm nete. Illic enim tripudij ductor, hîc verò media principium eſt.*

6. eſt cognitionis.

8. SEXTVS modus Prioris is eſt, quo aliquid *notitiâ & cognitione* prius dicitur. *Alio verò modo,* inquit, *quod cognitione prius tanquam & ſimpliciter prius,* id eſt, licet non in ipſis rebus, ſed in noſtra tantùm cognitione ſit hæc prioritas; ab ea tamen res dicuntur priores quaſi in ſe & ſimpliciter eſſent priores. Quod genus prioris Ariſt. 1. Poſt. text. 5. & Top. lib. 6. loco 17. & alibi appellat *notius nobis,* opponitque *notiori naturâ.* Neque enim ſemper quæ naturâ, eadem & nobis notiora

Digitized by Google

notiora ſunt. Ea autem ſunt notiora naturâ, quæ perfectiora ſunt, habentque plus entitatis & perfectionis. Cùm enim objectum intellectus ſit ens; *& vt ad eſſe, ſic ad veritatem quodque ſe habeat*, lib. 2. Metaph. text. 4. & 5. quò plus act⁹ & entis vnumquodque habet, plus etiam habet cognoſcibilitatis. Itaque quemadmodum lumen ita eſt per ſe, & naturâ ſuâ viſibile, vt quæ plus habent luminis, ex ſe & naturâ ſuâ ſint magis viſibilia; non tamen nobis: (Nam Sol ex ſe maximè viſibilis eſt, non autem nobis, & oculis noſtris, quorum vim & proportionem ſui luminis claritate & abundantiâ excedit; ſed illud nobis maximè eſt viſibile, cujus lux & color majorem habent cum oculis noſtris proportionem:) Ita ea notiora naturâ ſunt, quæ in genere entis ſunt perfectiora, vt Deus, Intelligentiæ, & res ſpirituales: quæ tamen nobis notiores non ſunt, ſed, vt ait Philoſophus ſupra text. 2. *quemadmodum veſpertilionũ oculi ad lumen diei ſe habent, ita & intellectus animæ noſtræ ad ea quæ manifeſtiſsima omnium ſunt.* Nobis verò notiora ſunt, quæ ſenſibus noſtris magis proportionata, magiſque familiaria ſunt, vt ſunt res naturales, & ſenſibiles.

Quæ ſint notiora naturâ.

Quæ notiora nobis.

9. Sed notandum ex Philoſopho lib. 6. Top. loco 17. dupliciter dici aliquid *notius nobis*; Vel *ſimpliciter*, quod omnibus, aut ſaltem intellectu bene diſpoſitis notius eſt; quemadmodum id ſimpliciter ſalubre eſt, quod tale eſt ijs, qui bene affecto ſunt corpore: vel *ſecundùm quid*, quod ſcilicet, huic, aut illi notius eſt. Contingit enim alia alijs notiora eſſe, prout in hæc, vel illa objecta ſæpiùs incurrerint, & his, vel illis rebus magis, vel minùs aſſueuerint.

Notius nobis dicitur vel ſimpliciter.

Secundùm quid.

10. Cum autem duplex in nobis ſit genus cognitionis; vna intellectus, altera ſenſus; ideoque duplex etiam genus prioris ſecundùm cognitionem noſtram; Vnum ſecundùm cognitionem *intellectus*, Alterũ ſecundùm cognitionem *ſenſus*, & vtrumque adhuc duplex, Vnum cognitione confuſâ, Alterum cognitione diſtinctâ; non idem eſt inter vtrumque ordo. *Horum* inquit Ariſtoteles, *aliter ea quæ ſecundùm rationem, atque ea quæ ſecundùm ſenſum. Secundùm enim rationem vniuerſalia priora, ſecundùm verò ſenſum, ſingularia.* Tum quia, vt habet 1. Phyſicorum text. 3. *nobis primùm magis dilucida ac*

Notius nobis Secundùm Intellectum vel ſenſum.

Digitized by Google

manifeſta ſunt confuſa, id eſt, vniuerſalia & tota, *Quapropter ex vniuerſalibus ad ſingularia procedere oportet.* Nam vt docet D. Thomas ibid. & quæſt 85. art. 3. & Alenſis in text. 10. lib. 1. Metaph. & Armandus de Bello-viſu, lib. de terminorum declarationibus cap. 35. Vt natura, ſic gratia ab imperfecto ad perfectum procedit. Et quemadmodum pictor tabulam confuſiùs ac rudiore penicillo primùm adumbrat, poſtea lineamenta cuique parti propria diſtinctiùs exprimit: ita mens noſtra conceptus vniuerſaliores, vt potè imperfectiores, & magis in potentiâ, magiſque confuſos format priùs, quàm conceptus ſpeciales & diſtinctos. Vnde etiam, quod notat Philoſophus 1. Phyſicorum text. 4. *Pueri primùm quidem omnes viros patres appellant, & matres fœminas, poſteriùs autem determinant horum vtrumque.*

11. Deinde illud eſt cognitione priùs alio, quod ſine eo cognoſci poteſt, hoc verò ſine illo non poteſt: vniuerſale autem cognoſci poteſt, non cognito minùs vniuerſali. Qui enim cognoſcit animal, non propterea cognoſcit hominem; & qui nouit hominem, non propterea quemlibet ſingularem hominem nouit: qui verò hominem, etiam animal; & qui hunc hominem, etiam hominem neceſſariò cognoſcit. Igitur cognitio magis vniuerſalium ratione prior eſt cognitione minùs vniuerſalium.

12. Addit Ariſtoteles etiam notitiâ ſecundùm rationem accidens toto prius eſſe, vt Muſicum, homine Muſico. *Non enim erit ratio tota abſque parte*, id eſt, partes toto priores eſſe, cognitione ſcilicet diſtinctâ, quia poſſunt ſine toto diſtinctè cognoſci: Totum autem ſine illis non poteſt. Dictio enim ſcripta ſine litteris cognoſci non poteſt; ipſæ verò litteræ poſſunt ſine cognitione illius. Vnde loco citato Top. probat genus & differentiam priores & notiores eſſe ſpecie, *quia interimit genus, & differentia ſpeciem*; id eſt, his ſublatis, ſublata erit ſpecies, non contra: *quare priora hæc ſpecie. Sunt autem notiora. Nam ſpecie quidem notâ neceſſe eſt genus & differentias cognoſci. Qui enim hominem cognouit, & animal greſsibile cognoſcit; At genere & differentiâ notis, non neceſſe eſt & ſpeciem cognoſci. Quare ignotior ſpecies.*

Vbi etiam admonet definitionem bonam faciendam per

genus & differentiam; quia definitio debet eſſe ex notioribus, cùm ſit cognoſcendi gratiâ. Cognoſcimus autem non ex quibuſlibet, ſed ex prioribus ſimpliciter notioribuſque, genus autem & differentia ſunt ſimpliciter notiora, & priora ſpecie. Quamquam, vt notat S. Thomas 1. parte, quæſt. 85. art. 3. cognitione confusâ definitum priùs quàm definitio, & totum priùs quàm partes cognoſcatur. Eâdem autem cognitione diſtinctâ, & definitiuâ, ſubſtantia, accidente; bonum, malo; lumen, tenebris, & vniuerſim omnis habitus, priuatione prior eſt: quia & ſubſtantia ſine accidente, & bonum ſine malo, & habitus ſine priuatione oppoſitâ definiri poteſt, non è contra.

13. IAM verò cognitione ſecundùm ſenſum ſingularia priora & notiora ſunt vniuerſalibus, & totum ſuis partibus, compoſita ſimplicibus; quia omnis noſtra cognitio à ſenſu incipit; & vt ait Philoſophus, lib. 2. de Anima, text. 60. *Singularium quidem ſenſus ſecundùm actum, ſcientia autem eſt vniuerſalium.* Quamquam vt notat Armandus loco citato, etiam in ipſa cognitione ſenſus interdum eſt ordo, & proceſſus quidam à cognitione confusâ & imperfectâ, ad diſtinctam & perfectam, ratione loci ac diſtantiæ objecti. Priùs enim viſus apprehendit aliquid eſſe corpus, quàm eſſe animal; & priùs animal, quàm hoc animal; & priùs hominem, quàm hunc hominem. Itaque notius nobis & priùs ſecundùm cognitionem noſtram dicitur multipliciter; ſcilicet vel ſimpliciter, vel ſecundùm quid; ſecundùm cognitionem ſenſus, vel intellectus; eamque confuſam, vel diſtinctam. **Singularia cognitione ſenſus ſunt priora.**

14. SEPTIMVS Prioris modus *is eſt, quo priorès dicuntur paßiones priorum; vt rectitudo læuitate: illa enim linea paßio, hæc ſuperficiei.* Quodque vel re vel ratione ſimplicius eſt, priùs eſt magis compoſito, vt numerus ſimpliciter, numero ſonoro. **7. Modus prioris.**

15. OCTAVVS modus prioris eſt *ſecundùm naturam. Quædam* inquit *ſecundùm naturam & ſubſtantiam; quæcumque contingunt abſque alijs eſſe, iſta verò ſine illis minimè*; & lib. 8. Phyſ. Text. 56. *dicitur Prius & quo non exiſtente non erunt alia, illud verò ſine reliquis.* Qui modus Prioris duplex eſt. Vnus is eſt, quem in Poſtprædicamentis appellat, à quo non conuertitur exiſtendi conſequentia: ita animal homine; vnum duo- **8. Prius ſecundùm naturam.**

bus; & duo tribus naturâ priora ſunt. Quem Prioris modum, Prius naturâ vocant Cajetanus 3. parte, quæſt. 1. art. 3. & Scotus apud illum. Alter eſt Prius naturâ ſecundùm actum & potentiam, alij vocant Prius naturâ ſecundùm cauſalitatem. *Cum autem*, inquit Ariſtoteles, *ipſum eſſe dicatur multipliciter* (diuiditur enim ens in ſubſtantiam & accidens, in actû & potentiam) 1. *quidem ſubjectum eſt prius, propter quod ſubſtantia prior*, ſcilicet accidente. Hoc enim ſine illâ nec eſſe, nec definiri poteſt; illa ſine hoc poteſt. *Deinde aliter quæ ſecundùm Potentiam, & quæ ſecundùm Actum. Quædam enim ſecundùm potentiam priora ſunt; quædam verò ſecundùm actum: veluti ſecundùm potentiam quidem dimidia, quàm tota; & particula quàm totum; & materia quàm ſubſtantia* (ſupple prior.) *Secundùm actum verò poſterior. Diſſolutio enim ſecundùm actum erit*, id eſt partes quæ in toto erant tantùm potentiâ, factâ diuiſione totius erunt actu.

Vel ſecundũ potentiam.

Vel ſecundũ actum

16. Addit Ariſtoteles *quædam ſecundùm generationem contingit abſque alijs eſſe, vt totum partibus; quædam verò ſecundùm corruptionem, vt pars toto: ſimiliter etiam cætera.* Quaſi diceret, quædam fieri & eſſe actu abſque alijs actu exiſtentibus, vt totum ſine partibus: cum enim fit & eſt totum actu, partes non ſunt actu; ideoque poſteriores ſunt toto ſecundùm generationem. Contra verò factâ diuiſione partes ſunt actu, totum verò non niſi potentiâ: ideoque ſecundùm corruptionem partes ſunt priores toto. Quamobrem rectè S. Thomas quæſt. de Spe inter diſputatas, art. 3. *Prius dicitur aliquid ſecundùm rationem alicujus principij, vel quia principio propinquius eſt. Sunt autem duo principia intrinſeca rei, materia & forma; & ſecundùm horum differentiam aliquid dicitur dupliciter prius: vno quidem modo prius altero perfectione; ſicut actus potentiâ; & perfectior imperfecto; quæ prioritas reſpondet principio formali: alio modo eſt aliquid prius in viâ generationis & temporis; & ſic potentia eſt prior actu in eodem, & imperfectum perfecto, &c.*

Secundũ generationem

Secundũ corruptionem.

17. Qvod autem ad genus hoc prioris ſecundùm naturam, & ſecundùm actum & potentiam pertineant Prius & Poſterius ſecundùm cauſalitatē, patet; quia cauſa naturâ prior eſt ſuo effectu ſeu cauſato. Omnis enim cauſa eſt principium
1. lib. 5. Metaph. T. 1. principium autem prius eſt principiato, ſi

Prius ſecundùm cauſalitatem eſt pri' naturâ.

Digitized by Google

non tempore, ſaltem naturâ in rebus creatis: Deinde omnis 2.
cauſa, quâ cauſa, poteſt eſſe ſine ſuo effectu, & ab eâ vt ſic non pendet; effectus verò ſeu cauſatum, quâ effectus, non poteſt eſſe ſine cauſa, eiuſque eſſe pendet ab eſſe cauſæ; vel reali, ſi eſt cauſa materialis, formalis, aut efficiens; vel intentionali, ſi eſt cauſa finalis; cuius tamen eſſe reale, ſi eſt aliquid producibile, poſterius eſt cauſis à quibus pendet.

18. Accedit quòd cauſa cõmuniter deſcribatur, id ad quod 3.
ſequitur eſſe alterius. Quâ deſcriptione vtitur D. Thomas 2. Phyſicorum lect. 10. quæ, quidquid dicat Suares diſputatione 12. ſuæ Metaph. Sect. 2. bona eſt, nec priuationi conuenit; quòd priuatio nullum eſſe habeat, ad quod aliud ſequatur. Igitur ſi cauſatum ſequitur cauſam, hæc illud antecedit, ideoq; prior eſt aliquo prioris genere; non alio quàm qui dictus eſt.

Defenditur cauſa deſcriptio.

Adde quod Authore Philoſopho in Poſtprædicamẽtis cap. 4.
de Modis prioris, ex duobus quæ ſecundùm exiſtendi conſequentiam reciprocantur, quod alteri quomodolibet cauſa eſt, eo prius dicitur; vt Petrum ſcribere prius eſt ipſâ veritate propoſitionis quæ hoc enuntiat. Hæc enim veritas ita cum ſcri-
ptione Petri reciprocatur, vt ab hac pendeat; non contra hæc 5.
ab illâ. Igitur omnis cauſa, quà cauſa, naturâ prior eſt ſuo cauſato. Præterea omnis cauſa reſpectu ſui effectus rationem habet vel potentiæ, ſi eſt cauſa materialis; vel actus, ſi eſt cauſa formalis, efficiens, aut finalis. Igitur prioritas ſecundùm cauſalitatem eſt prioritas ſecundùm naturam. Ex quo ſequitur tot eſſe genera & modos Prioris naturâ ſecundùm cauſalitatem, quot ſunt diuerſa cauſarum genera.

19. Cæterum ad modũ Prioris naturâ pertinet etiã ille, quo id quod per ſe tale eſt, prius dicitur eo, quod eſt tale per aliud. Ex quo infert S. Thomas 1. Part. quæſt. 20. art. 1. actus voluntatis circa bonum, priores eſſe ijs qui reſpiciunt malum, vt gaudium, triſtitiâ; amorem, odio; quod objectum per ſe & primarium voluntatis ſit bonum; malum autem ſecundarium & per aliud, hoc eſt, ratione boni cui opponitur.

Reducuntur alij modi prioris ad prædictos.

Pertinet etiam ille modus Prioris, quo id quod cõmunius eſt, ſiue in prædicando, vt animal homine; ſiue in cauſando, vt Deus, & cauſa prima reſpectu cauſarum ſecundarum; & ex nis vniuerſaliores particularibus, prius naturâ & eſſe & agere dicuntur.

Digitized by Google

Pertinent denique illi modi Prioris, quos enumerat Auguſtinus lib. 12. Conf. cap. 29. videlicet, prius *Æternitate*, quo Deus omnia; *Tempore*, quo flos fructum; *Electione*, quo fructus florem; *Origine*, quo ſonus cantum præcedit. Primus enim, quem ait Aug. intellectu difficillimum eſſe, ad 2. vel 4. modum pertinet; cùm Deus ejuſque æternitas exiſtentiâ, duratione, atque adeò quodammodo tempore; tum potentiâ, dignitate, & virtute prior ſit omni creatura. Secundus idem eſt cum 2. Ariſtotelis. Tertius ad prioritatem naturæ ſecundùm actum & rationem cauſæ finalis: Quartus ad 8. à quo non valet exiſtendi conſequentia refertur.

20. Porro Prædictis omnibus quatuor addenda ſunt. Primum, *Poſterius*, quia correlatiuum eſt *Prioris*, totidem modis ſumi, quot *Prius*.

Idē reſpectu eiuſdē prius eſſe poteſt multis modis.

Secvndvm, idem reſpectu ejuſdem multis modis prius eſſe poſſe. v. g. *tempore*, *naturâ*, *cognitione & definitione*. His enim modis omnibus ſubſtantiam accidente priorem eſſe affirmat Ariſt. 7. Metaph. text. 4. *ſubſtantia*, inquit, *& ratione, & cognitione, & tempore*, *& naturâ omnium* (ſcilicet entium quæ per decem Prædicamenta diſtribuuntur) *primum eſt*; Quod ſigillatim probat. *Tempore* quidem & naturâ. *Aliorum enim*, inquit, *quæ prædicantur nullum eſt ſeparabile*, *ſed hæc ſola*: id eſt ſubſtantia, ſaltem Diuina omni accidente caret, & creata eadem manet ſub diuerſis accidentibus; vt aqua ſub calore & frigore. *Ratione* item & *definitione* prior eſt: tum quia *rationem ſubſtantiæ*, inquit, *in cuiuſque* (ſupple accidentis) *ratione*, id eſt, *definitione ineſſe neceſſe eſt*: tum quia ſubſtantiâ rei cognitâ, res magis cognoſcitur, quàm cognitis ejus tantùm accidentibus. *Scire enim tunc putamus vnumquodque magis, cùm quid eſt ignis, aut homo ſcimus*; *quàm quale*, *aut quantum*, *aut vbi. Nam & horum ipſorum vnumquodque ſcimus*, *cùm quid eſt ipſum quale*, *aut ipſum quantum ſcimus.* Idem etiam lib. 9. Metaph. T. 13. 14. & ſequentibus docet, Actum & ratione, & naturâ & quodammodo tempore Potentiâ priorem eſſe.

Idē reſpectu eiuſdē prius & poſterius eſſe poteſt.

21. Tertivm, idem reſpectu eiuſdem non ſolùm prius multis modis eſſe poſſe, ſed interdum etiam eodem poſterius alio ordine. Patet manifeſtè in ordine locali & ſitus. Quod enim incipiendo à dextrâ ad ſiniſtram, à loco ſurſum ad de-

orſum, alio prius eſt; eodem eſt poſterius incipiendo à læuâ ad dextram, à loco deorſum ſurſum verſus: & in ſcalis qui gradus aſcendendo prior eſt alio, eodem deſcendendo poſterior eſt: & qui primus, idem vltimus: ſimiliter in Ordine naturæ, quando res ſibi inuicem cauſæ ſunt, ſiue in diuerſo genere cauſæ, ſiue in eodem. Vnde materia v. g. vt eſt cauſa formæ, hâc prior eſt prioritate naturæ ſecundùm potentiam: vt verò cauſatur à forma, quæ illius eſt finis, & cauſa formalis, eâdem ordine actus & perfectionis poſterior eſt. Ita paſſim docet S. Thomas, vt 1. part. quæſt. 77. art. 4. & clariſſimè quæſt. 28. de veritate art. 7. *In quolibet genere cauſæ, cauſa naturaliter eſt prior cauſato. Contingit autem ſecundùm diuerſa genera cauſarum idem reſpectu ejuſdem eſſe cauſam & cauſatum; ſicut purgatio eſt cauſa ſanitatis in genere cauſæ efficientis; ſanitas verò eſt cauſa purgationis, ſecundùm genus cauſæ finalis. Similiter materia cauſa eſt formæ aliquo modo, in quantum ſuſtinet formam; & forma eſt aliquo modo cauſa materiæ, in quantum dat materiæ eſſe actu: & ideò nihil prohibet aliquid altero eſſe priùs & poſteriùs ſecundum diuerſum genus cauſæ.* Tempore verò non videtur idem prius & poſterius eodem, niſi fortè hoc modo, quo ætate major ſuperſtes eſt minori. Tunc enim aliquo modo idem eſt ante & poſt eundem.

22. QVARTVM Prius naturâ ſecundùm actũ & perfectionẽ, quod *prius intentionis* dicitur, appellari *prius ſimpliciter*; & quod eſt prius ſecundùm potentiam ac ordine *generationis* eſſe *prius ſecundùm quid*. Ita docet S. Thomas loco citato de veritate. *Illud*, inquit, *dicendum eſt prius ſimpliciter ordine naturæ, quod eſt prius ſecundùm genus illius cauſæ, quæ eſt prior in ratione cauſalitatis; ſicut finis, qui dicitur cauſa cauſarum, quia à cauſa finali omnes aliæ cauſæ recipiunt quod ſint cauſæ: quia efficiens non agit niſi propter finem, & ex actione efficientis forma perficit materiam, & materia ſuſtinet formam.* Et 3. parte quæſt. 6. art. 5. *Eſt*, inquit, *aliquid prius in natura dupliciter; vno modo ex parte agentis; alio modo ex parte materiæ. Hæ enim duæ cauſæ præexiſtunt rei. Ex parte quidem agentis eſt ſimpliciter primum illud, quod primò cadit in ejus intentione; ſed ſecundùm quid prius eſt illud, à quo incipit eius operatio; & hoc ideo, quia intentio eſt prior operatione. Ex parte verò materiæ eſt primum illud, quod prius exiſtit in tranſmu-*

Prius ſecundùm actum eſt ſimpliciter prius.

Digitized by Google

tatione materiæ. Et lib. 1. contra gentes cap. 16. *Simpliciter actus eſt prior potentiâ; quia potentia non reducit ſe in actum; ſed oportet quod reducatur in actum per aliquid quod ſit in actu.* Deinde actus nobilior eſt potentiâ, & ens actu plus habet de ratione entis, quàm ens potentiâ: vndè non dicimus aliquid tale ſimpliciter, v. g. album, calidum, doctum; quod tantùm eſt potentiâ tale; ſed quod eſt actu album, calidum, &c. Cùm igitur prius & poſterius ſint proprietates entis, priùs & magis conuenient ei, quod magis ens eſt.

Quid ſint PRIVS, *&* POSTERIVS *naturâ ſecundùm cauſalitatem.*

CAPVT III.

1. QVONIAM in plerisque Theologiæ & Philoſophiæ diſputationib⁹ & cõtrouerſijs, ſermo frequẽs incidit de *Priori* & *Poſteriori naturâ ſecundùm cauſalitatem*, hoc eſt de eo *Priori*, quo cauſa prior naturâ ſuo cauſato dicitur; deque eo *Poſteriori*, quo cauſatum eſt poſterius naturâ ſuâ causâ; ac ejuſmodi quæſtionum enodatio non niſi ex vera, & clara dicti Prioris, & Poſterioris cognitione haberi poteſt; neceſſe nobis eſt hoc loco, proprias vtriuſque rationes, quibus ab alijs Prioribus, & Poſterioribus differunt, accuratiùs expendere: maximè cùm non eædem, nec eodem modo ab omnibus aſſignentur. Nam ſunt qui exiſtimant rem aliquam naturâ, & cauſalitate priorẽ eſſe aliâ formaliter, & præcisè nihil aliud eſſe; quàm eam eſſe, vel poſſe eſſe, non exiſtente eâ, quæ poſterior dicitur, & cujus illa eſt cauſa: Alij verò volunt ſufficere illam, quæ eſt prior, concipi eſſe, non conceptâ exiſtere eâ, quæ eſt poſterior. Verum neutri videntur rem probè aſſecuti. Quare.

2. DICO primo, Eſſe prius naturâ, & cauſalitate alio, formaliter & præcisè non idem eſſe, quod eſſe, aut poſſe eſſe alio, quo prius dicitur, non exiſtente. Probatur 1. quia qui aliter ſentiunt, confundunt prioritatem temporis, cum prioritate naturæ; cùm prius tempore ſit, exiſtere non exiſtente poſteriori.

Secundo,

Digitized by Google

Secundò, quia ſequeretur omne, quod eſt exiſtentiâ prius; forc etiam naturâ, & cauſalitate prius: quod eſt abſurdum. Tertiò, quia cauſa ſemper naturâ prior eſt ſuo effectu; non eſt autem ſemper prior exiſtentiâ. Licet enim aliquando præcedant tempore ſuos effectus: non rarò tamen ſimul etiam ſunt: imò vt ſic, & vt actu cauſæ, cum ſuis cauſatis ſunt ſemper ſimul tempore, & exiſtentiâ. Nam ſi aliquid eſt actu cauſa, neceſſariò aliquid actu cauſatur; & vt ait Philoſophus 2. Phyſic. T. 37. *Cauſæ actu exiſtentes, & ſingulares, & ea quorum ſunt cauſæ ſimul ſunt, & non ſunt.* Quartò toto illo tempore, quo cauſa producit, & conſeruat ſuum effectum, eo eſt naturâ prior: & hic naturâ poſterior illâ: quia ſcilicet hic eſt dependens ab illa: at illo eodem tempore exiſtentiâ ſimul ſunt, & exiſtunt: igitur eſſe prius naturâ, & cauſalitate, non eſt eſſe, aut poſſe eſſe, non exiſtente alio, quo prius dicitur.

2 Ratio. *3. Ratio.* *4.*

3. DICO ſecundò, Prius naturâ, & cauſalitate nō eſſe, vnū concipi ſine alio. Primò quia totum naturâ prius eſt ſuis partibus. Primò Polit. capite 2. illud autem nec exiſtere, nec concipi poteſt ſine ſuis partibus, præſertim eſſentialibus. Secundò quia prius dicit relationem ad poſterius; relatorum autem vnum nec eſſe, nec concipi poteſt ſine alio; igitur non eſt vnum concipi alio non concepto. Tertiò quia omnis ordo in ſuo conceptu dicit pluralitatem; vt dictum eſt Capite præcedenti: at qui concipit vnum eſſe non concepto alio eſſe; vnum tantùm concipit. Igitur nullum prius, aut poſterius exprimit. Sicut enim prius, aut poſterius ſecundùm locum, & ſitum, nec eſſe, nec concipi poteſt ſine pluralitate (Gradus enim ſcalarum ſi vnus eſt; neque eſt, neque concipi poteſt prior, aut poſterior) ita in Ordine naturæ, & cauſalitatis impoſſibile eſt concipere aliquid prius eſſe, quin concipiatur poſterius.

Non eſt concipi ſine alio. *1.* *2. Arg.* *3. Arg.*

4. DICO tertiò, propriam & formalem rationem tam Prioris, quàm Poſterioris naturâ ſecundùm cauſalitatem, in eo præciſè conſiſtere; quod duæ res eam inter ſe habitudinē habeant, vt vnius, ejus nimirum quæ eſt effectus, natura & eſſe ſit, & exiſtat à parte rei dependenter ab eſſe, na-

Quid ſit prius & poſterius natura & cauſalitate.

Digitized by Google

turâ, & entitate illius, quæ eſt ejus cauſa: ideoque in ejuſmodi dependentiæ ordine, quæ pendet poſterior naturâ; ea verò à qua pendet prior naturâ dicitur: & ſi mutua fuerit inter eas dependentia, mutua etiam erit inter eaſdem naturæ prioritas & poſterioritas.

1. Ratio. 5. PROBATVR primò, quia ſic rectè explicatur quomodo prius, quâ prius, eſt independens à poſteriori. Cauſa enim vt ſic, & præcisè vt cauſa, eſt independens à ſuo effectu; *2. Arg.* hic verò, vt ſic, ab illa pendet. Secundò, quia varij propterea sũt cauſalitatis ordines, totque prioritatis ac poſterioritatis naturæ genera, ſpecieſq; diuerſæ; quot diuerſa cauſarũ genera.

3. Arg. 6. TERTIO, quia aſſignatæ per dependentiã rationes ſolis modis Prioris & Poſterioris naturâ, & cauſalitate conueniunt; eoſque ab alijs prioris, & poſterioris modis manifeſtè ſecernunt. A priori quidem temporis, patet: quia quod poſterius eſt tempore, non neceſſariò pendet à priori; neque prius tempore neceſſariò eſt cauſa poſterioris, vt Homerus Alexandro. A priori naturâ ſecundùm exiſtendi conſequentiam; tùm quia prius in hoc genere non neceſſariò eſt cauſa poſterioris, vt animal homine: Tùm quia prius, & poſterius naturâ reciprocantur, & ſimul ſunt, ex Philoſopho in Poſtprædicamentis Capite de modis Prioris; vbi ait; quod veritas orationis, & objectum quod eſt illius cauſa, atque adeò natura prius, ſecundùm conſequentiam reciprocantur; & ſecundo Poſteriorum cap. 17. *Cauſa & id cujus cauſa æqualia eſſe oportet ac reciprocari. Si enim arbor defrondeſcit, oportet ei ineſſe concretionem humoris: & ſi ei ineſt concretio, ineſt defrondeſcere.* Quartò, quia juxta aſſignatas rationes optimè explicatur, quomodo duæ res ſint ſe inuicem naturâ priores, & poſteriores; ſibi inuicem cauſæ; & à ſe inuicem dependentes, diuerſo ſaltem cauſalitatis, & dependentiæ genere.

Reijciuntur duæ falſæ conſequentiæ. 7. DICO quarto, eos malè omnino ratiocinari, qui ex eo quod aliquid naturâ, & cauſalitate ſit prius alio, & vt ſic independens ab eo, hæc duo inferunt: *Primum* illud ab hoc eſſe abſolutè independens, ſeu eo eſſe ſimpliciter prius; ita vt nullo poſterioritatis, aut dependentiæ genere ſit, aut eſſe poſſit eo poſterius; nec cauſari ab eo, in vllo genere cauſæ: ideoque materiæ entitatem, quæ eſt cauſa materialis entitatis

formæ, & vt ſic eâ prior prioritate, & cauſalitate materiali; nullo modo poſſe pendere, & cauſari à formâ, eaque eſſe poſteriorem ſecundùm cauſalitatem formalem. Secundum, ex eo quod aliquid ſit cauſalitate prius alio, & vt ſic independens ab illo, inferunt, illud vel eſſe, vel fore in rerũ natura; etiamſi non foret, nec exiſteret illud quod eſt poſterius.

8. Ac primum quidem malè infertur: quia ex hoc Antecedente, *materia eſt cauſa formæ, & eâ prior prioritate materiali*; vel *forma pendet à materia tanquam à cauſa materiali*; nullo modo ſequitur hoc conſequens, *Ergo materia non poteſt eſſe à forma, nec cauſari ab ea*; ſed ſolùm, *Ergo materia vt cauſa formæ, non cauſatur ab ea*, vel, *non pendet à forma tanquam à cauſa materiali*: vel, *non eſt poſterior formâ ſecundùm cauſalitatẽ materialem*: vel, *Ergo forma eſt effectus ſeu cauſatum materiæ*.

9. SECVNDVM etiam malè infertur: imò contrarium omnino inferendum eſt. Si enim aliquid eſt actu cauſa, neceſſariò eſt aliquid quod actu cauſatur: ſi materia eſt actu prior formâ ſecundùm cauſalitatem materialem; Ergo forma eſt actu poſterior ſecundùm eandem cauſalitatem: ergo vtraque eſt actu. Similiter, ſi Chriſtus eſt prior naturâ gratiâ & remiſſione peccati prioritate ſecundùm cauſalitatem efficientem, vel finalem; igitur neceſſariò gratia & remiſſio peccati ſunt poſteriores ſecundùm eaſdem cauſalitates. Cùm igitur prioritas, quâ Chriſtus à Deo priùs prædeſtinatus & decretus dicitur, quàm alij homines ſit prioritas cauſalitatis erga homines, ſeu erga illorum gratiam, & peccatorum remiſſionẽ; hinc nullo modo ſequitur eum venturum in mundum, ſi nullum peccatum fuiſſet, nullaque gratia reſtituenda: ſed contrarium prorſus inferendum; quod ſi eſt prior, illo quo dictũ eſt modo, neceſſariò eſſe debet peccatum ab eo extinguendum, & gratia per illum reſtituenda. Chriſtus enim ſolus, vel abſolutè, vel ſine habitudine cauſalitatis conſideratus, nec prior, nec poſterior vlla re dici poteſt. *Argumentũ à prioritate Chriſti nullum eſt.*

10. DICO quintò, modum illum loquendi, *in illo priori naturæ*, quo nonnulli paſſim vtuntur; præſertim cùm diſputant contra S. Thomam aſſerentem, materiam & formam, contritionem & charitatem ſibi inuicem cauſas eſſe; aut vniuerſim contendunt duas res non poſſe ſibi inuicem cauſas *Eſſe in priori natura nõ rectè dicitur.*

Digitized by Google

eſſe, nec in diuerſo, nec in eodem cauſarum genere; vitioſum & abuſiuum eſſe, ac pleriſque dare occaſionem malè argumentandi, & ſentiendi, etiam cùm diſceptant de ſuo ordine decretorum Dei, & in alia materia: hunc, inquam, loquendi modum eſſe non Philoſophicum, ſed improprium & falſum.

1. *Arg.* PROBATVR primò, quia nec in Ariſtot. nec in S. Thoma, alijſue antiquioribus, & melioribus authoribus reperitur.

2. *Arg.* Secundò, quia nullum eſt prius naturæ, aut cauſalitatis in quo; ſed ſolum ex quo, à quo, quo, & cujus gratiâ: ſunt enim hæc tantùm quatuor cauſarum genera, materialis, efficiens, formalis, & finalis.

3. *Arg.* 11. TERTIO, vt vitium manifeſtè appareat, faciendum quod monet Philoſophus 6. Top. & alibi, vt loco nominis, ipſa rei per nomen ſignificatæ definitio, vel aliud nomen ſynonymum adhibeatur. Si ergo loco termini *prius naturâ & cauſalitate* ponatur nomen *dependentia*, quod eſt ſynonymum illi, *prius naturâ*; vel *eſſe principium per ſe influens in aliud*, quæ eſt definitio cauſæ; omnino ineptè dicetur *in illa dependentia*, vel *in illo principio influente in aliud.* Igitur ineptum eſt dicere, in illo priori naturæ.

4. *Arg.* 12. QVARTO, ejuſmodi locutione, vel volunt ſolùm, rem de qua ſermo eſt, eſſe cauſam alterius; vel ſolùm eam exiſtere quando eſt cauſa alterius; vel eam à nobis concipi poſſe, abſque eo quod concipiatur cauſare. Si primum; cur non apertè dicunt, rem eſſe cauſam alterius; non autem barbarè, eſſe in cauſalitate & in priori naturæ. Si ſecundum; cùm (*quando*) dicat tempus, erit comparatio exiſtentiæ rei cum ſua cauſalitate in tempore, & ſenſus erit; entitatem rei v. g. materiæ primæ & ejus cauſalitatem erga formam, eſſe ſimul tempore; vel materiam non poſſe cauſare, niſi actu ſit, at quis hoc ignorat? & cur id tam obſcuris verbis effertur? Si Tertium, quis negat rem poſſe concipi abſque eo, quod concipiatur eſſe cauſa? Illi autem omnes ſenſus inepti ſunt ad concludendum, vnam rem non poſſe cauſari ab ea cujus eſt cauſa. Quæ enim conſequentia? *materia poteſt concipi abſque eo quod ſit cauſa formæ*; vel *materia exiſtens eſt cauſa formæ*; vel *ſimpliciter eſt cauſa formæ: ergo non poteſt cauſari à forma?*

Digitized by Google

13. Qvinto, cùm dicimus prius eſt materiam eſſe, quàm cauſare formam; illud *prius* eſt, non cauſalitatis; ſed rationis ac prædicationis; aut ſecundùm non ſubſiſtendi conſequentiam materiæ, reſpectu ſuæ cauſalitatis erga formam: & vt intelligeretur de prioritate cauſalitatis erga effectum, adhuc conſequentia hæc; *ergo non poteſt cauſari à forma*, nulla eſſet. *5. Arg.*

14. Sexto, vt fallaciæ fontem (quemadmodum medici morbi cauſam, & radicem quo eum faciliùs, & certiùs expugnent) aperiamus, hæc loquendi ratio ex mera æquiuocatione nata videtur. Etenim quia *prius, & poſterius* primò, & maximè de tēpore dicuntur, eſtque hæc prioritas nobis notiſſima, cùm tempus menſura ſit motus ſecundùm prius, & poſterius; vt res ſunt, & rectè dicuntur eſſe in tempore, vt in menſura: ita etiam rectè dicuntur eſſe in priori, vel poſteriori temporis; nempe vt in menſura ſui eſſe. At non propterea, quæ res cauſalitate prior eſt aliâ, rectè dicitur eſſe in aliquo priori; cum nec in ſua cauſalitate, nec in effectu ſuo ſit tanquam in menſura, vel etiam tanquam in cauſa. Quare non rectè dicitur eſſe in priori naturæ. Quin potiùs, ſi quid dicendum eſt *in illo priori naturæ*, & cauſalitatis eſſe, id de effectu & cauſato magis, quàm de cauſa dicendum eſſet; cùm omnis effectus ſit in virtute, & potentia ſuæ cauſæ, ergo quodammodo in ejus prioritate. Igitur prædictus loquendi modus eſt abuſiuus, & à priori temporis ad prius naturæ ex dictionis ſimilitudine per errorem malè tranſlatus. *6. Arg.* *Vnde orta locutionis improprietas*

15. Septimo, ex hoc errore alius naſcitur. Nam quod eſt in priori temporis, cum exiſtat non exiſtente eo, quod eſt in poſteriori temporis; cùm dicunt aliquid eſſe, in priori naturæ, vulgò inferunt; illud in illo priori naturæ exiſtere, aut concipi eſſe; non exiſtente, vel non concepto exiſtere eo, quod eſt in poſteriori naturæ; quod malè omnino infertur, eſtque imaginatio falſa, inquit, Capreolus in 3. diſtinct. 6. quæſt. vnica art. 3. ad 7. quia vt ſupra dictum eſt, rem eſſe in priori naturæ, non eſt præciſè & formaliter illam exiſtere; ſed eſſe ſolùm cauſam alterius, & habere aliam à ſe dependentem, vnde contrarium prorſus inferri debet, ſcilicet effectum tunc exiſtere, & dependere actu cum eſt *Reijcitur alia conſequentia.*

Digitized by Google

cauſa actu. Nam ex Philoſopho 2. Phyſ. t. 37. cauſa in actu, & effectus in actu ſimul ſunt, & ſimul non ſunt exiſtentiâ & tempore. Impoſſibile enim eſt rem concipi eſſe in priori naturæ, vt loquuntur, ſeu eſſe cauſam actu, niſi concipiatur cauſatum in actu: itaque qui dicit materiam v. g. eſſe in priori naturæ, vel eſſe cauſam formæ, quatuor neceſſariò diſertè ſignificat eſſe ſimul & eodem tempore. *Primum* materiam eſſe. Secundum eam eſſe cauſam, ſeu habere aliquid, nempe formam à ſe dependentem. Tertium formam eſſe. Quartum hanc eſſe dependenter à materia. Igitur hæc conſequentia, *Materia eſt in illo priori: ergo forma non eſt*, falſa eſt; cum contrarium neceſſariò ſequatur.

Reijcitur & alia falſa cõſequentia. 16. DENIQVE ex prædictis duobus vitijs naſcitur tertium cùm ita argumentantur. *Si materia eſt cauſa formæ & eſt in priori naturæ reſpectu formæ; ergo forma non poteſt eſſe cauſa materiæ.* Hoc enim conſequens nullo modo ſequitur ex antecedente: ſed ſolum iſtud; ergo *forma non eſt in illo priori, quo eſt materia*; id eſt, forma non eſt cauſa materiæ, eo genere cauſæ, quo cauſatur à materia: ſeu non eſt prior cauſalitate materiali, & ea prioritate, quà materia eſt prior illâ; ſed alio ordine, aliaque prioritate; ſcilicet actus, & cauſæ formalis: quod veriſſimum eſt. Quare prioritas naturæ non obſtat, quominùs materia, & forma ſint ſibi inuicem cauſæ, ſeque inuicem priores, ac poſteriores diuerſo genere prioritatis naturæ: vt enim ante monuimus, eadem res reſpectu alterius rei prior, & poſterior illâ eſſe poteſt.

Obiectio. Reſponſio. 17. NEQVE dixeris, ſi materia eſt prior, & poſterior formâ; erit prior, & poſterior ſeipsâ. Negatur enim ſequela, quia in ſcalis idem gradus, qui eſt prior, & poſterior ſibi vicino; non propterea dicitur prior, & poſterior ſeipſo. Ratio eſt quia cum prius ſit relatiuum, dicit ordinem ad aliud; non ad ſe: hac igitur de cauſa, nihil poteſt eſſe ſeipſo poſterius.

2. Obiectio. Reſponſio. 18. QVOD ſi dicat alius, ſi materia eſt cauſa formæ, & forma materiæ; idem erit cauſa ſui ipſius. Neganda item ſequela, quia cauſa debet eſſe diuerſa à ſuo cauſato: vel di- *Altera reſponſio.* cendum erit, dupliciter aliquid poſſe eſſe cauſam alicujus: primò immediatè & per ſe, vt ſol luminis, ignis caloris: ſecundò mediatè & per aliud, vt ſol caloris per lumen, primo

modo nihil poſſe eſſe cauſam ſuipſius propter dictam rationem: quia debet eſſe diſtinctio inter cauſam, & cauſatum. Secundo modo poſſe eſſe, in quantum eſt cauſa illius, à quo viciſſim cauſatur: idque potiſſimum, quando ambo à tertia, & ſuperiori aliqua cauſa pendent & mouentur ad ſe cauſandum mutuò. Ita diſpoſitiones formam, & forma diſpoſitiones in compoſito naturali ſeſe mutuò conſeruant motæ à Deo, alijſque cauſis vniuerſalibus, & ſuperioribus.

Nullum dari PRIVS in quo.

CAPVT IV.

1. RECENTIORES nonnulli cujuſdã Prioris meminere, quod appellant *Prius in quo*, quodque opponunt *Priori à quo*; de quo genere Prioris plura habet Arriaga in ſua Phyſica, diſp. 7. ſect. 7. Vbi ait num. 94. hoc genus Prioritatis duo dicere. Primum vt id quod ita prius eſt, poſſit concipi exiſtens ſine poſteriori. Secundum vt id quod eſt poſterius, ab ipſo priori producatur. *Opinio recentiorum.*

2. Verùm hoc genus Prioris, vt Ariſtoteli, Auguſtino, & D. Thomæ, alijſque antiquioribus, & nobilioribus Philoſophis prorſus incognitum eſt; ita vel fictitium eſt, vel non differt à Priori naturæ ſecundum cauſalitatem; nec ab illo Authore duabus ſupradictis conditionibus rectè declaratur. *Refellitur.*
Non primâ, quia poſſe aliquid concipi, imò eſſe ſine alio, 1.
præciſè, non eſt illud eſſe prius hoc alio, neque hoc aliud illo eſſe poſterius; alioqui quodlibet quolibet eſſet prius: & quouis quiduis eſſet poſterius. Poteſt enim res quælibet abſoluta ſine alia concipi, vt ardor ſine ſole; & quælibet hora diei ſola, & ſine alia concipi poteſt: ergo quælibet qualibet prior erit. Deinde cauſa ſuo effectu prior dicitur; at vt 2.
cauſa, & vt prior, nec eſſe, nec concipi poteſt ſine ſuo effectu, vt ipſemet author concedit numero 89. Igitur ad Prioritatem non requiritur, poſſe concipi ſine alio poſteriori. Adde quod ex Philoſopho in Poſtpræd. cap. 2. *eorum quæ conuertuntur ſecundùm eſſendi conſequentiam, quod alteri cauſa eſt*

Digitized by Google

quomodolibet, conuenienter prius naturâ dicitur.

3. SECVNDA verò conditio quam requirit, Prioritatem non *in quo*, ſed *à quo* conſtituit, vt vel ex ipſius verbis intelligere eſt. *Dicit*, enim, *ab ipſo produci, quod eſt poſterius.* Nam quid eſt poſterius ab ipſo priori produci, quam eſſe ab eo; vel hoc eſſe id à quo eſt aliud; proindeque prius cauſalitate præſertim effectiua; igitur hæc prioritas eſt à quo, non in quo.

Duæ de Arriaga propoſitiones. 4. QVAPROPTER hæ duæ concluſiones ejuſdem Authoris num. 91. & 92. *Cauſa libera eſt prior naturâ in quo, ſuo effectu: & cauſa neceſſaria, ac conſequenter omnis cauſa eſt prior naturâ in quo ſuo effectu,* non ſunt admittendæ.

Repudiätur. PRIMO quia nulla cauſa rectè eſſe dicitur in ſuo effectu; ſed contra effectus eſſe dicitur in cauſa, antequam ſcilicet exeat ab illa.

SECVNDO Cauſa dicitur Prior in quo, vel abſolutè & ſimpliciter, quatenus eſt res quædam exiſtens, & antequam agat: vel relatiuè, quatenus eſt actu cauſa, habetque effectum à ſe dependentem: neutro autem modo rectè dicitur prior in quo. Non primo, quia nihil, vt ſic, habet à ſe pendens & productum: ergo nec eſt prior nec poſterior in quo vel à quo: Non item ſecundo modo: quia cum effectus eſt pendens à ſua cauſa, non modo cauſa nō eſt in eo; ſed nec ipſe eſt in cauſa; vnde communiter dicitur eſſe extra cauſam, & eſſe à cauſa, non in cauſa; igitur nulla cauſa prior eſt ſuo effectu prioritate in quo, nullaque eſt ejuſmodi prioritas; ſed ſolum à quo.

3. Arg. TERTIO, Prioritas cauſæ erga ſuum effectum, eſt prioritas dependentiæ: at dependentia eſt ab aliquo, vel ex aliquo, non in aliquo. Nam licet forma quæ pendet à materia, verè ſit in eâ, non tamen dicitur prior materia, nec materia prior formâ prioritate in quo; ſed ex quo.

4. Arg. QVARTO, omnis prioritas naturæ, cauſæ erga cauſatum in eo conſiſtit; quod cauſati natura, & entitas de facto ſit, & pendeat à natura, & entitate cauſæ; cùm hæc non ſit, nec pendeat ab illa, vel ſimpliciter, vel eo modo, quo effectus eſt ab ea; adeò vt illud ſit alio prius cauſalitate, à quo eſt hoc aliud, cùm ipſum non ſit ab illo; vel ſimpliciter, vt

lumen

Digitized by Google

lumen à ſole; vel eo modo & genere cauſæ, quo eſt ab illo, vt materia & forma; ambulatio ſanitatis, & ſanitas ambulationis: ſi enim in eodem genere cauſæ à ſe inuicem pendeant (quod aliquando fieri poſſe non dubito) tunc potiùs dicentur eſſe ſimul naturâ, nec ita propriè alterum altero naturâ priùs erit. Igitur nullum eſt Prius in quo.

5. Porro ex hoc *prioritatis in quo* genere nata videtur falſa illa imaginatio, quâ nonnulli inter cauſam & effectum, & inter res ab alio pendentes, ſimulque tempore exiſtentes, diſtinguunt tamen quædam ſigna & inſtantia naturæ, alia alijs priora, & poſteriora; quorum prius cauſæ, poſterius effectui tribuentes, dicunt cauſam eſſe in illo tanquam in priori, & effectum in iſto tanquam in poſteriori. *Quorumdã opinio de priori natura inter cauſam & effectum.*

6. De qua doctrina, quæ inter pleroſque Recentiores ſatis communis eſt, habeo dicere quatuor. *Refellitur.*

Primvm ejuſmodi ſigna & inſtantia rationis, vel naturæ, aliud nihil eſſe, quàm diuerſos conceptus noſtros, vel inadæquatos ejuſdem rei; vel quorum vno concipimus rem, quæ cauſa eſt exiſtentem, non concipiendo exiſtentiam & dependentiam vllius effectus ab ea; altero concipimus ipſum effectum, vel vt exiſtentem ſolùm, vel vt pendentem à ſua cauſa; Exempli gratiâ: cùm anima, quæ ſimul tempore exiſtit cum ſuis potentijs, à nobis concipitur non conceptis potentijs, nec earum dependentiâ ab illa: quæ etiam potentiæ concipi poſſunt, vel ſine dependentia, vel cum dependentia ab ea. Quorum conceptuum multitudinem ſi quis appellare volet ſigna & inſtantia diuerſa, per me licet: hæc tamen appellatio valde impropria & abuſiua videtur. Ideoque rectè Capreolus in 3. Diſt. 6. quæſt. vnica art. 3. ad 7. *Prioritatem naturæ*, inquit, *habere diuerſa ſigna vel inſtantia, in quorum vno res ſit cauſa, & non ſit ejus effectus, eſt imaginatio falſa quia tale prius non eſt prius in quo, ſed prius à quo.* *Sunt tãtùm varij conceptus.*

7. Secvndvm. Concipere rem, quæ cauſa eſt, exiſtere, non concipiendo ejus effectum exiſtere, non eſt præciſè, illius conceptum eſſe priorem, aut illam eſſe priorem; quia etiam res, quæ eſt effectus, ſola concipi poteſt, nihil cogitando de ejus cauſa; quæ tamen propterea prior, aut poſterior non dicitur. Neque itē eſt conceptũ cauſæ eſſe priorem conceptu *Eſſe prius alio non eſt vnum concipere ſine alio.*

effectus, niſi fortè ratione temporis. Neque item eſt effectũ à parte rei non exiſtere; quia etſi non concipiatur exiſtens, exiſtit tamen actu, ſi res illa ſit cauſa actu; cùm impoſſibile ſit eſſe cauſam actu; & non eſſe effectum, aut cauſatum actu. Ideoque qui negaret effectum eſſe actu, cùm cauſa concipitur eſſe actu cauſa, & prior; malè negaret. Quare prædicta conceptuum multitudo præcisè nullum dicit ordinem, nullam prioritatem & poſterioritatem naturæ.

8. TERTIVM, res, quæ ita cõcipiuntur, falsò dici *eſſe in inſtanti priori, aut poſteriori*. Tùm quia in illa concipiendi ratione, vt dictum eſt, nullum eſt prius & poſterius: Tùm quia vt ſit à parte rei aliquod prius naturæ, vel dependentiæ; non eſt prius in quo, ſed à quo. Igitur non rectè dicitur eſſe in illo priori: Tùm denique quia, vt monuimus libro de Hypoſt. cap. 56. numero 10. & cap. præcedenti, num. 14. eoquòd prius & poſterius inſunt tempori, & res dicuntur eſſe in tempore tanquam in menſurâ, propterea rectè dicuntur eſſe in priori vel poſteriori temporis: at nec cauſa eſt in effectu, nec effectus exiſtens in cauſa, vt in menſurâ, vel vllo alio modo eſſendi *in*, vt ibi probauimus.

Eſſe in priori natura non rectè dicitur.

9. QVARTVM, non modò falſam & chimericã eſſe de ejuſmodi ſignorum ordine, & inſtantium prioritate, & poſterioritate doctrinã; ſed inutilem, imò & noxiã, & fallacẽ, quidquid dicat Didacus Ruis Tomo de voluntate Dei Diſp. 22. ſect. 5. vbi licet concedat chimericam & fictitiam eſſe, ait tamen rudioribus potiſſimùm ingenijs vtilem eſſe, & Tyrones juuare ad apprehendendam veram rerum dependentiam, & decretorum Dei quaſi prioritatem. Quid enim vel commodi, vel vtilitatis ſit in ejuſmodi fictionibus, aut quomodo ijs Tyrones, vel etiam exercitati, & ingenio, vel prompti, vel tardi, ad vllius rei notitiam quaſi manu ducantur, planè non video. Imò experientiâ magiſtrâ cognoui, pleroſque hac doctrinâ errare, decipi, ſibique perſuadere ejuſmodi priora eſſe vera, & non ficta; ac exiſtimare rem, quæ verè prior non eſt, eſſe priorem, aut poſteriorem. Neque ad rerum conceptus inadæquatos formandos vllo modo opus eſt, tali ſignorum & inſtantium ordine: neque ad varia Dei decreta concipienda, & diſtinguenda; nec ad omnia, quæ de Deo vel in Scripturis

Videtur fictitia & inutilis doctrina de ordine inſtantium.

Digitized by Google

ſacris, vel in tota Theologia traduntur, verificanda, aut declaranda, ejuſmodi inſtantium prioritas & poſterioritas vllo modo neceſſaria videtur.

10. Fertur & aliud nouum quoddam genus Prioris, quod *hypotheticum* & *conditionale* appellant; cujus meminit Theoph. Raynaudus in ſua Antiſtropha tractatione, Parte 2. c. 4. n. 35. quo nonnulli Recentiores vtuntur, ad ſcientiam in Deo mediam defendendam; & ad explicandum Dei concurſum, cum cauſa libera, illæsâ ejus libertate; dicuntque ipſum concurſum cauſæ liberæ hypotheticè priorem eſſe concurſu Dei; quatenus nouit Deus quid ipſa factura ſit, ſi ſola poſſet agere, vel ſi velit cum ea concurrere. Verùm omninò falſum eſt concurſum cauſæ ſecundæ Dei concurſu, vel decreto efficaci, ſiue abſolutè, ſiue hypotheticè priorem eſſe; vt pluribus oſtendetur poſtea. Itaque nullum aliud eſt Prius hypotheticum & conditionale, quàm *Logicum* & *illatiuum*, quo ſcilicet in propoſitione hypothetica, illa ejus pars, ex qua alia ſequitur, prior, ſeu Antecedens; & hæc poſterior, ſeu Conſequens dicitur. Quod quidem *prius* in ſolo noſtro eſt intellectu, modoque proprio cognoſcendi; eoque Priori quilibet effectus, ſi notior eſt ſuâ causâ, eâ prior eſſe poteſt; vt ſi eſt fumus, eſt ignis, ſi dies, ſol lucet. Imò hoc genus Prioris in rebus impoſſibilibus locum habere poteſt; ſi equus volat, habet alas; cùm verùm Prius aut Poſterius non niſi rebus poſſibilibus conueniant.

Quid ſit ORDO, *&* *Quotuplex.*

CAPVT V.

1. CVM Ordo nomen ſit valde generale; tamque latè pateat, ac *prius* & *poſterius*, quæ in ejus conceptu includuntur, (tranſcendit enim omnes categorias; imò categoriæ nihil aliud ſunt, quàm diuerſi rerum, & conceptuum ordines ſecundùm prius & poſterius naturæ, & cognitionis; vel ſecundùm diuerſam prædicationis rationem) propterea vno aliquo conceptu omnibus vniuocè & eadem ratione communi, vnâque definitione vix *Ordo, eſt nomen tranſcendens.*

Digitized by Google

Definitio ordinis. comprehendi poteſt. Ab Auguſt. tamen lib. 19. de Ciuitate Dei, cap. 13. definitur *Parium diſpariumque rerum ſua cuique loca tribuens diſpoſitio.* Quæ videtur tantùm definitio Ordinis corporum ſecundùm locum, in mundo; vel partium ſecundùm ſitum & poſitionem in toto.

Altera definitio. 2. Melius itaque vniuerſim definitur *debita diſpoſitio plurium ſecundùm prius & poſterius.* Diſpoſitio, quæ in definitione hac locum tenet generis, non ea eſt, quæ prima ſpecies eſt qualitatis; neque ea ſolùm, quæ eſt ſitus & poſitio partium quantitatis; hæc enim eſt ſolùm quædam Ordinis ſpecies: ſed ſolùm eſt certa quædam rerum adinuicem comparatio & habitudo, aut, vt habet S. Thomas 1. part. quæſt. 116. art. 2. ad 3. eſt relatio quædam cauſæ ad effectum, perfecti ad imperfectum, prioris ad poſterius; vt viciſſim à Philoſopho 5. Metaph. text. 24. *Diſpoſitio dicitur Ordo partes habẽtis aut ſecundùm locum, aut ſecundùm potentiã, aut ſecundũ formam.*

Ordo rerum magna earũ perfectio. 3. Secundo dicitur, *debita & naturalis*; id eſt, conueniens rebus ordinatis, quòd talis rerum diſpoſitio, magna ſit earum perfectio. *Ordo enim*, ex Phil. 3. de Cœlo text. 24. *eſt propria ſenſibilium natura; inordinatio nihil aliud eſt, quàm quod præter naturam.* Atque hac particulâ (debita) à ratione ordinis excluditur inordinatio, & confuſio rerum, ac indebita earum poſitio, vt lapidum in aceruo.

4. Tertio dicitur, *diſpoſitio plurium*; tùm quia vna ſola res non conſtituit ordinem: tùm quia vbicunque eſt ordo, eſt aliqua diuerſitas & multitudo; & Ordo (inquit Alenſis in text. 16. libro 5. Metaph.) *eſt ſpecies quædam diuerſitatis, ideoque Philoſophus ibi agit de modis prioris & poſterioris, quæ in ratione ordinis continentur; poſtquam textu* 15. *egit de modis diuerſi:* licet dicat ordinem, habere rationem vnius, vt notat S. Thomas ibidem, quatenus in eo continetur aliqua habitudo ad vnum primum principium, vt mox dicetur: Tùm denique quia ordo, cum includat relationem vnius ad alterum, neceſſariò requirit multitudinem & pluralitatem, ſiue actualem, vt in exercitu; ſiue potentialem, vt ordo & ſitus partium in continuo. Ac ſi quidem realis fuerit illa multitudo, ordo realis erit: ſi verò ſit tantùm multitudo & pluralitas rationis, vt generis & ſpeciei; ſubjecti, & prædicati, erit tantùm ordo rationis.

Digitized by Google

QVOD ſi quæras quot res, ſeu quanta multitudo rerum ad Ordinem conſtituẽdum requiratur. Reſpondeo id definiri non poſſe, ac vel duas res ſufficere, vt patet in ordine tum locali, cùm duo ſibi inuicem aſſident, tùm cauſali inter cauſam & effectum.

5. QVARTO additur *ſecundùm prius & poſterius*, quia omnis Ordo ex ſua ratione non tantùm dicit plura, ſed etiam plura habentia habitudinem prioris & poſterioris per comparationẽ ad aliquod certum & determinatum principium, vt diximus ſupra cap. 2. ex Ph. 6. Metaph. textu 16. & S. Thoma ibidem, & 1. parte, quæſt. 42. art. 3. *Ordo*, inquit, *ſemper dicitur per comparationem ad aliquod principium; vnde ſicut dicitur principiũ multipliciter; ſecundùm ſitum, vt punctus; ſecundùm intellectum, vt principium demonſtrationis; & ſecundùm cauſas ſingulas: ita etiam dicitur ordo.* Hæc ille. Qui tamen ſtatim excipit Ordinem originis in Trinitate, quòd ſit abſque prioritate. *In diuinis autem* (inquit) *dicitur principium ſecundùm originem abſque prioritate, vt ſupra dictum eſt,* nempe quæſt. 33. art. 1. ad 3. Nam ſicut licet Pater ſit principium Filij, & hic ab illo verè & realiter procedat; non tamen eſt cauſa Filij; quia nomen cauſæ in creaturis videtur importare & diuerſitatem ſubſtantiæ inter cauſam & cauſatum, & dependentiam ac diſtantiam aliquã in communitate & perfectione inter vtrumque: ita licet in Deo ſit ordo originis (quem Auguſt. libro 4. ſuper Geneſim cap. 34. & 35. ordinem naturæ vocat, non quo alter ſit priùs altero, ſed quo alter eſt ex altero) non propterea in eo ſunt rationes prioris & poſterioris; quia hæc dicunt aliquam inæqualitatem, imperfectionem, & diuerſitatem ſubſtantiæ inter ea, quæ dicuntur priora & poſteriora.

Prius & Poſterius ſunt de ratione ordinis.

D. Thomas.

Auguſtinus.

Ex his intelligitur quod Ordo in vniuerſum in ſua ratione tria includit. Primò rerum multitudinem & diſtinctionem, vel actualem, vel potentialem. Secundò harum comparationẽ ad aliquod principium certum. *Vnde oportet quòd vbicumque eſt aliquod principium, ſit etiam aliquis ordo*, inquit, S. Thomas 2. 2. quæſt. 26. art. 1. Tertiò inter ea quibus conſtat, rationem prioris & poſterioris per comparationem ad illud principiũ. In Diuinis autem dicit tantùm originem vnius ab illo.

Tria de ratione ordinis.

6. ITAQVE rectè vniuerſim Ordo definitur, *Debita diſpoſitio*

Digitized by Google

plurium ſecundùm prius & poſterius. Cui definitioni ſi addideris proprias & ſpeciales Prioris ac Poſterioris differentias, à nobis ſupra cap. 2. recenſitas, nempe ſecundùm locum, vel ſitum, vel tempus, vel poteſtatem, vel naturam, cauſalitatem & ſimiles, definitionem cuique Ordinum generi propriam efficies. Tot enim ſunt Ordinum genera, totque ſpecies; quot genera & ſpecies Prioris & Poſterioris. Quare Ordo alius eſt *localis*, ſecundùm prius & poſterius loci, vel ſitus: alius *temporis & durationis*; alius ſecundùm *motum*: alius *dignitatis*, & excellentiæ, ſeu poteſtatis; alius ſecundùm relationem ad aliquod principium certum & determinatum, vt in choreâ; alius *rationis & cognitionis*; qui adhuc multiplex eſt. Comprehendit enim ipſos categoriarum ordines, noſtri diſcurſus ordinem, in quo eſt Antecedens, & Conſequens; & ordinem doctrinæ, in quo progredimur à notioribus nobis, interdum à magis neceſſarijs, interdum eſt planè arbitrarius. Qui omnes rationis & cognitionis ordines ad temporis, vel cauſalitatis ordinem reduci poſſunt. Notat autem S. Thomas ſupra ad 2. quod Ordo principaliùs inuenitur in ipſis rebus, & ex eis deriuatur ad cognitionem noſtram.

Varia Ordinis ſpecies.

7. Ordo etiam *natura*, multiplex eſt. Vnus ſecundùm *exiſtendi conſequentiam* vt inter animal & hominem. Alius ſecundùm *potentiam* ſeu potentiæ ad actum, qui etiam ordo *generationis & executionis* dicitur: in quo ordine imperfectum perfecto, materia formâ, partes ſiue eſſentiales, ſiue integrales ſuo toto priores ſunt. Alius denique *actus & perfectionis* priori oppoſitus; in quo actus, potentiâ; forma, materiâ; totum, partibus prius eſt; vt conſtat ex libro 7. Metaph. text. 7. lib. 9. textu 15. libro 2. de Cœlo textu 23. qui etiam *intentionis ordo* appellatur: ſecundùm quem ordinem non tantùm forma prior eſt materiâ, & actus potentiâ; ſed etiam agens reſpectu patientis, & cauſa efficiens reſpectu effectus; quia efficiens reſpectu effectus, & agens reſpectu patientis habent rationem actus. Finis item, quia tam reſpectu ejus, quod eſt illius gratiâ, quàm reſpectu agentis ac efficientis, habet etiam rationem actus, boni, & perfecti; ipſumque agens mouet ad agendum; propterea illo ordine ac prioritate naturæ ſecundùm actum & perfectionem, & materiâ, & for-

Ordo naturæ multiplex eſt.

Digitized by Google

mâ, & efficiente prior eſt: vnde prima cauſarũ dicitur, prioritate ſcilicet actus; tametſi cũ eſt aliquid effectibile & producibile ab ipsâ causâ efficiente, eâ poſterior ſit ſecundùm ordinem & cauſalitatem effectiuam. Rectè igitur ſcienterque S. Thomas 1. part. quæſt. 105. art. 6. tot diuerſos ſecundùm cauſalitatem diſtinguit ordines, quot ſunt cauſarum genera. *A qualibet cauſa*, inquit, *deriuatur aliquis ordo in ſuos effectus, cùm qualibet cauſa habeat rationem principij; & ideo ſecundùm cauſarum multiplicationem, multiplicantur & ordines, quorum vnus continetur ſub altero, ſicut & cauſa continetur ſub cauſa. Vnde cauſa ſuperior non continetur ſub ordine cauſæ inferioris, ſed è conuerſo.*

8. PORRO ſicut Ordo *naturalis* Vniuerſi, conſtat multiplici varietate rerum, quæ à mente Diuina in varios ordines creatæ & diſpoſitæ ſunt, ſecundùm diuerſas rationes prioris & poſterioris loci, temporis, cauſalitatis, & dependentiæ: itaut quædam exiſtant, agant, & moueant alias, eo loco, tempore, & modo, quem Deus ſapientiâ ſuâ excogitauit, & effecit bonitate ac potentiâ ſuâ. Ita ſub Ordine *morali* hominum, qui eſt Ordo Poteſtatis ſeu gubernationis (eſt enim perſonarum multitudo ac diſpoſitio ſecundùm prius ac poſterius poteſtatis, ſuntque in eo qui præſint, imperent, & moueant alios; qui ſubſunt, obediunt, mouentur, & reguntur ab illis) plurimi & varij continentur Ordines poteſtatis, ac regiminis; vt Monarchicus, Ariſtocraticus, Popularis, & ſub horum quolibet varij particulares; vt militaris, ciuilis, & quilibet hominum cœtus ac ſocietas ad bonum & finem aliquem honeſtum, vel vitæ humanæ vtilem conſtituta. Similiter & in ſcientijs ac diſciplinis tractandis variæ ſunt methodi, ac diuerſi *Ordines rationis*, vt Ordo *compoſitionis* à partibus ad totum, à ſimplicioribus ad compoſita: cui opponitur Ordo *diuiſionis*, ac reſolutionis à toto ad partes; à communioribus ad minùs communia. De quibus omnibus Ordinibus agendi hîc locus nõ eſt. *Aliæ diuiſiones Ordinis.*

9. DVO ſolùm hîc adnotanda, quæ nobis poſtea vſui erunt. Vnum eſt Ordinem ſumi interdum *actiuè*, qui aliud nihil eſt quàm ipſa ratio ordinis in mente ordinantis exiſtens, vnde eſt rerũ ordo, & à qua ordinãs aliquis dicitur: ac vulgò ordinatio vel præordinatio nominatur: tales ſunt ſuperiorum leges & ordinationes. Vnde Ius à Philoſopho lib. 1. Polit. cap. *Ordo ſumitur actiuè.*

Digitized by Google

plurium ſecundùm prius & poſterius. Cui definitioni ſi addideris proprias & ſpeciales Prioris ac Poſterioris differentias, à nobis ſupra cap. 2. recenſitas, nempe ſecundùm locum, vel ſitum, vel tempus, vel poteſtatem, vel naturam, cauſalitatem & ſimiles, definitionem cuique Ordinum generi propriam efficies. Tot enim ſunt Ordinum genera, totque ſpecies; quot genera & ſpecies Prioris & Poſterioris. Quare Ordo alius eſt *localis*, ſecundùm prius & poſterius loci, vel ſitus: alius *temporis & durationis*; alius ſecundùm *motum*: alius *dignitatis*, & excellentiæ, ſeu poteſtatis; alius ſecundùm relationem ad aliquod principium certum & determinatum, vt in choreâ; alius *rationis & cognitionis*; qui adhuc multiplex eſt. Comprehendit enim ipſos categoriarum ordines, noſtri diſcurſus ordinem, in quo eſt Antecedens, & Conſequens; & ordinem doctrinæ, in quo progredimur à notioribus nobis, interdum à magis neceſſarijs, interdum eſt planè arbitrarius. Qui omnes rationis & cognitionis ordines ad temporis, vel cauſalitatis ordinem reduci poſſunt. Notat autem S. Thomas ſupra ad 2. quod Ordo principaliùs inuenitur in ipſis rebus, & ex eis deriuatur ad cognitionem noſtram.

Varia Ordinis ſpecies.

7. Ordo etiam *natura*, multiplex eſt. Vnus ſecundùm *exiſtendi conſequentiam* vt inter animal & hominem. Alius ſecundùm *potentiam* ſeu potentiæ ad actum, qui etiam ordo *generatienis & executionis* dicitur: in quo ordine imperfectum perfecto, materia formâ, partes ſiue eſſentiales, ſiue integrales ſuo toto priores ſunt. Alius denique *actus & perfectionis* priori oppoſitus; in quo actus, potentiâ; forma, materiâ; totum, partibus prius eſt; vt conſtat ex libro 7. Metaph. text. 7. lib. 9. textu 15. libro 2. de Cœlo textu 23. qui etiam *intentionis ordo* appellatur: ſecundùm quem ordinem non tantùm forma prior eſt materiâ, & actus potentiâ; ſed etiam agens reſpectu patientis; & cauſa efficiens reſpectu effectus; quia efficiens reſpectu effectus, & agens reſpectu patientis habent rationem actus. Finis item, quia tam reſpectu ejus, quod eſt illius gratiâ, quàm reſpectu agentis ac efficientis, habet etiam rationem actus, boni, & perfecti; ipſumque agens mouet ad agendum; propterea illo ordine ac prioritate naturæ ſecundùm actum & perfectionem, & materiâ, & for-

Ordo natura multiplex eſt.

Digitized by Google

mâ, & efficiente prior eſt: vnde prima cauſarũ dicitur, prioritate ſcilicet actus; tametſi cũ eſt aliquid effectibile & producibile ab ipsâ causâ efficiente, eâ poſterior ſit ſecundùm ordinem & cauſalitatem effectiuam. Rectè igitur ſcienterque S. Thomas 1. part. quæſt. 105. art. 6. tot diuerſos ſecundùm cauſalitatem diſtinguit ordines, quot ſunt cauſarum genera. *A qualibet cauſa*, inquit, *deriuatur aliquis ordo in ſuos effectus, cùm qualibet cauſa habeat rationem principij; & ideo ſecundùm cauſarum multiplicationem, multiplicantur & ordines, quorum vnus continetur ſub altero, ſicut & cauſa continetur ſub cauſa. Vnde cauſa ſuperior non continetur ſub ordine cauſæ inferioris, ſed è conuerſo.*

8. Porro ſicut Ordo *naturalis* Vniuerſi, conſtat multiplici varietate rerum, quæ à mente Diuina in varios ordines creatæ & diſpoſitæ ſunt, ſecundùm diuerſas rationes prioris & poſterioris loci, temporis, cauſalitatis, & dependentiæ: itaut quædam exiſtant, agant, & moueant alias, eo loco, tempore, & modo, quem Deus ſapientiâ ſuâ excogitauit, & effecit bonitate ac potentiâ ſuâ. Ita ſub Ordine *morali* hominum, qui eſt Ordo Poteſtatis ſeu gubernationis (eſt enim perſonarum multitudo ac diſpoſitio ſecundùm prius ac poſterius poteſtatis, ſuntque in eo qui præſint, imperent, & moueant alios; qui ſubſunt, obediunt, mouentur, & reguntur ab illis) plurimi & varij continentur Ordines poteſtatis, ac regiminis; vt Monarchicus, Ariſtocraticus, Popularis, & ſub horum quolibet varij particulares; vt militaris, ciuilis, & quilibet hominum cœtus ac ſocietas ad bonum & finem aliquem honeſtum, vel vitæ humanæ vtilem conſtituta. Similiter & in ſcientijs ac diſciplinis tractandis variæ ſunt methodi, ac diuerſi *Ordines rationis*, vt Ordo *compoſitionis* à partibus ad totum, à ſimplicioribus ad compoſita: cui opponitur Ordo *diuiſionis*, ac reſolutionis à toto ad partes; à communioribus ad minùs communia. De quibus omnibus Ordinibus agendi hîc locus nõ eſt. *Alia diuiſiones Ordinis.*

9. Dvo ſolùm hîc adnotanda, quæ nobis poſtea vſui erunt. Vnum eſt Ordinem ſumi interdum *actiuè*, qui aliud nihil eſt quàm ipſa ratio ordinis in mente ordinantis exiſtens, vnde eſt rerũ ordo, & à qua ordinãs aliquis dicitur: ac vulgò ordinatio vel præordinatio nominatur: tales ſunt ſuperiorum leges & ordinationes. Vnde Ius à Philoſopho lib. 1. Polit. cap. *Ordo ſumitur actiuè.*

Digitized by Google

2. definitur *Ordinatio ciuilis ſocietatis*. Interdum verò & ſæpius ſumi *Paßiuè* pro ipſis rebus à parte rei ordinatis.

Paßiuè.

ALTERVM eſt, quòd quemadmodum viſus noſter eaſdem res modò ſimul vnoque intuitu, modò ſucceſſiuè & pluribus viſionibus cernit; & qui calamo ſcribit, aliter characteres in charta pingit & notat atramento, quàm Typographus. Hic enim totam paginam pingit ſimul; ille verò ſucceſſiuè & cum ordine: ita ordo rationis & actiuus interdum eſt totus ſimul & ſine formali ordine, vt in Deo, in quo eſt vna, & ſimplex intellectio & ordinatio: interdum verum & formalem habet ordinem, vt in nobis, qui plerumque pluribus rationis & voluntatis actibus ſibi ſuccedentibus, ordinem in rebus externis, & operibus noſtris conſtituimus.

De Modis Simul tempore & natura.

10. CÆTERVM cùm oppoſitorum ſit eadem ſcientia, eaque juxta ſe poſita mutuam ſibi conferant lucem; eſſe autem *ſimul* Priori ac Poſteriori, proindeque Ordini quodammodo opponatur, de eo ejuſque Modis hîc etiam aliquid dicendum eſt, idque imitatione & verbis Philoſophi in Poſtprædicamentis cap. 3. vbi tres modos refert ipſius *Simul*, videlicet *tempore, naturâ ſecundùm conuertendi conſequentiam, & naturâ ſecundùm diuiſionem ſub eodem genere*, quos ſic definit. *Simul dicuntur ſimpliciter quidem & propriſſimè quorum generatio in eodem eſt tempore; Neutrum enim eorum neque prius neque poſterius eſt. Simul autem ſecundùm tempus hæc dicuntur. Naturâ verò ſimul ſunt quæcunque conuertuntur quidem ſecundùm eius quod eſt eſſe conſequentiam; ſed nequaquam alterum alteri eſt cauſa vt ſit, vt duplum & dimidium. Conuertuntur enim hæc. Nam cum duplum ſit, dimidium eſt; & cum dimidium ſit, duplum eſt; ſed neutrum alteri cauſa eſt vt ſit. Dicuntur autem Simul naturâ, quæ ſub eodem genere è diuerſo ab inuicem diuiduntur; vt volatile, greßibile, & aquatile. Hæc enim ab inuicem è diuerſo diuiduntur, cùm ſint ex eodem genere animalis. Horum enim nihil prius, vel poſterius eſt; ſed ſimul hæc naturâ eſſe videntur.*

Ariſtoteles.

Simul loco.

11. HIS tribus modis alij duo addi poſſunt. Vnus eſt *eſſe ſimul loco*; Quod dupliciter accipi poteſt: vel *intrinſecè*, quæ nimirum ſunt in eodem loco primo, lib. 5. Phyſ. text. 22. vt quodlibet corpus naturale, & quæ ei inſunt accidentia omnia eodem loco contenta: vel *extrinſecè*, inter quæ, ſcilicet

nihil

Digitized by Google

nihil eſt medium, quo modo à Philoſopho ſupra duorum corporum ſe ſe tangentium extrema ſimul eſſe dicuntur, quia inter ea nihil eſt medium.

ALTERVM eſt *ſimul æternitatis*, quo omnia tempora, & quæ in tempore ſimul non ſunt, æternitate tamen ſimul eſſe dicuntur; eò quòd æternitas, cum ſit ſimplex & infinita, tota ſimul ſit; nullumque in ea ſit ſucceſſionis & durationis prius & poſterius; nullum principium, nullus finis, nullum α & ω. Aduerte autem ea quæ ſecundo modo naturâ ſimul ſunt, non ſolùm ſecundùm conuertendi conſequentiam; ſed etiam conceptu & ratione ſimul eſſe, eaque per ſeſe inuicem definiri. Nam relata & naturâ, & conceptu ſimul ſunt, & vnum in alterius ratione ac definitione ponitur.

Quædam notanda ex prædictis inferuntur.

CAPVT VI.

1. PRIMVM eſt. Quòd cùm tam multi ſint, tamque diuerſi rerum ordines, quàm multæ & variæ ſunt prioris & poſterioris ſpecies; fit ſæpiſſime vt res vna & eadem non ſolùm plures diuerſaſque prioritates & poſterioritates habeat, diuerſoſque ordines ingrediatur; ſed etiam vt in vno ordine ſit prior aliâ, quâ eâdem in alio ordine ſit poſterior. Qui enim gradus v. g. in ſcalis ordine aſcenſus prior eſt alio, hoc eodem poſterior eſt in ordine deſcenſus; & qui primus in aſcenſu, in deſcenſu eſt poſtremus, vterque tamen ordo ijſqem gradibus conſtat. Similiter cùm ordines intentionis & executionis ijſdem planè rebus & partibus conſtent, quæ res in ordine intentionis & actus aliâ prior eſt, ordine executionis poſterior eſt; & primùm in intentione, vt vulgò dicitur, eſt vltimum in executione; & contra, primum in executione, eſt vltimum in intentione. *Idem alio prius in vno ordine, in alio ordine poſterius.*

2. VNDE non mirum ſi gloria & viſio Dei, ordine actus & intentionis ſit prima; & quæ prima gratia dicitur, illo ordine ſit vltima: contra ordine executionis & potentiæ hæc ſit prima, & gloria vltima non ſolùm tempore, ſed etiam ordine naturæ ſecundùm cauſalitatem materialem & effectiuam. *Primum in intentione. eſt vltimum in executione.*

Digitized by Google

Quamobrem cùm vna res dicitur prior & poſterior aliâ, ne nominis æquiuocatione & ordinum confuſione decipiamur, ſubtiliter diſtinguẽdum eſt, quâ prioritate ſit prior, & quâ poſterioritate ſit poſterior. Neque enim exiſtimandum eſt, omne quod verè eſt & dicitur prius alio, hoc eodem nullo modo eſſe poſterius; cùm vt ait Philoſophus 8. Phyſicorum textu 58. lib. 2. de partibus animalium cap. 1. & lib. 9. Metaph. textu 15. quæ generatione poſteriora ſunt, hæc naturâ ſint priora, id eſt actu & perfectione; & quod primum naturâ eſt, id vltimum ſit generatione: & S. Thomas 3. parte, quæſt. 62. art. 6. ad tertium *ſecundùm ordinem cauſæ formalis priores ſint naturaliter effectus poſitiui, quàm priuatiui; licet ſecundùm ordinem cauſæ materialis ſit è conuerſo*: forma enim non excludit priuationem niſi informando ſubjectum.

D. Thomas.

3. SECVNDVM, quòd cùm finis alius ſit *cui*, alius *cujus gratiâ*; vterque adhuc ſit duplex; vnus *agibilis vel factibilis* per medium quod eſt ejus gratiâ, vt ſanitas per pharmacum; Alter non *factibilis* per id quod ejus gratiâ, quo modo Deus eſt finis creaturarum omnium; Ordo mutuus cauſalitatis & dependentiæ, mutuaque prioritas & poſterioritas ſecundùm cauſalitatem inter finem & medium, locum tantùm habet inter medium & finem per illud agibilem & factibilem. Propterea Deus creaturarum omnium finis, nullâ earum poſterior eſt; ſed abſolutè & ſimpliciter illis omnibus prior eſt cauſalitate, duratione, dignitate, naturâ, exiſtendi conſequentiâ, omnique genere prioritatis realis.

Deus nullo modo poſterior vlla re creata.

4. TERTIVM, eas res, quæ ſibi inuicem cauſæ ſunt, mutuamque ad inuicem habent dependentiam, ſiue in eodem, ſiue in diuerſo cauſarum genere, vt materia & forma; medium & finis per medium agibilis, non ſimpliciter eſſe ſimul, vt exiſtimat Suarez 3. part. diſp. 6. ſect 5. Sed aliquem ſemper inter ſe retinere naturæ ordinem ſecundùm cauſalitatem; vnamque alterâ dicendam non eſſe ſimpliciter & abſolutè priorem; ſed cum limitatione in tali ſcilicet ordine, talique genere prioritatis; cum in altero ordine ſit poſterior. Quò fit vt decreta Dei de fine & medio, ab ijs qui eorum ordinem tanti faciunt ſic ordinanda ſint, vt quod vno modo, vnoque ordine altero prius eſſe dicitur: idem eodem in altero ordine poſterius dici debeat.

Quæ mutuò à ſe inuicem pendent, ſimul nõ ſunt.

Digitized by Google

Niſi fortè quia finis prima cauſarum eſt, ſaltem quoad cauſalitatem, decretum de fine abſolutè dicatur prius decretis de medijs eundem finem reſpicientibus.

5. ITAQVE non rectè ſentiunt Suarez ſupra, & nonnulli alij, qui Deum volentem medium & finem cum mutua vtriuſque dependentia, aſſerunt vtrumque ſimul velle, & nullo modo tunc intentionem finis dici poſſe priorem electione mediorum; aut contra. Licet enim volitio finis, & volitio medij in Deo æternitate ſimul ſint, imò nullus verè ac propriè inter eas ſit ordo ſiue intentionis, ſiue electionis; quia re idem ſunt, nullaque inter ejuſmodi actiones Dei interuenit diſtinctio & cauſalitas realis, vt pleniùs declarabitur poſtea: tamen cùm ordo, prioritas, ac poſteritas diuinis actibus ab ordine objectorum, vel noſtrorum actuum per denominationem extrinſecam ſolùm ab omnibus tribuatur; medium autem ac finis, quæ ſunt actuum diuinorumque objecta, quia mutuam, licet diuerſi generis, ad inuicem habent dependentiam, non ſimul, ſed priùs ac poſteriùs, diuerſo tamen genere, eſſe dicantur; propterea non tantùm noſtri intentionis & electionis actus; ſed etiam diuini, non ſimul, ſed ſe inuicem priores & poſteriores dicendi ſunt, idque per ſolam extrinſecam denominationem. *Suarez.*

6. QVARTVM, ad mutuum ordinem prioris & poſterioris naturæ ſecundùm cauſalitatem finis & medij, nihil prorſus referre, quicquid dicat Vaſquez 1. part. diſp. 82. cap. 5. An mutua hæc inter vtrumque cauſalitas ſit neceſſaria, an contingens: neque an media ſint naturalia, aut ſupernaturalia; moralia, & voluntaria, an non. Ratio eſt quia hic ordo mutuus, mutuaque prioritas inter finem & medium oritur ex ratione cauſæ & cauſati inter finem & medium. Igitur idem ſemper inter vtrumque erit ordo, ſiue naturalem & neceſſariam habeant à ſe inuicem dependentiam, ſiue contingentem & moralem ab agente & ordinante voluntariè conſtitutam. Diſcrimen ſolùm erit, non quoad ſpeciem ordinis vel prioritatis ac poſterioritatis; ſed ſolùm quoad modum intra eandem ſpeciem. Quando enim medium erit neceſſarium ad finem, vt reſpiratio ad vitam, ordo mutuæ prioritatis & poſterioritatis erit neceſſarius: quando contingens, vt ambulatio ad ſanitatem, contingens etiam & voluntarius erit ordo; quando ſupernaturalis

Cõtingentia & neceſſitas, Naturale & Morale non variant ordinem finis & medij.

erit dependentia, ſupernaturalis etiam ordo erit inter finem & medium.

Regula Gabrielis Vaſquez.

7. QVINTVM. Quas tradit regulas Vaſquez ſupra rectè ordinãdi decreta Dei, minùs rectas & bonas eſſe. Prima eſt. Deũ priùs ſimpliciter velle ſubjectum, quàm ejus formam accidentalem. Exempli gratiâ, velle priùs ſubſtantiam Petri, quàm ejus gloriam. Secunda. Volitionem mediorum priorem eſſe intentione efficaci finis, poſteriorem verò intentione ejuſdem inefficacis ac ſimplicis complacentiæ. Tertia, intentionem finis moralis priorem non eſſe electione mediorum ad ipſum obtinendum, quamuis finis naturalis intentio efficax prior ſit electione mediorum naturalium, vt abundantiam frumenti, pluuiâ, per quam fit, priorem eſſe intentionis ordine.

Improbãtur.

HÆ inquam regulæ bonæ non ſunt. Prima quidem, quia licet Petrus v. g. quatenus eſt ſubjectum, & cauſa efficiens, & finis cui gloriæ ſuæ, ſit prior ipsâ gloriâ; hæc tamen quatenus eſt actus, forma, & ſumma illius perfectio eodem prior eſt.

SECVNDA item falſa eſt, quia voluntas inefficax & ſimplicis complacentiæ boni alicujus vt ſic, non eſt intentio finis & boni per media acquirendi. Igitur nullis medijs cauſalitate prior dici poteſt. Deinde falſum eſt intentionem efficacem finis nullo modo priorem eſſe volitione mediorum, vt conſtat ex dictis.

TERTIA Item falſa eſt, quia rationes prioris & poſterioris, de quibus agitur, cùm ſumantur ex cauſalitate finis & medij: hæc autem in rebus moralibus æque reperiatur ac in naturalibus, eadem omninò ac neceſſariò erit ratio ordinis finis & mediorum vtriuſque generis.

8. DICERE autem quòd ſi intentio efficax finis moralis in Deo prior ſit volitione mediorum, voluntas humana in vſu mediorum, & in actionibus quibus tendit ad finem efficaciter à Deo intentum non erit libera; conſequentia eſt, quam nullo vnquam argumẽto euincet Vaſquez. Hæc enim intentio efficax finis in ſuo adæquato & formali conceptu aliud nihil dicit; quàm Deum nobis velle ejuſmodi finem, vt verè & à parte rei per media actu conſequendum; Præterea hanc efficacem Dei intentionem eſſe priorem electione mediorum aliud nihil eſt; quàm finem illum habere rationem cauſæ finalis reſpectu mediorum & actionum, quibus illum meremur & conſequimur:

Digitized by Google

at hoc non eſt imponere neceſſitatem voluntati circa ipſa media: igitur intentio efficax gloriæ in Deo prior volitione mediorum nihil prorſus lædit libertatem noſtræ voluntatis. Adde quòd cùm nihil efficaciter Deus decernat & præordinet, niſi etiam diſtinctè ſciat & decernat omnes & ſingulas ejus cauſas particulares, omneſque conditiones, circumſtantias & habitudines ſingulares, nulli vnquam abſolutè & efficaciter decernit dare gloriam; niſi etiam decernat determinatè modum, quo illi eam daturus eſt, videlicet, per merita propria & libera, ſi eſt adultus; vel ſine meritis, vt per baptiſmum, ſi eſt paruulus; alioqui imperfectè admodum decerneret & operaretur. Dicam ampliùs, ſi Deus, vt nos homines plerumque facimus, poſſet abſolutè & efficaciter velle finem aliquem, exempli cauſa, gloriam, non determinando ſuo illo decreto viam & modum quo eam tribueret; adhuc ei integrum eſſet dare illam homini; vel ſine vllis ſuis meritis, efficiendo vt poſt baptiſmum decederet; vel per merita & bona opera, quæ adultus liberè in gratia efficeret; imò vt ſtatuiſſet illum ſaluare per merita & opera libera, cùm innumera in ſua manu & poteſtate habeat, ex illa multitudine infinita meritorum, & bonorum operum poſſet quæ vellet eligere, nobiſque dare & efficere, vt per hæc, non per illa merita eam aſſequeremur. Igitur abſque vllo noſtræ libertatis diſpendio, electio efficax ad gloriam in Deo poteſt eſſe prior ſecundùm noſtrum intelligendi modum, electione mediorum, quæ dare nobis conſtituit ad illam aſſequendam.

9. SEXTVM. Quod ſicut inter ipſos ordines aſcenſus & deſcenſus in ſcalis nullus propriè eſt ordo, nulla habitudo prioris ad poſterius: tùm quia neuter eſt pars alterius, nec vllum tertium componunt ordinem: tùm quia re non differunt, cùm ijſdem omninò gradibus & partibus conſtent: tùm denique quia non dicunt habitudinem ad vnum aliquod primum, ex cujus comparatione vnus ordo ſit prior alio; ita ijſdem omnino de cauſis inter actus & potentiæ; finis & medij; intentionis, & executionis ordines in ijſdem rebus conſiſtentes, nullus propriè eſt ordo, nec vnus propriè altero prior, poſteriorue dici poteſt.

Nullus ordo inter ordines.

Quid ſit Ordo intentionis, & quid Ordo executionis, ſeu generationis.

CAPVT VII.

1. INTENTIO, vt docet D. Thomas 1. 2. quæſt. 12. art. 1. eſt actus voluntatis circa finem. Nam etſi interdum ſumatur id nominis latiùs prout idẽ eſt ac volitio quælibet; vnde quodcunque volumus hoc nos intendere dicimus: tamen quia, vt ait ibidem, ad quartum *voluntas reſpicit finem tripliciter. Vno modo abſolutè, & ſic dicitur voluntas prout abſolutè volumus ſanitatem, vel ſi quid eſt hujuſmodi. Alio modo conſideratur finis ſecundùm quod in eo quieſcitur, & hoc modo fruitio reſpicit finem. Tertio modo conſideratur finis ſecundùm quod eſt terminus alicujus, quod in ipſum ordinatur; & ſic intentio reſpicit finem: Non enim ſolùm ex hoc intendere dicimur ſanitatem, quia volumus eam; ſed quia volumus ad eam per aliquid aliud peruenire*: Propterea intentio propriè ſumpta eſt volitio finis ſeu boni per aliud obtinendi, vel boni, prout eſt terminus, quem intendit voluntas ſuo motu acquirere, & ad quẽ mouet alias animæ vires & operationes; ſiue ſit terminus ſimpliciter vltimus, ſiue vltimus tantùm ſecundùm quid. *In motu enim*, inquit, *D. Thomas ibidẽ art 2. poteſt accipi terminus dupliciter. Vno modo ipſe terminus vltimus in quo quieſcitur, qui eſt terminus totius motus: Alio modo aliquod medium quod eſt principium vnius partis motus, & finis vel terminus alterius; ſicut in motu quo itur de A, in C, per B: C, eſt terminus vltimus; B, autem terminus, ſed non vltimus; & vtriuſque poteſt eſſe intentio. Vnde etſi ſemper ſit finis, non tamen oportet quod ſemper ſit vltimi finis.* Itaque quando ſunt plura bona & media ita diſpoſita & ſubordinata, vt vnum ſit ad aliud tanquam ad finem, ſeu vnum ſit id cujus gratiâ eſt aliud, non ſolùm volitio vltimi eſt intentio; ſed etiam volitio cujuſlibet medij, quatenus eſt finis & terminus alterius prioris, qui eſt ejus gratiâ. Ex qua intentionum multitudine & ſubordinatione fit & conſtat ordo, qui intentionis dicitur.

Intẽtio quid ſit.

D. Thomas.

Digitized by Google

2. Iam verò quemadmodum *voluntas* ſumitur non ſolùm pro ipſa facultate, aut ejus actu; ſed interdum pro ipſo object o quod volumus, vt 1. ad Theſſ. 4. *hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra*; ita & nomen *intentionis* interdum accipitur pro re intenta ſeu volita per modum finis, ſiue vltimi ſimpliciter & reſpectu totius, ſiue vltimi ſecundùm quid & reſpectu alicujus partis tantùm. Vnde fit vt Ordo intentionis non ſolùm dicatur de noſtrarum volitionum ſeu intentionum ordine; ſed etiam de tota ipſa bonorum ſeriè & objectorum per modum cauſæ finalis ſubordinatorum multitudine, circa quàm intentiones voluntatis verſantur. Itaque in ordine intentionis debent eſſe multa ita ſubordinatè volita; vt vnum ſit finis alterius, hocque alterũ effectus finalis illius, præter illud cujus gratiâ ſunt cætera omnia, quodque eſt primum in illo ordine. Porrò etſi intentio ſit actus voluntatis circa bonum, vt eſt finis & terminus alterius boni ad ipſum ordinati; voluntatis tamen non eſt ordinare, ſed rationis *Voluntas quidem*, inquit S. Th. ſupra art 1. ad 3. *non ordinat, ſed tamen in aliquid tendit ſecundùm ordinem rationis; Vnde hoc nomen intentio nominat actum voluntatis præſuppoſitâ ordinatione rationis ordinantis aliquid in finem.*

Ordo intentionis ipſis rebus intẽtis attribuitur.

Intellectus eſt ordinare.

3. Hvic ordini *intentionis* alius ordo quem Ariſt. *generationis*, alij *electionis*, alij *executionis* vel *operationis* nominant, opponitur, ſuntque illi ordines perinde ac accliue & decliue; aut via Thebis Athenas, & Athenis Thebas; quæ re & ſubjecto idem ſunt, verùm ratione differunt, & opponuntur formaliter, adeò vt quæ pars viæ in accliui eſt prima, in decliui ſit vltima; & ex intermedijs partibus, quæ prior eſt in accliui, in decliui ſit poſterior: ita ordo intentionis & ordo executionis re & ſubjecto idem ſunt, ijſdemque conſtant partibus: at formaliter differunt, & ſic opponuntur; vt quod in ordine intentionis eſt primum, in ordine executionis ſit vltimum; pariterque intermedia omnia ſic ſe habent ad inuicem; vt quod in intentione eſt prius alio, hoc eodem in executione ſit poſterius: diuerſo tamen prioritatis & poſterioritatis genere. Nam quod prius eſt ordine intentionis, prioritate actus & perfectione prius eſt: quod verò prius eſt ordine executionis & operationis, prius eſt prioritate potentiæ & ſecundum cauſalitatem materialem. Quanquam quia operationes & media ſunt etiam cauſa effi-

Ordini intentionis opponitur ordo executionis.

Re idẽ ſunt.

Digitized by Google

Media quo genere prioris ſint priora fine.

ciens Phyſica, vel Moralis ipſius finis ſecundùm ſuum eſſe; cauſa autem efficiens reſpectu ſui effectus rationem aliquam actus habet; propterea ordo executionis & operationis ad ordinem actus ſecundùm cauſalitatem effectiuam pertinere poteſt. Tot enim, vt ſupra dictum eſt, ſunt diuerſi ſecundùm cauſalitatem ordines, quot diuerſa cauſarum genera.

Nō rectè appellatur ordo conſultationis.

4. Cæterum hunc generationis, executionis & electionis ordinem non rectè meo quidem judicio, *conſultationis* ordinem vocat Gabriël Vaſquez 1. part. diſp. 82. cap. 5. Conſultatio enim eſt opus intellectus, cùm ſit diſcurſus & inquiſitio rationis de medijs ad finem idoneis, quæ ignorantiam, vel dubitationem, & diuerſarum cogitationum ſucceſſionē requirit: electio vero, ſicut & intentio, opus eſt & actus voluntatis, qui ſæpe fit ſine vlla ſucceſſione, ignorantia, ac etiam ſine conſultatione. Nam de fine conſultatio abſolutè nulla eſt; de medijs etiam interdum nulla. Vt enim ait Philoſ. lib. 2. Phyſ. textu 86. *abſurdum eſt opinari non propter aliquid fieri, niſi videant ipſum mouens deliberaſſe, attamen etiam ars non deliberat.* Vnde Chriſtum ſuis in operibus, ſuaque electione mediorum nulla conſultatione vſum eſſe docet S. Thomas 3. parte quæſt. 18. art. 4. ad 1. & 2. eò quòd certiſſimam & indubitatam haberet de rebus omnibus cognitionem.

Quid ordo intentionis.

5. Ordo igitur intentionis eſt *Ordo ac diſpoſitio plurium ſecundùm rationem actus, & habitudinem cauſæ finalis ad effectum finalē:* ſeu eſt *plurium rerum diſpoſitio ſecundùm prioritatem & poſterioritatem cauſalitatis finalis.* Ordo verò executionis contra, eſt *Ordo plurium rationem & habitudinem materialis cauſæ & cauſati ad inuicem habentium*: ſeu *diſpoſitio plurium ſecundùm prius & poſterius potentiæ & cauſalitatis materialis, vel etiam cauſalitatis effectiuæ,* vt paulò ante dictum eſt.

Quid ordo executionis.

Ordo tēporis per accidens ſe habet ad prædictos ordines.

6. Notandum autem eſt quòd duobus illis ordinibus ordo temporis interdum adjunctus eſt, interdum non eſt. Non eſt, quando illa multa, quæ ejuſmodi ordines conſtituunt, ſimul tempore ſunt & fiunt, vt in prima mundi creatione, & cum Deus totum aliquod compoſitum ſimul eodem inſtanti producit. Cùm enim nullus tunc ſit ordo temporis, inſunt tamen ordines tùm intentionis & cauſalitatis finalis, tùm executionis & cauſalitatis materialis, quia ibi ſunt totum & partes, materia & forma;

Digitized by Google

& forma; ordine autem intentionis totum partibus, & forma materiâ prior eſt; contra verò partes toto, & materia formâ potentiæ & cauſalitatis materialis ordine prior. Vnde Verbum diuinum naturam humanam totam ſimul tempore aſſumendo, quædam tamen naturâ priùs, alia poſteriùs aſſumpſiſſe dicitur à S. Thoma 3. parte, quæſt. 6. art. 5. in Corp. & ad 1. *Verbum*, inquit, *aſſumendo partes humanæ naturæ aſſumpſit totam naturam humanam, & ſic aſſumptio partium eſt prior in via operationis, intellectu non tempore: aſſumptio autem naturæ eſt prior in via intentionis, quod eſt eſſe prius ſimpliciter.* *D. Thomas.*

7. SÆPIVS verò ordo temporis prædictis ordinibus tam ad intra, hoc eſt in ipſis actibus noſtræ voluntatis; quàm ad extra, hoc eſt in ipſo effectu ipſiſque rebus conjungitur; ſed diuerſimodè. Nam quod in ordine internorum noſtræ voluntatis actuum tempore prius eſt; illud in ordine externæ executionis poſterius eſt tempore: & quod in illo eſt tempore primum, in hoc eſt tempore vltimum. Noſtræ enim intentiones & operationes vt plurimùm ſucceſſiuè fiunt, & vna poſt aliam; cumque volumus aliquid agere, primùm etiam tempore cogitamus, & volumus finem: deinde ad cogitanda, ordinanda, & volenda media procedimus, ea priùs intendentes & volentes, quæ fini propinquiora ſunt; & ſic deinceps donec veniamus ad inquiſitionem & intentionem vltimi, quod in actione & executione eſt primum.

CVM autem illi ordines intentionis & executionis dupliciter, vt dictum eſt, accipi poſſint; vel *actiuè*, vt ſunt in intellectu, ſeu voluntate ordinantis, & agentis (Qui enim vult, ſeu intendit finem, & quæ ſunt finis gratiâ, vult etiam exequi media, quæ eligit ad illum finem) vel *paſſiuè*, pro ipſis objectis intentis, electis, ordinatis, ſuoque loco & tempore exequendis: inter eos hoc eſt diſcriminis, quod Ordo *paſſiuus* & ex parte objectorum, tam intentionis, quàm executionis, ſemper ſit ordo realis ſecundùm veram & realem cauſalitatem; eò quod finis & media ſemper realiter differant, ſeque inuicem realiter cauſent: Ordo verò *actiuus* tam intentionis, quàm executionis, qui eſt in ipſo ordinãte, in Deo quidem, nunquam ſit verus & realis ordo; quia Deus vno actu vult, intendit, eligit & ordinat omnia; vbi autem non eſt realis *Ordo actiuus non ſemper eſt realis, paſſiuus eſt.*

Digitized by Google

multitudo, ibi ordo realis locum nullum habere poteſt. In nobis verò qui communiter plures cogitationes & volitiones ſibi ſuccedentes circa finem & media exercemus, ſit verus & proprius ordo, interdum non ſit, cùm nimirum, vno eodemque actu finem, & media volumus; quod fieri poſſe oſtendit S. Thomas 1. 2. quæſt. 8. art. 3. his verbis, *cùm finis ſit ſecundùm ſe volitus; id autem quod eſt ad finem in quantum hujuſmodi, non ſit volitum, niſi propter finem, manifeſtũ eſt, quòd voluntas poteſt ferri in finem, in quantum hujuſmodi, ſine hoc quod feratur in ea quæ ſunt ad finem; ſed in ea, quæ ſunt ad finem in quantum huiuſmodi, non poteſt ferri, niſi feratur in ipſum finem. Sic ergo voluntas in ipſum finem dupliciter fertur, vno modo abſolutè ſecundùm ſe: alio modo ſicut in rationem volendi ea quæ ſunt ad finem. Manifeſtum eſt ergo quod vnus & idem motus voluntatis eſt, quo fertur in finem ſecundùm quod eſt ratio volendi ea quæ ſunt ad finem; ſed alius actus eſt, quo fertur in ipſum finẽ abſolutè, & quandoque præcedit tempore, ſicut cum aliquis primò vult ſanitatem, & poſtea deliberans quo modo poſſit ſanari, vult conducere medicum vt ſanetur.*

S. Thomas.

Idem realis actus & intentio & electio.

Idem habet quæſt. 12. art. 4. *Motus voluntatis*, inquit, *in finem, & in id quod eſt ad finem poteſt conſiderari dupliciter: vno modo ſecundùm quod voluntas in vtrumque fertur abſolutè & ſecundùm ſe, & ſic ſunt ſimpliciter duo motus voluntatis in vtrumque. Alio modo poteſt conſiderari ſecundùm quod voluntas fertur in id quod eſt ad finem propter finem, & ſic vnus & idem ſubiecto motus voluntatis eſt tendens ad finem, & in id quod eſt ad finem. Cum enim dico, volo medicinam propter ſanitatem, non deſigno niſi vnum motum voluntatis. Cuius ratio eſt, quia finis ratio eſt volendi ea quæ ſunt ad finem; idem autem actus cadit ſuper obiectum & ſuper rationem obiecti, ſicut eadem viſio eſt coloris & luminis.* Et ibidem ſolutione ad 3. *Motus qui eſt vnus ſubiecto poteſt ratione differre ſecundùm principium & finem, vt aſcenſio & deſcenſio 3. Phyſic. textu 21. ſic igitur in quantum motus voluntatis fertur in id quod eſt ad finem, prout ordinatur ad finem, eſt electio: motus autem voluntatis qui fertur in finem ſecundùm quod acquiritur per ea quæ ſunt ad finem, vocatur intentio. Cujus ſignum eſt quod intentio finis eſſe poteſt, etiam nondum determinatis ijs, quæ ſunt ad finem, quorum eſt electio.*

Digitized by Google

An eſſe poſſibile rei prius ſit, quàm eſſe actuale ejuſdem.

CAPVT VIII.

1. PLERIQVE recentiores Theologi abſolutè, & ſine vlla diſtinctione affirmant, vel ſupponunt rem ſecundùm ſuum eſſe poſſibile, priùs ſimpliciter eſſe, quàm ſecundùm ſuum eſſe actuale, ex quo nonnulli inferunt ſcientiam mediam in Deo admittendam eſſe, & ſcientiā ſimplicis intelligentiæ ſcientiâ viſionis priorē eſſe. Verum horum neutrum ex illo principio rectè ſequi, & ad propoſitæ quæſtionis ſolutionem, rectamque docendi methodum præſtare vti diſtinctione aliquâ tum *poßibilis*, tum *prioritatis*, perſpicuum erit ex ijs quæ modò dicturi ſumus.

2. NAM *poßibile* tribus modis ſumitur. *Primò*, vt opponitur impoſſibili, quod dicitur poſſibile abſolutè, & ſecundùm ſe, ſeu ex ſola terminorum habitudine, & conuenientia, cùm attributum non repugnat ſubjecto: ex Philoſopho 5. Metaph. text. 17. & S. Thoma 1. part. quæſt. 25. à 3. & quæſt. 46. art. 1. ad 1. Qui modus poſſibilis comprehendit ſub ſe, tam quod eſt actu, quàm quod eſt potentiâ, tam neceſſarium, quā contingens, eoque ſenſu etiam Deus eſt ens poſſibile ex 1. part. quæſt. 41. art. 4. ad 2. *Secundò*, poſſibile ſumitur vt opponitur eſſe actuali ejuſdem rei; quo modo roſa eadem, quæ æſtate eſt actu, hyeme tantùm habet eſſe poſſibile, & mundus antequam eſſet, ſic erat poſſibilis, quod poſſibile in ſuo conceptu negationem exiſtentiæ actualis inuoluit in eo, quod eius capax eſt, diciturque à nonnullis *poßibile relatiuum*, quia tale eſt per ordinem ad cauſas à quibus produci poteſt, cùm reſpectu earum à quibus non poteſt, impoſſibile dicatur, vt reſurrectio hominis reſpectu Angeli, ſolis, aut alterius agētis naturalis. Rem autem eſſe hoc modo poſſibilem, quædam ſolùm eius eſt denominatio extrinſeca, à cauſa exiſtente per quam produci poteſt, deſumpta. *Tertiò*, poſſibile ſumitur, vt opponitur neceſſario, ſiue ſit res actu exiſtens, ſiue non, ita Socratem ſcribere poſſibile dicitur, ſiue ſcribat, ſiue non,

Poßibile tribus modis ſumitur. abſolutè.

Relatiuè.

Contingens.

Digitized by Google

neutrum enim eſt neceſſarium, ſed contingens.

Revocanda præterea in memoriam ſunt diuerſa illa Prioris, & Poſterioris genera à nobis ſupra cap. 2. expoſita, nempè tempore, naturâ, ratione; aliaque ejuſmodi.

Eſſe poſſibile abſolutum quomodo prius.

3. Dico primò, rem ſecundùm eſſe poſſibile abſolutũ, priorem eſſe, & ratione, & naturâ ſecundùm exiſtendi conſequentiam, quàm ſecundùm ſuum eſſe actu, & eſſe potentiâ relatiuum, ſiue neceſſarium, ſiue contingens. *Ratione* quidẽ prior eſt, quia ſimplex ratione prius eſt compoſito, & eo cui additio facta eſt: at eſſe actu, vel potentiâ relatiuâ neceſſarium, & contingens addunt aliquid poſſibili abſolutè: igitur hoc illis ratione prius eſt. *Naturâ*, item, & conſequentiâ prius eſt, quia ab eſſe actuali, & poſſibili ei oppoſito: itemque ab eſſe neceſſario, & contingenti ad eſſe poſſibile abſolutè valet conſequentia, non è contra. Si quid enim eſt actu, vel poſſibile relatiuè, contingens, vel neceſſarium, illud verè eſt poſſibile abſolutè: non autem ſi eſt poſſibile abſolutè, rectè infertur illud eſſe actu, vel tantùm eſſe potentiâ, vel eſſe neceſſarium, aut eſſe contingens.

Eſſe actu quomodo natura prius eſſe poſſibile

4. Dico ſecundò, Eſſe actuale rei eſſe poſſibili ejuſdem ſibi oppoſito, & ratione & naturâ prius eſſe. *Primò*, quia in definitione eſſe poſſibilis ponitur eſſe actuale rei: id enim eſt poſſibile relatiuè, quod cùm actu non ſit, à ſua tamen cauſa exiſtente actu poni, & eſſe actuale acquirere poteſt, ſeu, vt habet Phil. 9. Metaph. tex. 7. poſſibile eſt, quod ſi ponatur actu, nihil erit impoſſibile. *Secundò*, quia vnumquodque à nobis primò cognoſcitur, non ſecundùm ſuum eſſe potentiale, ſed ſecundùm eſſe actuale: non enim quod eſt viſibile, & coloratum tantùm potentiâ, ſed quod eſt actu tale viſum noſtrum, atque adeò intellectum mouet: imò impoſſibile eſt nos videre; quod potentiâ tantùm coloratum eſt, & ſic de alijs.

5. Dico tertiò, Eſſe actuale rei vno quidem modo & ordine, ſcilicet, actus, perfectionis, & intentionis naturâ, & cauſalitate priùs eſſe, quàm ejus eſſe poſſibile. Actus enim naturâ prior eſt, & perfectior eâ potentiâ, quam informat, & perficit, & finis naturâ prior eo, quod eſt ad finem: eſſe autem actu reſpectu poſſibilis habet rationem finis, actus, & perfectionis. Alio verò modo, quatenus ſcilicet

Digitized by Google

cauſa efficiens natu â prior eſt ſuo effectu, ejuſque reſpectu habet aliquam rationem actus, eſſe poſſibile rei dici poteſt prius naturâ ſuo eſſe actuali, quia eſſe poſſibile hoc modo, aliud nihil eſt quàm eſſe rei in ſua cauſa, à qua produci poteſt: cauſa autem efficiens reſpectu ſui effectus, habet rationẽ actus, & majoris perfectionis.

6. Dico quartò, Prioritate temporis, & durationis eſſe poſſibile rei prius eſſe, quàm actuale ejuſdem, quando nimirũ cauſa à qua res produci poteſt, eam tempore præcedit. Ita cùm Deus æternitate prior ſit mundo, & ſol die, mundus ſecundùm ſuum eſſe poſſibile priùs fuerit, quàm ſecundùm ſuum eſſe actuale: idemque dicendum de die. Si tamen re corruptâ maneat cauſa, à qua iterum produci poſſit, hoc ſenſu eſſe potentiale rei, poſterius erit tempore eſſe actuali, quod habuit. *Eſſe poſſibile tẽpore priùs eſt eſſe actuali rei.*

7. Dico quintò. Neque ſcientiam in Deo mediam, neque ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ſcientiâ viſionis priorem eſſe, rectè inferri poſſe ex eo quòd eſſe actuale rei ſit ante, vel poſt naturâ, tempore, aut ratione eſſe poſſibili ejuſdẽ. Prima pars probatur, quia abſolutè nulla eſt, aut eſſe poteſt in Deo ſcientia media, vt oſtendemus poſtea. Igitur ex nullo principio ſiue vero, ſiue falſo deduci poteſt. Deinde quæ eſt hæc conſequentia? eſſe poſſibile rei ſiue liberæ, ſiue neceſſariæ antecedit eſſe actuale ejuſdem, ergo admittenda in Deo ſcientia media. Secunda pars probatur ex eo quod nulla Dei ſcientia à ſuo objecto pendeat, proindéque ab ejus prioritate, vel poſterioritate non magis prior, aut poſterior dici poſſit, quàm à calore v. g. quem nouit, calida, à candore candida, & ſic de alijs. Præterea abſolutè falſum eſt ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, naturâ, vel ratione, vel duratione priorem eſſe ſcientiâ viſionis, vt ſuo loco demonſtrabitur. *Nõ rectè infertur ſcientia media.*

8. Dico ſexto, In ſententia D. Thomæ exiſtentiam ab eſſentia re diſtinguentis, illam ordine actus priorem eſſe. Nam vt ait 1. part. quæſt. 4. art. 1. ad 3. *Ipſum eſſe eſt perfectiſſimum omnium. Comparatur enim ad omnia, vt actus. Nihil enim habet actualitatem, niſi in quantum eſt. Vnde ipſum eſſe eſt actualitas omnium rerum, etiam formarum, &c.*

Sitne Ordo inter generationem vnius ſubſtantiæ & alterius corruptionem, & quiſnam.

CAPVT IX.

1. CVM per corruptionem res in nihilum ac in non ens abeant, & innumeræ quotidie momentis ſingulis in mundo ſubſtantiæ naturales corrumpantur, quî fiat vt hic mundus, ex quo eſt, totus conſumptus, vel ſaltem magna ex parte inanis & vacuus non ſit, hanc rationem optimam reddit Ariſt. lib. 1. de generatione textu 16. quod vnius corruptio alterius ſit generatio, & vnâ cadente ſubſtantiâ exurgat altera, ſicque perpetuò plenus perſeueret.

Varia ſententia. VNDE occaſionem ſumpſere Philoſophi diſputandi de ordine vel temporis, vel naturæ, qui eſt inter corruptionem vnius ſubſtantiæ, & generationem alterius. Sunt enim qui putent inter eas nullum eſſe ſiue temporis ſiue naturæ ordinem, ſed ſimul eſſe. Alij contra vnius corruptionem tempore priorem eſſe alterius generatione. Alij vtramque mutationē non ſolùm ſimul, ſed realiter idem eſſe. Qui omnes rectè ex parte, & ex parte non rectè ſentire videntur.

De qua generatione & corruptione intelligendū axioma. 2. QVOD vt dilucidè & ordine declaretur, prænotandum rationem Ariſtotelis intelligendam ſolùm de generatione & corruptione ſimpliciter, & ſubſtantiali. Id enim diſertè affirmat ſupra textu 20. *eſt alterius generatio*, inquit, *ſemper in ſubſtantijs alterius corruptio & alterius corruptio, alterius generatio.* Nam perſpicuum eſt in generatione & corruptione *ſecundùm quid*, hoc eſt accidentali, non ſemper vnius generationem alterius eſſe corruptionem. Cùm enim generatur lumen in aëre, non propterea aliud accidens reale corrumpitur; nec quando hoc corrumpitur, aliud accidens generatur.

Dupliciter accipi generationem & corruptionē. Adæquatè. 3. ADMONENDVM præterea vtramque mutationem generationis & corruptionis ſimpliciter ſumi & comparari poſſe ad inuicem, vel adæquatè & ſecundùm omnia principia, quæ in qualibet per ſe & eſſentialiter includuntur

Digitized by Google

(quæ ſunt materia, forma, & priuatio, ſeu ſubjectum, terminus à quo, & terminus ad quem) vel inadæquatè, & vnam tantùm partem aut principium cum alterius parte & principio comparando. Quibus præmiſſis.

Inadæquatè

4. Dico primò. Inter vnius ejuſdemque mutationis terminos à quo, & ad quem, ſemper eſſe aliquem temporis ordinem & ſucceſſionem, ratione cujus vnus alio tempore prior eſt in eodem ſubjecto, alius poſterior. Ita Philoſ. lib. 5. Phyſic. text. 7. & probat ex ipſa nominis Etimologia *μεταβολὴ enim idem eſt ac μετ' ἄλλο τί. Manifeſtat*, inquit, *nomen. Poſt enim aliud aliquid: & aliud quidem prius ſignificat, aliud autem poſterius*, ſcilicet tempore in eodem ſubjecto. Deinde mutatio omnis eſt inter terminos oppoſitos priuatiuè. Generatio enim v. g. eſt ex non ente ad ens, & corruptio ex ente ad non ens, ſeu vt loquitur Philoſ. ſupra, illa eſt *ex non ſubjecto in ſubjectum*, hæc *ex ſubjecto in non ſubjectum* : priuatiuè autem oppoſita ſimul eſſe nequeunt in eodem ſubjecto. Ideoque præpoſitio *(ex)* in illis definitionibus poſita non efficientiam & cauſalitatem vnius termini ab alio, nec compoſitionem vnius cum alio, ſed ſolùm ordinem temporis, & ſucceſſionem vnius poſt alterum ſignificat, vt ex die nox, ex ſereno tempeſtas; inquit Philoſ. lib. 5. Metaph. textu 29.

Inter terminum à quo & ad quem eſt ordo temporis.

Ariſtoteles.

5. Sed hìc aduerte quod *prius* & *poſterius* ſiue naturâ ſiue tempore, cùm ſint modi & proprietates entis, & ijs ſolùm propriè conueniant, quæ ſunt, quæque naturam, eſſentiam & exiſtentiam habent; priuatio quæ formaliter eſt non ens ſeu negatio entis, non niſi abuſiuè & impropriè prior aut poſterior, ſiue naturâ, ſiue tempore dici poteſt : ſicut eâdem de causâ non niſi impropriè produci, induci, expelli, generari, corrumpi, manere, vel recedere à ſubjecto dicitur. Hæc enim propriè corporum ſunt vel formarum. Nihilominus, quia hæ omnes appellationes & denominationes communi loquendi vſu tribuuntur priuationi; quia hæc quodammodo forma eſt, lib. 2. Phyſic. tex. 15. quia à nobis concipitur per modum formæ contrariæ ſubjecto inexiſtentis; imò & ſæpe affirmatiuè & poſitiuè ſignificatur, vt notat Philoſ. lib. 5. Phyſic. tex. 9. (dicimus enim hominem eſſe cæcum, ſurdum, mutum &c.) quia ens & res rationis eſt, vt loquitur S. Thomas quæſt.

Priuatio abuſiuè prior & poſterior dicitur.

Digitized by Google

28. de Veritate art. 6. denique quia in ſuo conceptu connotat & obliquè includit ſubjectum, & in eo potentiam & aptitudinem ad formam, quæ potentia entis rationem & prioritatem ac poſterioritatem verè habet: propterea tempore prior aut poſterior formâ ſibi oppoſitâ dicitur, licet multò meliùs diceretur ſubjectum vel materiam priùs aut poſteriùs tempore eſſe ſine forma aliqua, quàm quod priuatio ſit aut non ſit in ea.

Nullus eſt ordo tẽporis inter prædictas mutationes.

6. Dico ſecundò. Inter ſubſtantiæ vnius generationem, & alterius corruptionem adæquatè ſumptas, nullum planè eſſe temporis ordinem, ſed ſimul eſſe. Ratio eſt quia illæ mutationes adæquatè ſimul ſunt tempore, quarum principia omnia ſunt ſimul tempore, & duratione: ita autem ſe habent generatio vnius ſubſtantiæ & corruptio alterius. Igitur licet vna ſubſtantia ſuccedat alteri, non tamen ſuccedentis generatio tempore prior eſt corruptione præcedentis. Major clariſſima eſt, Minor probatur, cùm enim vtriuſque mutationis tria ſint principia, nempe ſubjectum, quod eſt materia prima, & duo termini oppoſiti, à quo, & ad quem; materia quidem eadem eſt & vtrique mutationi communis; terminus autem à quo vnius ſimul eſt cum termino à quo alterius, & ſimul etiam termini ad quem vtriuſque. Cùm enim ſit ignis ex aëre, quo tempore in materia eſt terminus à quo corruptionis aëris, nempe forma aëris, in eadem eſt nõ ignis, terminus à quo generationis ignis, & quo inſtanti ac tempore eſt terminus ad quem generationis ignis, ipſa ſcilicet forma ignis, eſt non eſſe aëris. Igitur ſimul ſunt corruptio aëris & generatio ignis; & ſic de alijs.

Nullo inſtãti ſunt duæ formæ in materiá.
1. Argum.

7. Neqve verò propterea forma rei corruptæ vllo inſtanti reali in eadem materia ſimul erit, cum forma rei genitæ, vt volunt nonnulli recentiores; nam contrariũ potius inferendum eſt. Cùm enim terminus ad quem corruptionis ſubſtantiæ quæ corrumpitur ſit primum non eſſe illius, & terminus ad quem generationis ſubſtantiæ quæ generatur ſit primum eſſe formæ ejuſdem in eadem materia: ſi duo illi termini ſimul ſunt, vt dictum eſt, impoſſibile eſt formam corrupti in eadem materia ſimul eſſe cum forma geniti. Illa enim ſimul & eſſet & non eſſet.

8. Et

Digitized by Google

8. Et certè hujus nouæ opinionis falſitas ex multis alijs argumentis conuincitur. Si enim, vel vno inſtanti reali, duæ formæ ſimul ſunt in eadem materia, nihil cauſæ eſt, cur in eadem diutius ac ſemper ſimul non permaneant? Neque enim dici poteſt vnam alteri locum dare, quòd ejus diſpoſitiones pereant, non alterius. Ratio etenim eadem eſſe debet ipſarum diſpoſitionum accidentalium, ac formarum ſubſtantialium: Igitur ſi hæ ſimul eſſe poſſunt, etiam & illæ. Formæ enim accidentales ſeſe ab eodem ſubjecto æquè formaliter expellunt, ac ſubſtantiales. 2. *Argum.*

Deinde, quia ſi duæ formæ ſubſtantiales, vel vno inſtanti reali, ſimul in eadem materia conſiſtunt, illo inſtant duo erunt compoſita, duæque ſubſtantiæ naturales completæ. eademque materia ſimul erit ignis & aër, vinum & acetum viuens & non viuens; quod eſt abſurdum. 3. *Argum.*

9. Præterea, vt ſe habet corpus ad illud, in cujus locum ſuccedit, quodque ab eo expellit, ſic & forma ſubſtantiæ genitæ ad eam, quæ corrumpitur. Nam materia, vt volebat Plato, locus quodammodo formarum eſt, apud Philoſophum 4. Phyſic. textu 15. At duo corpora naturaliter nunquam eodem tempore ſimul ſunt in eodem loco, ſed ſemper vnum poſt alterum eundem locum occupat. 4. *Argum.*

10. Denique, ratio ob quam dicunt formam rei genitæ, & rei corruptæ inſtanti aliquo ſimul eſſe, vt nimirum forma rei genitæ alteram formaliter expellat, nulla eſt. Illa enim hanc formaliter expellere dicitur, non quòd eam à materia veluti extrudat, & quaſi foras propellat: hoc enim eſt non formaliter, ſed effectiuè formam expellere: ſed eam formaliter expellere dicitur, quia materiam, quam prior formaliter immediatè ante occupabat, poſterior immediatè poſt formaliter occupat, ſuáque informatione non eſſe prioris in illam materiam inducit.

11. Ex quo etiam obiter intelliges, falli Ioannem de Lugo diſp. 3. de Incarnatione ſect 2. num. 28. & ſeqq. cùm ait, Petrum donantem libertate Ioannem ſeruum ſuum per legitimam manumiſſionem; eo ipſo inſtanti, quo illum manumittit, facitque liberum, ejus adhuc dominum eſſe, & integram retinere de eo diſponendi facultatem: & ſi quidem cum *Noua doctrina Ioannis de Lugo*

ita manumittat, vt illo eodem tempore ejus ſe ſeruum faciat, ſimul, eodemque inſtanti ejus fore & ſeruum, & dominum. Quæ duo falſa, & impoſſibilia eſſe ex antedictis conſtat.

Refellitur.

Etenim cùm hæc manumiſſio, in Petro quidem ſit corruptio & abdicatio dominij in Ioannem, cujus corruptionis terminus à quo eſt dominium, terminus ad quem non dominium: in Ioanne verò eadem manumiſſio ſit motus quidã, quo à ſtatu ſeruitutis tranſit in ſtatum libertatis; cujus motus terminus à quo eſt ſeruitus, & libertas terminus ad quẽ: vnius autem ejuſdemque motus termini oppoſiti incõpoſſibiles ſint in eodem ſubjecto, impoſſibile planè eſt in Ioanne, cùm manumittitur, ſeruitutem & libertatem ſimul conſiſtere.

In omni motu duæ includuntur mutationes.

12. Deinde motus propriè ſumptus ex Philoſ. lib. 5. Phyſic. tex. 7. & 49. à mutatione propriè ſumpta differt, quòd motus ſit ex ſubjecto in ſubjectum, id eſt, inter duos terminos poſitiuos, ſeu affirmatiuè monſtrabiles; mutatio verò inter terminos priuatiuè oppoſitos, nempe ex non ſubjecto in ſubjectum, vt ex non calido in calidum; vel ex ſubjecto in non ſubjectum, vt ex calido in non calidum: quarum mutationum illa eſt generatio ſiue ſimpliciter, ſiue ſecundùm quid, hæc verò corruptio. Quò fit, vt in omni motu duæ includantur mutationes, quarum vna eſt abjectio & corruptio termini à quo, & altera acquiſitio ſeu generatio termini ad quem, vt inſinuat Ariſt. ſupra, & diſertè habet S. Thomas quæſt 28. de veritate art. 1. patetque inductione. In vno enim motu calefactionis aquæ, v. g. ſunt abjectio & corruptio frigoris, cujus termini oppoſiti ſunt frigus, & non frigus: & ſimul acquiſitio ac generatio caloris, cujus terminus à quo eſt non calor, terminus ad quem calor. Quæ duæ mutationes tempore ſimul ſunt, ſimulque eorum termini à quo, & ſimul termini ad quem: non tamen propterea in aqua tempore ſimul ſunt frigus & calor; ſed ſimul ſunt frigus & non calor, termini à quo: & ſimul calor ac non frigus, termini ad quem illarum mutationum. Itaque in motu manumiſſionis Ioannis duæ includuntur mutationes, nempe corruptio ſeruitutis, & generatio libertatis; quæ ſimul ſunt in Ioanne, non tamẽ ſimul libertas & ſeruitus: ſed cõtra ſimul ſunt ſeruitus & non libertas, & ſimul libertas & non ſeruitus, & quo tem-

Digitized by Google

pore libertas ponitur in Ioanne, eodem ponitur non ſeruitus.

Præterea. Relata ſimul ſunt naturâ exiſtentiâ & cognitione ſeque mutuò ponunt & tollunt: Ergo quando ſeruitus à Ioanne, etiam dominium à Petro tollitur, proindeque, quo tempore Petrus Ioannem manumittit, nullo modo amplius eſt ejus Dominus; ac ſi illo eodem tempore Petrus ſe Ioannis ſeruum conſtitueret, ejus tantùm eſſet ſeruus & non Dominus, & Ioannes Petri tantùm Dominus & non ſeruus. Nam manumiſſio Ioannis à Petro, in Ioanne quidem ſimul eſt extinctio ſeruitutis, & acquiſitio libertatis: in Petro autem eſt extinctio & corruptio dominij. Quid enim eſt Petrum manumittere Ioannem, quàm ſeipſum abdicare dominio & poteſtate, quam habet in Ioannem? ſimulque erit acquiſitio ſeruitutis in Petro, ſi ſe Ioannis ſeruum tunc conſtituat. Non tamen propterea vnquam ſimul erunt dominium & ſeruitus, ſiue in Petro, ſiue in Ioanne.

13. Dices non poteſt Petrus Ioannem manumittere & donare libertate, niſi quo tempore ejus eſt Dominus; alioqui quilibet alius Ioannis non Dominus eum manumittere poſſet: igitur quo inſtanti eum manumittit, & quando libertas aduenit Ioanni à Petro, ejus eſt Dominus. *Obiectio.*

Duplex ad hoc argumentum occurrit reſponſio. Prima, ſi bonum eſt, eo probari hominem qui ſe occidit, adhuc eſſe & viuere cùm non eſt, nec viuit ampliùs. Niſi enim ſit, & viuat, inquies, occidere ſe non poteſt, occiſione non ſolùm diſpoſitiuâ, quæ eſt ipſa vulneratio lethalis, ſed formali & completâ, de qua agitur, quæ eſt ipſa ejus mors & corruptio; cujus mutationis corruptiuæ terminus ad quem eſt ipſa ejus mors, & primum non eſſe ejuſdem: igitur tunc, & quando eſt mors, cujus eſt cauſa, adhuc eſt, & viuit. *Reſpõſio prima.*

14. Altera reſponſio duplici diſtinctione nititur. Prima, manumiſſionem dupliciter accipi poſſe. Primò *actiuè* pro ipſo actu interno voluntatis, quo Petrus vult, imperat, & facit manumiſſionem externam. Secundò *paſſiuè* prout manumiſſio, eſt motus ſeu tranſitus à conditione ſeruili ad ſtatum libertatis in Ioanne. Altera diſtinctio eſt, paſſiuam hanc manumiſſionem, de qua maximè agitur, non ſecus ac quemlibet motum, dupliciter accipi poſſe: vel *adæquatè*, quo modo vtrum- *Reſponſio ſecunda.*

que dicit terminum à quo, & ad quem, duplicemque in Ioanne mutationem; videlicet, extinctionem ſeruitutis, & acquiſitionem libertatis: vel *inadæquatè* pro altero tantùm ejus termino à quo, vel ad quem. Itaque ſi manumiſſio in propoſito argumento actiuè ſumatur, omnino non poteſt Petrus Ioannem manumittere legitimè, niſi ſit ejus Dominus, vt patet: ſi verò agatur de paſſiua manumiſſione, eâque inadæquatâ, & ſumptâ tantùm ex parte termini à quò, omnino etiam non poteſt manumitti Ioannes niſi Petrus tunc ejus ſit Dominus. At verò ſumptâ inadæquatè ex parte termini ad quem, id eſt, libertatis acquiſitæ, & extinctæ ſeruitutis, eo tempore, vel inſtanti, quo eſt illa manumiſſio, id eſt, ejus terminus ad quem, Petrus non eſt amplius Ioannis Dominus, ſed fuit toto tempore antecedenti, & in primo inſtanti libertatis Ioannis deſinit Petri dominium in Ioannem: quia ſimul & eodem omnino inſtanti ſunt corruptio Dominij in Petro, & acquiſitio ac generatio libertatis in Ioanne, quodque inſtans eſt primũ eſſe hujus; eſt vltimum, ſeu vt alij volunt, eſt primum non eſſe dominij Petri. Hæc doctrina donationi & tranſlationi dominij libri, aut cujuſuis alterius rei in alium applicari debet. Eſtque S. Thomæ multis locis, & maximè 1. 2. quæſt. 113. art. 7. ad 5. *In toto tempore præcedenti*, inquit, *quo aliquid mouetur ad vnam formam, ſubeſt forma oppoſita, & vltimo inſtanti, illius temporis, quod eſt primum inſtans ſequentis temporis, habet formam, quæ eſt terminus motus*. Cujus rei rationem pluribus explicat ibidem.

15. His omnibus adde in prædicta hypotheſi, nullum habere locum diſtinctionem prioris, & poſterioris naturæ in eodem inſtanti, eâque perperam omnino vti Ioannem de Lugo, vt ſe expediat à propoſita difficultate; quia diſtinctio hæc locum ſolùm habet in jis, inter quæ eſt aliqua dependentia in eodem inſtanti: at in Ioanne acquiſitio & libertatis propriæ, & dominij in Petrum; in hoc verò amiſſio libertatis propriæ, & dominij in Ioannem per accidens planè conjunguntur, nec inter eas eſt vlla habitudo cauſæ ad effectũ, vt patet. Ioannes enim poteſt fieri liber abſque eo, quod fiat Dominus Petri, & hic poteſt amittere dominium in Ioannẽ abſque eo, quod fiat ejus ſeruus, nihilque vnius mutatio con-

Digitized by Google

ditionis in aliam influit per ſe. Quare per accidens fit Petrus ex Domino Ioannis ſeruus; & hic ex ſeruo Dominus Petri.

Quomodo generatio & corruptio ſe inuicẽ priores ſint in diuerſo ordine.

16. DICO tertio. Naturæ ordine ſecundùm actum & perfectionem, priorem eſſe generationem vnius ſubſtantiæ corruptione alterius: contra verò ordine generationis & potentiæ, corruptionem vnius ſubſtantiæ naturâ priorem eſſe generatione alterius ſubſtantiæ.

Generatio ordine actus eſt prior.

PRIMA pars probatur, quia quod per ſe eſt, naturâ prius eſt eo, quod eſt per accidens: at generatio ſubſtantiæ à natura per ſe intenditur; corruptio verò non niſi per accidens. *Non enim agens naturale*, inquit, S. Thomas 1. parte quæſt. 19. art. 9. *intendit priuationem vel corruptionem, ſed formam, cui conjungitur priuatio alterius formæ, & generationem vnius, quæ eſt corruptio alterius. Leo enim occidens ceruum intendit cibum, cui conjungitur occiſio animalis.* Deinde cujuſuis mutationis perfectio & denominatio à termino ad quem petitur, ex Philoſ. lib. 5. Phyſic. textu 4. & 48. terminus autem ad quem generationis eſt ens & ſubſtantia, quæ naturâ prior & melior eſt nõ ente, & non ſubſtantiâ termino corruptionis. Nã vt ait Sapiens Eccleſiaſtæ 9. *melior eſt canis viuus leone mortuo*. Igitur generatio prior eſt corruptione ordine perfectionis.

Corruptio eſt prior ordine generationis

17. SECVNDA verò pars probatur, quia licet corruptio vnius ſubſtantiæ non ſit propriè cauſa generationis alterius, nihilominus quia non fieret generatio, niſi eſſet corruptio, & nunquam forma geniti materiam ingrederetur, niſi in ea eſſet priuatio formæ corrupti: priuatio autem cùm teneat ſe ex parte materiæ, quæ ordine potentiæ & generationis prior eſt formâ, propterea corruptio ſubſtantiæ illo modo & ordine naturâ prior eſt generatione alterius. Ita docet S. Thomas quæſt. 28. de veritate art. 7. *Quandocunque* inquit, *à materia vna forma expellitur, & alia inducitur, expulſio formæ præcedentis eſt prior naturaliter in ratione cauſæ materialis: Omnis enim diſpoſitio ad formam, reducitur ad cauſam materialem, denudatio autem materiæ à forma contraria, eſt quædam diſpoſitio ad formæ inceptionem: ſed in ratione cauſæ formalis prior eſt naturaliter formæ inductio, quæ formaliter perficit ſubjectum, & expellit contrarium.* Ex quo ſtatim infert, quòd in motu juſtificationis impij ſecundùm ordinem naturæ, ſimpliciter prior eſt

Digitized by Google

que dicit terminum à quo, & ad quem, duplicemque in Ioanne mutationem; videlicet, extinctionem ſeruitutis, & acquiſitionem libertatis: vel *inadæquatè* pro altero tantùm ejus termino à quo, vel ad quem. Itaque ſi manumiſſio in propoſito argumento actiuè ſumatur, omnino non poteſt Petrus Ioannem manumittere legitimè, niſi ſit ejus Dominus, vt patet: ſi verò agatur de paſſiua manumiſſione, eâque inadæquatâ, & ſumptâ tantùm ex parte termini à quò, omnino etiam non poteſt manumitti Ioannes niſi Petrus tunc ejus ſit Dominus. At verò ſumptâ inadæquatè ex parte termini ad quem, id eſt, libertatis acquiſitæ, & extinctæ ſeruitutis, eo tempore, vel inſtanti, quo eſt illa manumiſſio, id eſt, ejus terminus ad quem, Petrus non eſt amplius Ioannis Dominus, ſed fuit toto tempore antecedenti, & in primo inſtanti libertatis Ioannis deſinit Petri dominium in Ioannem: quia ſimul & eodem omnino inſtanti ſunt corruptio Dominij in Petro, & acquiſitio ac generatio libertatis in Ioanne, quodque inſtans eſt primũ eſſe hujus; eſt vltimum, ſeu vt alij volunt, eſt primum non eſſe dominij Petri. Hæc doctrina donationi & tranſlationi dominij libri, aut cujuſuis alterius rei in alium applicari debet. Eſtque S. Thomæ multis locis, & maximè 1. 2. quæſt. 113. art. 7. ad 5. *In toto tempore præcedenti,* inquit, *quo aliquid mouetur ad vnam formam, ſubeſt forma oppoſita, & vltimo inſtanti, illius temporis, quod eſt primum inſtans ſequentis temporis, habet formam, quæ eſt terminus motus.* Cujus rei rationem pluribus explicat ibidem.

15. His omnibus adde in prædicta hypotheſi, nullum habere locum diſtinctionem prioris, & poſterioris naturæ in eodem inſtanti, eâque perperam omnino vti Ioannem de Lugo, vt ſe expediat à propoſita difficultate; quia diſtinctio hæc locum ſolùm habet in jis, inter quæ eſt aliqua dependentia in eodem inſtanti: at in Ioanne acquiſitio & libertatis propriæ, & dominij in Petrum; in hoc verò amiſſio libertatis propriæ, & dominij in Ioannem per accidens planè conjunguntur, nec inter eas eſt vlla habitudo cauſæ ad effectũ, vt patet. Ioannes enim poteſt fieri liber abſque eo, quod fiat Dominus Petri, & hic poteſt amittere dominium in Ioannẽ abſque eo, quod fiat ejus ſeruus, nihilque vnius mutatio con-

Digitized by Google

ditionis in aliam influit per ſe. Quare per accidens fit Petrus ex Domino Ioannis ſeruus; & hic ex ſeruo Dominus Petri.

Quomodo generatio & corruptio ſe inuicē priores ſint in diuerſo ordine.

16. DICO tertio. Naturæ ordine ſecundùm actum & perfectionem, priorem eſſe generationem vnius ſubſtantiæ corruptione alterius: contra verò ordine generationis & potentiæ, corruptionem vnius ſubſtantiæ naturâ priorem eſſe generatione alterius ſubſtantiæ.

Generatio ordine actus eſt prior.

PRIMA pars probatur, quia quod per ſe eſt, naturâ prius eſt eo, quod eſt per accidens: at generatio ſubſtantiæ à natura per ſe intenditur; corruptio verò non niſi per accidens. *Non enim agens naturale*, inquit, S. Thomas 1. parte quæſt. 19. art. 9. *intendit priuationem vel corruptionem, ſed formam, cui conjungitur priuatio alterius formæ, & generationem vnius, quæ eſt corruptio alterius. Leo enim occidens ceruum intendit cibum, cui conjungitur occiſio animalis.* Deinde cujuſuis mutationis perfectio & denominatio à termino ad quem petitur, ex Philoſ. lib. 5. Phyſic. textu 4. & 48. terminus autem ad quem generationis eſt ens & ſubſtantia, quæ naturâ prior & melior eſt nõ ente, & non ſubſtantiâ termino corruptionis. Nā vt ait Sapiens Eccleſiaſtæ 9. *melior eſt canis viuus leone mortuo.* Igitur generatio prior eſt corruptione ordine perfectionis.

Corruptio eſt prior ordine generationis

17. SECVNDA verò pars probatur, quia licet corruptio vnius ſubſtantiæ non ſit propriè cauſa generationis alterius, nihilominus quia non fieret generatio, niſi eſſet corruptio, & nunquam forma geniti materiam ingrederetur, niſi in ea eſſet priuatio formæ corrupti: priuatio autem cùm teneat ſe ex parte materiæ, quæ ordine potentiæ & generationis prior eſt formâ, propterea corruptio ſubſtantiæ illo modo & ordine naturâ prior eſt generatione alterius. Ita docet S. Thomas quæſt. 28. de veritate art. 7. *Quandocunque* inquit, *à materia vna forma expellitur, & alia inducitur, expulſio formæ præcedentis eſt prior naturaliter in ratione cauſæ materialis: Omnis enim diſpoſitio ad formam, reducitur ad cauſam materialem, denudatio autem materiæ à forma contraria, eſt quædam diſpoſitio ad formæ inceptionem: ſed in ratione cauſæ formalis prior eſt naturaliter formæ inductio, quæ formaliter perficit ſubjectum, & expellit contrarium.* Ex quo ſtatim infert, quòd in motu juſtificationis impij ſecundùm ordinem naturæ, ſimpliciter prior eſt

Digitized by Google

gratiæ infuſio, quàm culpæ remiſſio; ſed ſecundùm ordinem cauſæ materialis eſt è conuerſo.

Quid Ordinis ſit inter gratiam, & contritionem in juſtificatione impij: & inter formam ac diſpoſitionem vltimam in generatione naturali.

CAPVT X.

1. HÆ duæ quæſtiones, diuerſi licet ordinis, diuerſarumque facultatum, conjunctæ nihilominùs & affines ſunt principijs, modoque eas exponendi: propterea eaſdem ſimul conjungimus cum S. Thoma 1. 2. quæſt. 113. art. 8. & quæſt. 28. de veritate art. 7 & in 4. diſtinctione 17. quæſt. 1. & 2. art. 5.

Non agitur de ordine temporis.

SVPPONO autem primo loco cum S. Thoma ſupra, eas res, de quarum inter ſe ordine hîc agitur, nullum habere temporis ordinem, ſed ſimul eſſe tempore. Eodem enim tempore, eâdemque duratione, & gratia à Deo infunditur, & contritio elicitur ab eo qui juſtificatur. Simul etiam tempore ac duratione forma ſubſtantialis, & vltima ad eam diſpoſitio in materiam introducuntur: Solùm ergo difficultas eſt de naturæ ordine.

Quo differat acquiſitio gratiæ & iuſtificatio impij.

2. SVPPONO præterea, juſtificationem impij differre à juſtificatione ſimpliciter, quòd hæc ſit tantùm mutatio & generatio ſecundùm quid gratiæ, quâ homo ex non juſto & grato Deo, fit formaliter Deo gratus per receptionem gratiæ: illa verò ſit motus, quo homo tranſit à ſtatu peccati in ſtatum gratiæ. Licet enim peccatum ſit non ens & priuatio, affirmatiuo tamen termino exprimitur; & hominẽ eſſe peccatorem, non minùs affirmamus, quàm eſſe cœcum, ſurdum, &c. quod ad verum motum ſufficit ex Philoſ. 5. Phyſic. textu 9. Quò fit, vt in motu juſtificationis impij duæ concurrant, ſeque inuicem comitentur mutationes: quarum vna eſt peccati remiſſio, ſeu mutatio à peccato ad non peccatum: Altera eſt juſtificatio, ſeu gratiæ acquiſitio, quæ eſt mutatio à non gratiâ ad gratiam. Nam vt ait, S. Thomas loco citato

Digitized by Google

de Veritate. *Si juſtificatio, accipiatur vt quidam motus, cùm oporteat eundem motum intelligi, quo peccatum auſertur, & juſtitia inducitur; idem erit juſtificatio, quod peccatorum remiſsio, ſolùm ratione differens, prout ambo eundem motum nominant, ſed vnum ſecundùm reſpectum à termino à quo, alium verò ſecundùm reſpectũ ad terminum ad quem. Si autem accipiatur juſtificatio per viam mutationis, ſic aliam mutationem ſignificat juſtificatio, ſcilicet juſtitiæ generationem; & aliam peccatorum remiſsio, ſcilicet, corruptionem culpæ: ſic autem juſtificatio & remiſsio peccatorum non erunt idem, niſi per concomitantiam.*

3. SVPPONO tertiò, hîc non agi de iſtarum mutationũ ordine: Is enim ex dictis cap. præcedenti ſatis intelligitur. Nam vt ait S. Thomas 1. 2. loco citato. *Cùm in juſtificatione impij quatuor requirantur, ſcilicet, gratiæ infuſio, motus liberi arbitrij in Deum per fidem, motus liberi arbitrij in peccatum, & remiſsio culpæ, hæc quatuor tempore quidem ſimul ſunt, quia juſtificatio impij non eſt ſucceſsiua,* ſcilicet, ex parte termini ad quẽ, nempe gratiæ, quæ tota ſimul acquiritur: *ordine tamen naturæ vnum eſt prius altero. Et primum naturali ordine eſt gratiæ infuſio: ſecundùm, motus liberi arbitrij in Deum: tertium, motus liberi arbitrij in peccatum; quartum eſt remiſsio culpæ, &c.*

IGITVR ſolùm quæſtio eſt de ordine naturæ inter gratiam & contritionem in ipſa juſtificatione impij, & inter diſpoſitionem vltimam & formam in generatione naturali.

4. DE qua hoc vniuerſim dici poteſt. Inter prædictas res, quæ ad inuicem comparantur, tantundem eſſe ordinis naturæ, quantùm cauſalitatis: proindeque cùm contritio ſit diſpoſitio ad gratiam, & accidentia naturalia ad formam ſubſtantialem; diſpoſitio autem teneat ſe ex parte materiæ; propterea & contritio in anima, & diſpoſitio vltima ad formam, in genere & ordine cauſæ materialis, naturâ priores erunt gratiâ, & formâ ſubſtantiali. Aliunde verò cùm gratia ſit forma virtutum, & actuum omnium, quibus conjungitur, erit in genere & ordine cauſæ formalis naturâ prior contritione. Similiter cùm forma ſubſtantialis ſit cauſa, ſi non formalis, ſaltem finalis diſpoſitionum naturalium, ordine actus & cauſalitatis finalis, naturâ prior erit ipſis diſpoſitionibus. *Diuerſo modo priores & poſteriores ſunt.*

5. SED quæſtio eſt. Num alio etiam ordine, vna alterâ prior

Digitized by Google

ſit aut poſterior. Certè D. Thomas loco citato de Veritate art. 8. ad 2. pro parte affirmatiua docet, contritionem per ſe quidem diſpoſitionem tantùm eſſe ad gratiam; eandem tamen, quatenus in ea virtus eſt clauium, ſiue in voto, ſiue vt actu pars eſt Sacramenti Pœnitentiæ, cauſam effectiuam inſtrumentalem eſſe gratiæ in anima. Sacramenta enim vult effectiuè producere gratiam, non ſolùm moraliter, ſed etiam phyſicè, vt inſtrumenta Dei.

IDEM autem eodem loco ſolutione ad tertium pro parte negatiua hæc habet. *Contritio eſt à libero arbitrio, & à gratia: Secundùm quod procedit à libero arbitrio, eſt diſpoſitio ad gratiam ſimul exiſtens cum gratia, ſicut diſpoſitio, quæ eſt neceſſaria, ſimul eſt cum forma: ſed ſecundùm quod eſt à gratia, comparatur vt actus ſecundus ad gratiam.*

SIMILITER cùm in ſententiâ D. Thomæ, qui defendit reſolutionem vſque ad materiam primam in generatione naturali, forma ſubſtantialis materiam nudam ingrediens ſuas omnes ex ſe fundat ac procreet diſpoſitiones, eædemque diſpoſitiones (ſiue reſolutio vſque ad materiam primam admittatur, ſiue negetur, & maneant, quæ antea productæ fuerant) tanquam inſtrumenta, non tantùm cauſæ primæ, aut cauſarum vniuerſalium, ſed etiam agentis principalis particularis, &, vt communiter loquuntur, accidentia in virtute ſubſtantiæ formam & ſubſtantiam producant; propterea juxta S. Thomæ doctrinam, & contritio gratiâ, & diſpoſitiones formâ ſubſtantiali, ordine cauſalitatis efficientis ſeſe inuicem naturâ priores & poſteriores ſunt.

QVOD quoniam pleriſque valde paradoxum, & impoſſibile videtur, ejus declaratio & confirmatio partim ex ſequenti capite, partim ex tertio ſupra petenda erit.

Poſſintne

Digitized by Google

Poſſintne cauſæ eſſe ſibi inuicem cauſæ, atque adeo ſe inuicem naturâ priores, & poſteriores, tum in eodem, tum in diuerſo cauſarum genere, & ordine.

CAPVT XI.

1. CONCEDVNT quidem communiter Philoſophi, cauſas ſibi inuicem cauſas eſſe quoad cauſalitatem. Quòd vt vulgò receptum, ita nolim omnino reprehendere, licet non adeo propriè dictum, eò quòd nulla cauſalitas, vt ſic, propriè & per ſe ab vllo cauſari poſſit: Tum quia aliud nihil eſt, quàm ratio formalis, quâ cauſa formaliter in eſſe cauſæ actualis conſtituitur; nulla autem cauſa, vt cauſa, ab vllo cauſatur, ſed ſolùm cauſat, & dat eſſe alteri: Tum quia cauſalitas non eſt vlla forma Phyſica, aut vllus modus realis à causâ, & cauſato re diſtinctus, ſed ſolùm forma quædam Metaphyſica, & abſtractum Metaphyſicum à causâ in actu, ſuo concreto, ratione ſeparatum, vt de actione, quæ cauſalitas eſt cauſæ efficientis, docuimus lib. de Hypoſtaſi cap. 53. Vnde & actio propriè non fit, ſed ſolùm eſt id, quo aliquid fit.

2. ALIVD igitur nihil volunt Philoſophi, cùm dicunt cauſas ſibi inuicem cauſas eſſe quoad cauſalitatem, quàm eas in cauſando ſe inuicem adjuuare. Neque enim cauſa efficiens naturalis ageret, niſi materia eam adjuuaret, recipiendo ejus actionem; & materia non cauſaret formam, niſi agens eam in illa produceret, ipſaque forma eandem informaret compoſiti naturalis conſtituendi gratiâ. Vnam autem cauſam aliam adjuuare, non eſt vnam eſſe cauſam alterius quoad cauſalitatem: alioqui equus adjuuans alium ad trahendum currum, & homo alterum ad ferendum onus, quod ſolus ferre non poſſet, illi cauſa eſſet ferendi oneris, & currum trahendi. Quod etſi communis loquendi vſus habeat, propriè tamen alter alteri aliquid agendi, ferendi, aut trahendi cauſa non eſt.

Quo ſenſu cauſæ ſibi inuicem cauſæ quoad cauſalitatem.

ITAQVE propriè quæſtio eſt de cauſis ſecundùm ſuam

Digitized by Google

realitatem & entitatem ſumptis, poſſintne ſibi inuicem eſſe cauſæ, ſiue in eodem, ſiue in diuerſo cauſarum genere. Plerique exiſtimant hoc eſſe impoſſibile. Contra quos.

Sunt ſibi inuicem cauſa quoad entitatem.

3. Dico primò, cauſas ſibi inuicem, quoad entitatem & realitatem, cauſas eſſe poſſe in diuerſo cauſarum genere. Ita Ariſt. lib. 2. Phyſic. tex. 30. *Sunt,* inquit, *quædam & ad inuicem cauſa.* Quod ſtatim exemplo probat, & declarat, *vt laborare*, inquit, *cauſa eſt bonæ habitudinis, & hæc laborandi: ſed non eodem modo: ſed hæc quidem vt finis, illud autem vt principium motus.* Idem habet lib. 5. Metaphyſic. tex. 2. Igitur ſicut labor ſeu exercitatio corporis eſt cauſa efficiens ſanitatis realis: Ita ſanitas realis: eſt cauſa finalis exercitationis realis. Idem docet S. Thom. alijque omnes Peripatetici in illa loca Ariſt. Idem etiam patet in materia & forma. Vt enim materia eſt cauſa materialis entitatis formæ, ſolâ rationali exceptâ, ita forma eſt cauſa & formalis, & finalis entitatis materiæ, cùm ſine ea ne diuinâ quidem virtute, vt cum D. Thoma ſentio, exiſtere poſſit, dicatque Philoſophus lib. 3. Phyſic. tex. 67. formæ eſſe continere materiam, & retinere, ne in nihilum recidat, aut ad aliam formam diffluat. Et S. Doctor 1. Part. quæſt. 75. art. 5. ad 3. *forma*, inquit, *eſt cauſa eſſendi materiæ, & agens.* Patet item in formâ ſubſtantiali & diſpoſitionibus ad illam. Hæ enim, vt dictum eſt cap. præcedenti, ſunt cauſa materialis formæ, ſine quibus in materia ſubſiſtere nequit; Forma verò earum eſt cauſa ſaltem finalis. Igitur poſſunt cauſæ ſibi inuicem cauſæ eſſe quoad entitatem in diuerſo cauſarum genere.

Ariſtoteles. *D. Thomas.*

In eodem genere ſibi inuicem cauſa eſſe poſſunt.

4. Dico ſecundò, Cauſas ſibi inuicem, quoad ſuas entitates, cauſas eſſe poſſe, etiam in eodem cauſarum genere Ita Ariſt. locis ſupra citatis. Abſolutè enim dicit quaſdam ad inuicem ſibi cauſas eſſe. Ac licet id confirmet exemplo cauſarum diuerſi generis, *vt laborare*, inquit, *cauſa eſt bonæ habitudinis, & hæc laborandi*; eò quòd propoſitio in cauſis diuerſi generis notior eſt, non propterea negat Axioma verum etiã eſſe in cauſis ejuſdem generis. Itaque qui putant id nolle Ariſtotelẽ, ex eo quòd hanc apponat particulam *ſed non eodẽ modò*, ij textum & verba Philoſophi non ſatis attentè conſideraſſe videntur. Hæc enim particula *ſed non eodem modo* allati

Explicatur locus Ariſt.

Digitized by Google

proximè exempli tantùm declaratio eſt, non autē axiomatis reſtrictio. Appoſita enim eſt, non immediatè poſt prædictum axioma, ſed poſt ſubjectum exemplum. Deinde eandem particulam *non eodem modo*, his verbis immediatè ſequentibus ita declarat. *Sed hoc quidem vt finis, illud autem vt principium motus,* quæ ſoli exemplo allato conueniunt. Atque hanc eſſe veram & germanam Philoſophi mentē vel ex eo ſole clarius eſt, quòd ibidem eandem habet particulam poſt exemplum allatum ad confirmandum illud aliud axioma, *Quod multæ ejuſdem rei poſſunt eſſe cauſæ per ſe, & non ſecundùm accidens; vt ſtatua & ars ſtatuaria, & æs, ſed non eodem modo; ſed hoc quidem*, nempe æs, *vt materia: Illud autem*, nempe ars, *vt vnde eſt motus.* At certum eſt ejuſdem rei poſſe eſſe multas cauſas per ſe ejuſdem generis, vt aurum, argentum, plombum, ſtatuæ; lapides, ligna, tegulæ, calx, arena, domus; elementa, ſyllabarum; ſyllabæ, dictionum; dictiones, orationis; & propoſitiones ac termini, ſyllogiſmi cauſæ materiales ſunt. Et Deus, Intelligentia, Cœli, Sol, Luna, ac plantæ particulares, & fructuū & aliarū plantarū ejuſdē ſpeciei cauſæ efficientes ſunt, & ſic de alijs. Igitur particula, *ſed non eodem modo*, neutrum axioma reſtringit ad cauſas diuerſi generis, ſed ſolū appoſita exēpla declarat.

Hanc noſtram aſſertionem directè habet & defendit Titelmanus in compendio ſuo naturalis Philoſophiæ lib. 2. cap. 7. *Profundiùs*, inquit, *conſiderando inuenire poterimus, vbi cauſæ eædem ſecundùm numerum ſibi inuicem ſint cauſæ. Eadem enim caliditas, quæ à calido; quod tenetur manibus, producitur, viciſſim conſeruat, in eo quod tenetur manibus, calorem. In eodem autem genere efficientis ſunt cauſa producens, & cauſa conſeruans. Vtraque enim cauſa, & producens, & conſeruans dicitur efficiens. Similiter etiam dicendum videtur in contemplatione rei jucundæ, quæ gaudium & lætitiam in animo producit, à qua viciſſim conſeruari ipſa rei jucundæ contemplatio videtur. Conſeruat enim contemplationis actum ſine faſtidio, & permanere facit in animo lætitia interior, quæ in eo inde exoritur.* Hæc ille. & Major in 1. diſt. 9. quæſt. vnica *Prius cauſalitate*, inquit, *vel ſecundùm cauſam dicitur illud, quod eſt cauſa alterius, & non è conuerſo. Et iſtud poteſt dupliciter intelligi, vel in eodem genere cauſæ, vel in diuerſis generibus: & ſic vnum poteſt eſſe cauſa alterius, & è conuerſo*

Titelmanus

Maior.

cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ.

2. *Argum.* 5. PROBATVR ſecundo, quia nullum inde abſurdum ſequitur, nullaque eſt implicantia. Si enim implicat vel quatenus ſunt cauſæ, hoc eſt ſecundùm rationem genericam cauſæ, vel quatenus tales cauſæ, nempe materiales, vel formales, vel efficientes, vel finales: Neutro ex capite repugnat. Non ex primo, quia ne quidem cauſæ diuerſi generis ſibi inuicem, cauſæ eſſe poſſent, quod falſum eſſe præcedenti concluſione monſtratum eſt. Nec etiam ex ſecundo capite, & ſecundùm rationes proprias cujuſque generis cauſarum. Id enim nullius cauſæ propriæ conceptum eſſentialem deſtruit. Deinde ſi quæ ſit repugnantia, proferatur. Tertiò inductione probatur per omnia cauſarum genera: ideoque.

Oſtenditur in cauſis materialibus. 6. DICO tertiò, Poſſe duas res ſibi inuicem eſſe cauſas in eodem genere cauſæ materialis. Priùs quàm id probetur, aduerte aliud eſſe *materiam primam*, aliud *cauſam materialem*: hæc enim latiùs patet materiâ, cùm & Angelus, & anima rationalis ſuarum facultatum, & actionum cauſæ materiales ſint, non tamen materia prima. Vnde & Philoſophus ſubjectum, & materiam diſtinguit lib. 1. Metaph. ſumma 2. cap. 1. Quod igitur quædam res ſibi inuicem cauſæ materiales eſſe poſſint, patet; quia accidentia & diſpoſitiones materiales reſpectu formæ ſubſtantialis, ac etiam ipſius compoſiti rationem cauſæ materialis habent, & viciſſim compoſitum eandem rationem cauſæ habet reſpectu earundem diſpoſitionum. Ipſum enim totum & compoſitum naturale ſubjectum eſt, non ſolùm denominationis, vt plerique putant, ſed etiam inhæſionis accidentium, quæ ei inſunt; Tum quia eſt id ex quo educuntur accidentia. Neque enim educuntur ex potentia materiæ, niſi actuatæ formâ ſubſtantiali: Tum quia ſicut totum agere dicitur, etiam ſi materia prima actiua non ſit; ita & totum pati ac recipere dicitur, licet per materiam tantùm, vnam ſui partem eſſentialem accidentia recipiat. Actiones enim, & paſſiones ſuppoſitorum ſunt & totorum: Tum quia Philoſophus lib. 1. de generatione tex. 24. hoc diſtinguit generationem ab alteratione, alijſque mutationibus accidentalibus, quòd harum ſubjectum ſit ens actu, & totum ſenſibile: illius verò ens potentia & nuda materia prima.

Digitized by Google

Denique accidentia omnia ex Philoſopho in Prædicamentis cap. de Subſtantia, de primis ſubſtantijs dicuntur, & eis inſunt tanquam in ſubjectis: igitur hæ ſunt cauſæ materiales accidentium.

7. Dico quartò, Poſſe duas res ſibi inuicem eſſe cauſas in genere cauſæ formalis. Etenim ipſa forma ſubſtantialis cauſa formalis eſt compoſiti naturalis, & viciſſim ipſum compoſitum naturale reſpectu ſuarum partium, rationem cauſæ formalis habet, ex Philoſopho lib. 2. Phyſic. textu 31. Deinde, vt nullum aliud nobis in rebus naturalibus occurrat exemplum hujuſce mutuæ cauſalitatis formalis, nihil tamen obſtare videtur, quominùs à Deo producantur duæ entitates, quæ ſeſe mutuò actuent, & perficiant per modum cauſæ formalis: idque fortè locum habet inter partes tam graduales qualitatum, quàm integrantes quantitatis continuæ: Duæ enim lineæ cùm ſibi inuicem junguntur, ſeſe perficiũt, habentque ad inuicem rationem actus & potentiæ. *Probatur in cauſis formalibus.*

Dico quintò, Poſſe duas res ſibi inuicem eſſe cauſas in genere cauſæ efficientis, etiam quoad ſuas entitates. Probatur, quia forma eſt cauſa efficiens & conſeruans ſuas diſpoſitiones, & viciſſim diſpoſitiones ipſæ ſunt cauſæ efficientes ac conſeruantes, ſaltem inſtrumentariæ ejuſdem formæ, ac totius compoſiti, vt inſinuat Philoſophus lib. 2. de Anima textu 39. vbi ait, animam eſſe cauſam augendi, & alendi, & continere, ac prohibere ignem, & terram, hoc eſt qualitates elementorum, quæ ſunt in viuente, ne diſtrahantur: & textu 47. ait, nihil quidem generare ſeipſum, ſed conſeruare: & manifeſtum eſt partes corporis viuentis ſe inuicem conſeruate. Deinde poteſt habitus actu aliquo effectiuè productus eundem numero actum, à quo productus eſt continuè conſeruare. Igitur ſicut manus manum fricat, & fornicis lapides ſeſe inuicem comprimentes, & duo pondera in ſtatera appenſa ſeſe inuicem ſuſtinent: ita duæ res interdum ſeſe inuicem effectiuè & producere & conſeruare poſſunt, quando à tertia aliqua ſuperiori cauſa pendent, eique ſubordinantur, & adhibentur ad ſeſe inuicem producendum. Denique hæc eſt ſententia Sancti Thomæ, vt patet ex dictis capite præcedenti de gratia & contritione, de forma & diſpoſitionibus. *Idem oſtenditur in cauſis efficientibus.*

8. Dico ſextò, Poſſe etiam duas res ſibi inuicem eſſe cauſas finales; Tum quia cùm cauſa efficiens agat finis gratiâ, ſi duæ res ſibi inuicem poſſunt eſſe cauſæ efficientes, poterunt & finales: Tum quia in rebus & negotijs moralibus, vt in emptione, & venditione, alijſque ferè omnibus contractibus, id accidit. Qui enim vendit librum, id facit, vt pecuniam accipiat; & qui dat pretium, vt accipiat librum; hocque ſatis indicant verba illa, quibus fere omnes contractus comprehenduntur, *do vt des, facio vt facias, do vt facias, facio vt des.*

Probatur in cauſis finalibus,

Ex his cōſtat poſſe duas res ſeſe inuicem naturâ priores eſſe ordine cauſalitatis tam ejuſdem, quàm diuerſi generis. Omnis enim cauſa naturâ prior eſt ſuo cauſato. Igitur ſi materia eſt cauſa formæ, & forma cauſa materiæ, ſeſe inuicem naturâ priores erunt: ſimiliter totum & partes ſeſe inuicem naturâ priores & poſteriores ſunt. Partes enim ſunt cauſa totius, quatenus ex illis conſtat, & Totum etiam ipſum eſt cauſa tum finalis, tum etiam formalis partium, ideoque ordine actus, perfectionis & intentionis naturâ prius eſt. *Perfectum enim naturâ prius eſt imperfecto* lib. 1. de Cœlo textu 12. Totum autem perfectius eſt ſuis partibus. Nam falſum eſt, quod ait Auerroës lib. 2. Phyſicorum commento 4. & lib 7. Metaph. textu 7. & 8. *forma eſt dignior habere hoc nomen, ſubſtantia, quā compoſitum; quoniam per illam compoſitum eſt in actu. Cauſa autē rei eſt dignior cauſato.* Vniuerſim enim hoc falſum eſt, cùm materia, nec forma toto compoſito dignior ſit. Deceptus autem videtur Auerroës prauâ lectione citati textus lib. 7. Metaphyſicæ. Ita enim legit, *Si forma eſt prior materiâ, & magis ens; & ipſo quoque, quod ex vtriſque, prior erit ob eandem cauſam.* Cùm longè meliùs & veriùs communis noſtra verſio ita habeat. *Si forma eſt prior materiâ, & magis ens; illud quoque, quod ex ambobus eſt, prius erit ob eandem cauſam.* Atque hoc obiter. In viam redeo, & dico, quòd ſi quis contendat, quæ in eodem cauſarum genere à ſe inuicem pendent naturâ ſimul eſſe, non magnopere repugnabo.

Refellitur Auerroës.

Obiectio 1.

9. Sed contra prædicta obijcitur primò. Priùs eſt rem eſſe, quàm cauſare. Igitur cauſari non poteſt ab eo, quod ipſa cauſat. Reſpondeo primò, Antecedens in causâ finali falſum eſſe. Victoria enim, quæ pugnæ, & ſanitas, quæ purgationis,

Reſponſio 1.

& forma ſubſtantialis, quæ diſpoſitionum cauſæ finales ſunt non ſunt actu, quando ſunt pugna, purgatio, introductio diſpoſitionum. Reſpondeo ſecundò, conceſſo ſimpliciter Antecedente, negandam eſſe Conſequentiam. Si enim valeret, probaret rem, quæ cauſat aliam, à nullo tunc cauſari, quia jam eſt. Reſpondeo tertiò, rem priùs eſſe, quàm cauſare, prioritate, non cauſalitatis, ſed ſecundùm exiſtendi conſequentiam, vt notat S. Thom. de veritate quæſt. 6. art. 2. ad 13. Si enim res cauſat, exceptâ causâ finali, igitur eſt, valet conſequentia; at verò ſi res eſt, ergo cauſat; non valet. Neutra autem prioritas obſtat, quò minùs res ab eo cauſari poſſit, quod cauſat. *Reſponſio 2.* *Reſponſio 3.*

10. Obiicitvr ſecundò. Si duæ res ſibi inuicem cauſæ eſſe poſſunt, ſiue in eodem, ſiue in diuerſo cauſarum genere, idem erit cauſa ſui ipſius. Quod enim eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati. *Obiectio 2.*

Distingvenda Conſequentia Antecedentis. Dupliciter enim aliquid alicujus cauſa eſſe poteſt. Primò per ſe & immediatè, vt cùm ignis ignem producit. Secundò mediatè & per aliud à ſe productum, quomodo ſilex chartam comburere dicitur per ignem à ſe excuſſum. Primo modo non poteſt idem eſſe cauſa ſui ipſius, quia cauſa & effectus re diſtincta eſſe debent; vnde definitur cauſa, *id quod dat eſſe alteri*: idem autem non eſt à ſe diuerſum. At ſecundò modo mediatè, & per aliquid à ſe productum, poteſt aliquid eſſe cauſa ſui ipſius; quomodo materia, quæ eſt cauſa formæ, à qua viciſſim cauſatur, ſui ipſius quodammodo cauſa eſſe poteſt, quod eſt per accidens tantùm ſui cauſam eſſe. Et certè manifeſtum eſt, quòd idem ſe ſe conſeruare poteſt, per vnam ſui partem aliam conſeruando. Ita in corpore humano partes omnes ſeſe inuicem conſeruant. Porrò Axioma illud commune, *Quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati* intelligitur propriè de cauſis per ſe ſubordinatis, & quarum vna in agendo & operando ita ab alia pendet, vt ſine ea agere nequeat, quo pacto ſol eſt cauſa effectuum naturalium, qui ab agentibus ſublunaribus producuntur. *Reſponſio.*

11. Obiicitvr tertiò. Si quod cauſat aliud, ab eo cauſari poteſt, nullum erit argumentum, quo Philoſophi ac Theo- *Obiectio 3.*

Digitized by Google

logi probant dari aliquam cauſam primam, quæ à nulla alia pendeat. Sic enim licebit argumentari. Duæ res poſſunt ſibi inuicem eſſe cauſæ efficientes: Deus autem eſt cauſa efficiens Solis, Lunæ, atque adeo Mundi vniuerſi. Igitur à Mundo Deus effici poterit, proindeque nulla erit cauſa prima.

Reſponſio. MIROR viros alioqui doctos hoc argumentum tanti facere, quod ne quidem argumentum eſt, cùm ſit ex puris particularibus, nulluſque in eo terminus diſtribuatur, ſeu *vniuerſaliter* accipiatur, vt loquitur Philoſophus. Neque enim dicimus omnem cauſam efficientem à ſuo effectu effici poſſe, ſed ſolùm contingere aliquando, quaſdam res ſeſe inuicem efficere, vel conſeruare effectiuè, vel in alio genere cauſæ à ſeſe inuicem pendere, præſertim quando vtraque à tertia aliqua cauſa ſuperiore agitur, & dependet. Et certè ſi valeret argumentum, probaret ne quidem in diuerſo genere cauſæ poſſe duas res ſibi inuicem cauſas eſſe, quod tamen ferè omnes concedunt. Sic enim aliquis argumentaretur. Poſſunt duæ res, duæque cauſæ ſibi inuicem eſſe cauſæ in diuerſo genere cauſæ: Deus autem, & materia prima ſunt duæ res, & cauſæ duæ; Igitur Deus qui eſt cauſa efficiens materiæ primæ, ab ea in genere cauſæ materialis cauſari poterit. Itaque vt conceſsâ tum Maiore tum Minore hujus argumenti, ejuſdem neganda eſt concluſio: ſic & alterius, quia, vt dictum eſt, vtrumque eſt ex puris particularibus; ideoque nihil concludunt.

Quomodo Actus Potentijs, & vtriſque Objecta priora ſint, & non ſint.

CAPVT XII.

1. *Ariſtoteles.* ACTVRVS Ariſtoteles de Potentijs animæ lib. 2. de Anima, textu 33 admonet, quid quælibet ſit, exponi non poſſe, niſi propriâ cujuſque operatione priùs cognitâ: & quid item hæc ſit, dici non poſſe, incognito cujuſque objecto proprio. Cujus ordinis in docendo rationem reddit his verbis. *Si oportet dicere*

quid

quid vnumquodque ipſorum, vt quid intellectiuum, & ſenſitiuum, aut vegetatiuum: priùs adhuc dicendum, quid ſit intelligere, & quid ſentire. Priores enim actus potentijs, & operationes ſecundùm rationem ſunt. Si autem ſic; his autem adhuc priora obiecta oportet conſideraſſe, de illis primùm vtique oportebit determinare propter eandem cauſam, vt de alimento, ſenſibili, intelligibili. Idem ferè habet in Prædicamentis cap. 5. de ijs quæ ad aliquid, vbi ait ſcibile ſcientiâ, & ſenſibile ſenſu naturâ prius eſſe. Quod Ariſtotelis dictum quomodo accipiendum ſit, & quâ prioritate actus potentijs, & objecta vtriſque priora ſint; & an vniuerſaliter verum ſit, objectum actu & potentiâ prius eſſe, an tantùm in materia, de qua tunc agebat, nobis hîc declarandum eſt: quòd hoc axioma longiſſimè pateat, & ex eo non rectè intellecto, plerique paſſim à veritate aberrent. Cujus rei gratiâ nonnulla prænotanda ſunt.

2. PRIMVM, Potentiarum, ex Philoſ. lib. 9. Metaph. textu 3. & 10. quaſdam eſſe in rebus inanimatis, vt potentia calefaciendi in igne, quaſdam in ſubſtantijs animatis: & harum alias eſſe à natura inſitas, vt potentia nutritiua, ſenſitiua, intellectiua, appetitiua, & loco motiua; alias acquiſitas vel vſu & conſuetudine, vel doctrinâ, vt artes & ſcientiæ, alijque habitus acquiſiti. *Omnes artes*, inquit, *& factiua ſcientiæ, Potentiæ ſunt. Principia enim tranſmutatiua in alio, vt aliud eſt.* Præterea Potentiarum quaſdam eſſe actiuas actu tranſeunte, vt nutritiua, quæ agit in alimentum, alias actiuas actu immanente, vt intellectus & ſenſus, quæ etiam agunt actione tranſeunte, prout ſunt cauſæ, & principia operationum externarum, v. g. locutionis, ambulationis, & aliorum operum, tum naturalium, tum artefactorum. Denique quaſdam eſſe Potentias paſſiuas ab objecto ſuo, vt ſenſus à ſenſibili, viſus à viſibili: alias actiuas & productiuas ſui objecti, vt nutritiua, & generatiua, & ea quâ auis nidum, homo domum, gladium, librum, & ſimilia efficit. *Potentiarũ diuiſio.*

3. SECVNDO, reuocanda in memoriam ſunt diuerſa Prioris & Poſterioris genera à nobis ſupra cap. 2. enumerata, *tempore, naturâ, ratione*, &c. Tertiò ſcientiam & ſcibile, ſenſum & ſenſibile, (idemque exiſtimandum de alijs potentijs & objectis) ex Ammonio, Simplicio, Porphyrio, & Auerroë *Scientia & ſenſus ſumi poſſunt.*

Digitized by Google

in caput 3. Prædicamentorum, vel etiam ex ipſomet Ariſt. ſub finem capitis ſequẽtis, de Qualitate & Quali, dupliciter conſiderari poſſe. Primò *abſolutè* & vt qualitates quædam ſunt. Senſus enim v. g. qualitas eſt, & naturalis quædam potentia, à quo animal denominatur ſenſitiuum, ſeu potens ſentire. Similiter album, nigrum, lumen, ſonus, odor, calor, frigus, & ſimilia patibiles ſunt qualitates; ſcientia item eſt qualitas afficiens, & qualificans ſuum ſubjectũ, illudque denominans ſciens, actu, vel habitu. Secundò ſenſus & ſenſibile ſumi poſſunt *relatiuè* ad inuicem. Nam ſenſus eſt alicujus ſenſibilis ſenſus; & ſenſibile eſt aliquo ſenſu ſenſibile: ſcientia item eſt alicujus ſcibilis ſcientia, ac ſcibile eſt ſcientiâ aliquâ ſcibile. Potentiæ igitur, & earum objecta, & abſolutè, vt entia abſoluta, & relatiuè ad inuicem conſiderari poſſunt.

Abſolutè. *Relatiuè*

4. Dico primò, Potentias paſſiuas, id eſt, quæ mouentur à ſuis objectis, & ab eis aliquid recipiunt, vt ſenſus, intellectus, appetitus tam rationalis, quàm ſenſitiuus, ſuis actibus, & operationibus tempore, exiſtendi conſequentiâ, & cauſalitate, tum effectiuâ, tum materiali priores eſſe.

Qua prioritate potẽtiæ priores ſunt ſuis operationibus.

Tempore quidem. Fiunt enim & generantur, cùm animal, vel homo generantur; animal autem, non ſtatim atque animal eſt, vigilat, audit, ſentit; nec homo ſtatim atque eſt, ratiocinatur, & voluntate appetit.

Tempore.

Existendi conſequentiâ priores ſunt ſuis actibus. A potentijs enim ad actus non valet exiſtendi conſequentia: valet autem ab actibus ad potentias. Poſitis enim actibus neceſſariò ponuntur potentiæ, at poſitis potentijs non propterea ſunt actus: & contra ſublatis potentijs tolluntur actus; actibus verò ſublatis, non tolluntur potentiæ.

Exiſtendi conſequẽtiâ.

Denique naturâ, & cauſalitate effectiuâ priores ſunt illis. Hi enim ab illis effectiuè pendent. Ac etiam prioritate materiali, & generationis: tum quia illi actus in eis recipiuntur; tum quia, vt dictum eſt, generatione priores ſunt. Tum denique quia quod ineſt alicui ſecundùm ſe, prius ei ineſt, quàm quod ei ineſt dependenter ab alio extra ſe. At actus & operationes ejuſmodi potentiarum pendent ab objectis, vt dicetur infra.

Cauſalitate effectiuâ & materiali.

5. Dico ſecundò, prædictis Potentijs contra earum actus

Digitized by Google

priores eſſe ordine rationis, ſeu prioritate cognitionis, tum etiam ordine actus, & perfectione, id eſt, prioritate naturæ ſecundùm cauſalitatem, tam formalem, quàm finalem.

PRIMA pars, quòd ſcilicet ratione priores, nobiſque notiores ſint actus potentijs,

PROBATVR primò, quia vniuerſim loquendo actus nobis notior eſt potentiâ, vt ait Ariſt. lib. 9. Metaph. tex. 13. *Prior*, inquit, *actus* eſt ſupple *potentiâ & ratione & ſubſtantiâ, tempore verò quodammodo quidem eſt, quodammodo non. Quòd autem ratione prior, patet. Cui enim ineſt operari, id primò potens eſt* (quaſi diceret, operari, quod eſt actus, ponitur in ratione & definitione potentiæ, vt ſtatim exemplis oſtendit) *vt puta,* inquit, *ædificatiuum quod poteſt ædificare, & viſiuum quod poteſt videre, & viſibile quod poteſt videri, eadem quoque de cæteris ratio eſt. Quare neceſſe, vt ratio præcedat, & notitia notitiam. Tempore autem prius, ſic, quòd idem ſpecie agit priùs, numero verò non. Dico autem hoc, quòd eo quidem homine, qui actu jam eſt, & frumento, & vidente, prior tempore materia, & ſemen, & viſiuum eſt, quæ potentiâ quidem homo, & frumentum, & videns ſunt; actu verò nondum: ſed his alia actu exiſtentia, à quibus hæc facta fuerint, tempore priora ſunt. Semper etenim ex eo, quod potentiâ eſt, fit actu ens ab actu exiſtente, vt homo ex homine, muſicus ex muſico, ſemper aliquo primo mouente: mouens autem actu jam eſt.*

6. SECVNDO, quia Potentiæ cognitione priores, nobiſque notiores ſunt ipſâ animâ: Tum quia proprietates rerum, vt plurimùm, nobis notiores ſunt ipſâ rei eſſentiâ, ac formâ, à qua fluunt: Tum quia propterea ipſæ potentiæ nobis animâ notiores ſunt, quia, vt potentiæ per actus, ſic anima per potentias cognoſcitur. Vnde & animam rationalem eſſe ſpiritualem, & independentem à materiâ cognoſcimus, quia intellectus, propria ejus potentia, immaterialis eſt; quod colligitur ex ejus operatione & intellectione: cuius præterea immaterialitas cognoſcitur ex objecti ſui immaterialitate, vniuerſalitate, & abſtractione, tanquam ex principio quodam notiori. Idemque Philoſophus lib. 1. de Anima tex. 19. proponens methodum inueſtigandi animæ eſſentiam. *Principium* inquit, *quæſtionis præponere, quæ maximè videntur ipſi ineſſe ſecundùm naturam. Animatum, igitur ab inanimato duobus maximè dif-*

Potẽtiæ notiores ipſá animá.

Digitized by Google

ferre videtur, motu, & ſenſu, & lib. 2. textu 6. & 24. in vtraque definitione animæ, actum & operationem ejus, nempe vitam, ſenſum, motum & intellectionem ponit: & lib. 9. Ethic. cap. 9. probat nos cognoſcere, & appetere eſſe, quia cognoſcimus nos operari. *Qui videt*, inquit, *ſentit ſe videre, & qui audit ſe audire, & ſe ambulare qui ambulat, atque in alijs ſimili modo quiddam eſt, quod ſentit nos operari: ſentire verò poſſumus nos ſentire, & intelligere nos intelligere. Nos ſentire autem & intelligere, nihil aliud eſt, quàm nos eſſe, &c.*

7. Tertio, quia bona definitio debet eſſe ex prioribus & notioribus nobis, vt probat Philoſ. lib. 6. Top. loco 17. *Aſſignatur enim*, inquit, *terminus* (id eſt definitio) *eius quod dicitur, cognoſcendi gratiâ. Cognoſcimus autem non ex quibuſlibet; ſed ex prioribus & notioribus, quemadmodum in demonſtrationibus. Sic enim omnis doctrina & diſciplina ſe habet.* At ex Diuo Thom. lib. 2. de Anima, lectione 6. *ſecundùm rationem definitiuam*, inquit, *actus & operationes ſunt priores potentijs. Potentia enim hoc ipſum quod eſt, importat quandam habitudinem ad actum. Eſt enim quoddam principium agendi. Vnde oportet quòd actus ponantur in definitionibus potentiarum*, idemque poſtea oſtendit de objectis.

Definitio eſt ex prioribus.

8. Secunda pars, quòd ordine actûs & perfectionis ijſdem potentijs actus priores ſint, probatur: tum quia omnis actus informans prior eſt perfectione potentiâ, in qua recipitur: tum quia finis eſt perfectior eo, quod eſt ad finem, actus autem eſt finis potentiæ. Quâ ratione vtitur Ariſt. lib. 9. Metaphyſic. textu 16. *finis*, inquit, *actus, & huius gratiâ potentia ſumitur. Non enim vt viſum habeant, animalia vident; ſed vt videant, viſum habent: ſimiliter etiam ædificatiuam* (ſupple potentiam) *vt ædificent, & ſpeculatiuam vt ſpeculentur, non, vt ſpeculatiuam habeant, ſpeculantur.*

Quo ordine actus priores ſint potentijs.

9. Dico tertiò, ordine temporis, naturæ, & cognitionis objecta priora eſſe potentijs paſſiuis, earumque actibus. Tempore quidem, quia vt ait Ariſt. in Prædic. cap. de ad aliquid, *Senſibile ante animal aut ſenſum eſt. Ignis enim & aqua, & alia hujuſmodi, ex quibus animal conſtat, ante ſunt, quàm animal omnino ſit, aut ſenſus: quare prius ſenſibile, quàm ſenſus eſſe videbitur.* Clarum enim eſt lumen, & colorem ante viſum, & ſonum ante

Quo ordine obiecta priora ſint potētijs paſſiuis Tempore.

Digitized by Google

auditum; & intelligibile ac appetibile, ante intellectum, aut appetitum noſtrum eſſe.

10. NATVRÆ item ordine objecta priora eſſe, probatur, quia actus naturâ & perfectione prior eſt potentiâ, & agens patiente, & potentia actiua paſſiuâ: objectum autem reſpectu potentiarum paſſiuarum animæ habet rationem actus, ſiue ad eas comparatur, vt actiuum ad paſſiuum, ex Philoſ. lib. 2. de Anima à textu 54. ad 63. eodemque modo ſe habet intelligibile ad intellectum, & appetibile ad appetitum lib 5. de Anima tex. 54. Quâ ratione vtitur S. Thom. lib. 3. contra gentes cap. 26. ad idem probandum. *In omnibus potentijs*, inquit, *quæ mouentur à ſuis objectis, objecta ſunt naturaliter priora actibus illarum potentiarum; ſicut motor naturaliter prior eſt, quàm moueri ipſius mobilis; talis autem potentia & voluntas. Appetibile enim mouet appetitum : objectum igitur voluntatis eſt prius naturaliter, quàm actus ejus, &c.* *Naturâ.*

11. DENIQVE cognitionis ordine nobis priora & notiora ſunt objecta ipſis potentijs paſſiuis, earumque operationibus: Tum quia actus nobis notior eſt potentiâ, cùm cognitio maximè ſit ab actu: objecta autem, vt ante dictum eſt, reſpectu potentiarum ejuſmodi habent rationem actus, *ſenſitiuum enim*, inquit, Philoſophus lib. 2. de Anima tex. 62. *potentia eſt tale, quale jam actu ſenſibile, ſicut dictum eſt:* Tum quia objecta ſunt magis ſenſibilia, noſtriſque ſenſibus viciniora. Omnis enim noſtri intellectus cognitio à ſenſu initium ducit: Tum denique quia definitio, vt ante dictum eſt, debet eſſe ex prioribus & notioribus nobis: objecta autem ponuntur in definitionibus potentiarum, & actuum earundem. Igitur. *Ordine rationis priora ſunt obiecta paſſiuis potentijs.*

12. DICO quartò, Potentias actiuas naturales, vt vegetatiuam, augmentatiuam, generatiuam in viuente, ordine temporis ſuis actibus & objectis priores eſſe: ordine vero naturæ vno modo priores, altero poſteriores. Prima pars probatur. Ordine enim temporis, prius eſt viuens, ejuſque anima, quā nutritio, augmentatio, & generatio, earumque actionum objecta, ſcilicet alimentum & generabile: at prædictæ potentiæ ſimul tempore, cum anima & viuente, cui inſunt, producuntur: Igitur tempore priores ſunt. *De ordine potentiarum naturalium actiuarum.* *Ordine temporis priores ſunt actibus & obiectis.*

13. ADVERTE tamen alimentum, quod potentiæ nu-

Digitized by Google

tritiuæ, augmentatiuæ, & etiam generatiuæ objectum dicitur à Philoſ. lib. 2. de Anima tex. 43. ex eodem, tex. 45. dupliciter accipi poſſe: vel vt primò aduenit viuenti, id eſt vt incoctum, & indigeſtum; vel vt vltimò aduenit eidem, ſeu vt digeſtum & concoctum, atque adeo vt conuertitur in ſubſtantiam viuentis. Quò fit, vt quemadmodũ primo modo ſumptum viuẽti, quod alitur, contrarium; ſecundo verò modo eidem ſimile, ibidem à Philoſopho dicitur: ita idem alimentũ primo modo ſumptum tempore prius eſt nutritione, & potentiâ nutritiuâ & alijs. Ante potentiam enim nutritiuam, & nutritionem hominis, ſunt panis, vinum, caro; ante nutritionem equi, bouis, ouis eſt pabulum, fœnum, auena; & ante plantarum nutritionem ac vegetationem eſt humor ac ſuccus, quo aluntur. At ſecundo modo, vt ſimile factum viuenti, & conuerſum in ejus ſubſtantiam, eſt tempore poſterius. Verùm alimentum primo modo ſumptum materia potius eſt, circa quam operantur prædictæ potentiæ, quàm earum objectum, proindeque abſolutè alimentum poſterius tempore illis dici poteſt.

Alimentum dupliciter acceptum.

14. Secvnda pars probatur, quia objectum, quatenus eſt finis potentiæ, eâ naturâ prius eſt. Objecta enim potentiarum actiuarum comparantur ad operationes ipſarum, vt fines; Nam ſunt opera & effectus ipſarum: *Manifeſtum autem eſt*, inquit S. Thom. lib. 6. de Anima, lect. 6. *quòd in quibuſcumque præter operationes ſunt aliqua operata, hæc illarum operationum fines ſunt*, ex Ariſtot. lib. 1. Ethic. cap. 1. ſicut domus, quæ ædificatur, eſt finis ædificationis: finis autem naturâ prior eſt eo, quod eſt ad finem. Quatenus verò idem objectum eſt effectus actionum, & potentiarum, eſt poſterius naturâ, & ordine cauſalitatis effectiuæ: omnis enim cauſa, quâ cauſa, naturâ prior eſt ſuo effectu.

15. Dico quintò, Potentias acquiſitas, vt ſunt habitus virtutum, artes, & ſcientiæ practicæ, ordine temporis & naturæ ſuis actibus & objectis partim priores, partim poſteriores eſſe. Tempore quidem poſteriores, quatenus habitus omnes acquiſiti ex antecedentibus actibus acquiruntur, *videturque impoſſibile*, inquit Philoſophus lib. 9. Metaph. text. 14. *eſſe ædificatorem, qui nihil ædificauerit, aut cytharœdum, qui nihil cytharizauerit; Qui enim diſcit cytharizare, cythari-*

Habitus & potentiæ acquiſitæ vt priores & poſteriores ſuis actibus & objectis.

Digitized by Google

zando diſcit cytharizare : ſimiliter , & alij. Idemque diſertè tradit lib. 2. Ethic. cap. 1. In hoc diſtinguens potentias naturales ab acquiſitis, quòd illæ ſuos actus antecedant, hæ ſuos ſubſequantur. *Non ex eo* (inquit) *quod ſæpe vel vidimus, vel audiuimus, ſenſus & videndi & audiendi accepimus ; ſed è cõtrario habentes vſi ſumus, & non vſi habuimus. Sed virtutes accipimus, vbi priùs fuerimus operati ; quemadmodum etiam in alijs artibus. Quæ enim vbi didicerimus facere oportet, ea faciendo diſcimus. Sicut enim ædificando ædificatores, cytharà canendo cytharœdi efficiuntur, ita quoque iuſta agendo iuſti, temperantia temperantes , fortia fortes euadimus.* Quod ſæpè repetit ſequentibus capitibus.

16. PRIORES verò ſunt, quatenus ab ijſdem potentijs acquiſitis actus, ac etiam objecta producuntur, vt actus virtutum , & artefacta omnia. Eaſdem naturâ etiam partim priores, partim poſteriores eſſe ſuis actibus, patet ex ante dictis; Priores enim ſunt, quatenus ſuos actus ac objecta effectiuè producunt. Poſteriores verò, quatenus ijdem actus, vel objecta ſunt finis illarum potentiarum : ſunt enim ejuſmodi actuũ & objectorum gratiâ. *Quomodo priores.*

17. DICO ſextò, Potentias, Actus, & Objecta relatiuè ſumpta eſſe ſimul naturâ, cognitione, & definitione. Ita Peripatetici ſupra citati, & Ariſtoteles ipſe cap. de Relatis, & in Poſtprædicamentis, cap. de Oppoſitis. Ratio eſt, quia relata, vt relata ſiue ſint mutua & realiá, ſiue vnum reale, & alterum rationis, naturâ & definitione ſimul ſunt. Vnde Philoſophus lib. 8. Top. ab ea regula definitionum, quòd debeant eſſe ex prioribus, & notioribus, loco 17. tradita, loco 20. excipit relatorum definitiones. *Oportet autem* (inquit) *non latere, quædã fortaſſe aliter definiri non poſſe, vt duplum ſine dimidio, & quæcunque per ſe ad aliquid dicuntur. Nam omnibus hujuſmodi eſt idem eſſe ei quod eſt ad aliquid quodammodo ſe habere. Quare non eſt poſſibile ſine altero alterum cognoſcere, eò quòd neceſſarium eſt in alterius oratione coaſſumi & alterum.* *Relatiuè ſumpta ſunt ſimul.*

18. OBIICIES Ariſtotelem in Prædicamentis, cap. de Relatis, diſertè aſſerere, quædam relata eſſe ſimul naturâ, alia vero non eſſe, inter quæ numerat ſenſum & ſenſibile, ſcientiam & ſcibile : præterea cap. de Modis prioris, ait, *eorum quæ conuertuntur ſecundùm conſequentiam , quod alteri quomodo-*

Digitized by Google

libet cauſa eſt, conuenienter prius naturâ dici poſſe, & cap. ſequenti, ait, *Naturâ ſimul ſunt, quæcunque conuertuntur quidem ſecundùm ejus, quod eſt eſſe conſequentiam, ſed nequaquam alterum alteri cauſa eſt, vt ſit, vt duplum & dimidium.* At ſcientia interdum eſt cauſa ſcibilis, & ſcibile ac ſenſibile actuum ſciendi, & ſentiendi.

Reſponſio 1. DVPLEX eſt reſponſio. Prima, Ariſtotelem cùm negat quædam relata eſſe ſimul naturâ, vel affirmat vnum eſſe cauſam alterius, loqui de relatis ſecundùm dici, non ſecundùm eſſe, ſeu de relatis, non formaliter vt relata, ſed fundamentaliter, & ſecundùm eſſe abſolutum, in quo fundantur eorum relationes: Et enim disertè ſubfinem capitis de Relatis affirmat, & *probat relata eſſe ſimul naturâ & cognitione, & eum qui aliquid eorum, quæ ſunt ad aliquid, definitiuè ſciuerit, definitè etiam ſciturum illud, ad quod dicitur.* Et cap. de Oppoſitis, ait, *ſcientiã ſcibili tanquam ea quæ ſunt ad aliquid opponi. Dicitur enim* (inquit) *ſcientia ipſum quod eſt ſcibilis, & ſcibile dicitur ipſum quod eſt ad oppoſitum*, nempe ad ſcientiam. Scibile enim aliquo dicitur, ſcilicet, ſcientiâ ſcibile. Dicuntur autem relata ſecundùm eſſe, ex D. Thom. quæſt. 21. de Veritate art. 6. & 1. parte, quæſt. 3. art. 7. ad 1. quibus impoſita ſunt nomina ſignificantia ipſas habitudines relatiuas, vt Dominus & Seruus, Pater & Filius &c. Relata vero ſecundùm dici, quorum relationes non habent alia nomina, quàm rerum, quas conſequuntur, vt mouens & motum, caput & capitatum, ſenſus & ſenſibile, ſcientia & ſcibile. Nam, vt jam admonuimus initiò, habetque Ariſtoteles in Prædicamentis ſub finem capitis de Qualitate, eadem entitas ſub vna ratione eſt qualitas, & in Categoria qualitatis; ſub alia relatio, ac in Categoria relationis, vt ſcientia & habitus. Itaque ſi ſcientia, vt ſolùm qualitas eſt, conſideretur ac definiatur, non eſt ſimul naturâ & definitione cum ſuo objecto, nullaque objecti mentio in illius abſolutè ſumptæ definitione fieri debet, definiendaque eſt habitus intellectus, à quo quis ſciens denominatur. Ita enim ſcientiã actualem definit Ariſt. 1. Poſt. tex. 5. cùm ait, *Demonſtrationem eſſe ſyllogiſmum ſcientialem: ſcientialem autem dico, ſecundùm quem, eoquòd ipſum habeamus, ſcimus,* & paulo poſt, *ſyllogiſmum ex veris, primis, immediatis, prioribus, & cauſis concluſionis.* In

Quæ dicuntur relata ſecundùm eſſe.

Quæ ſecundùm dici.

quibus

quibus definitionibus nulla ſit mentio objecti ſcientifici. Quando igitur per ſuum objectum definitur, vt Phyſica eſt ſcientia corporis naturalis, tunc definitur etiam vt relatio ſecundùm dici.

19. Ex quo infertur falli eos, qui ſub nomine ſcientiæ non diſtinguunt duos conceptus, vnum abſolutum de Categoria qualitatis: alterum relatiuum de Categoria relationis: vel qui ejuſmodi conceptus aliquo modo diſtinguentes, exiſtimant relatiuum eſſe intrinſecum & eſſentialem abſoluto, vocantque relationem tranſcendentalem ſcientiæ ad ſuum objectum, illi etiam, vt qualitas eſt, eſſentialem. Re verâ enim ei, vt qualitati, tantùm accidentalis eſt, cùm ſit alterius Categoriæ; indeque eorum error naſcitur, quòd plerumque ambæ illæ rationes, qualitatis & relationis, in vnam orationem ſcientiæ definitiuam cogantur, non aduertentes ſcientiã definiri ſimul & vt qualitas eſt, & vt relatio. Accidentium enim definitiones ſunt valde imperfectæ, ſolæque ſubſtantiæ capaces ſunt perfectæ definitionis, ex Philoſopho lib. 7. Metaphyſic. à textu 12. ad 20. Perfectam autem definitionẽ appellat, quæ terminis, hoc eſt, genere & differentiâ ejuſdem Categoriæ conſtat, quod ſoli ſubſtantiæ ineſt. Imperfectam verò, & vt loquitur, ex additione, quæ conſtat terminis diuerſarum Categoriarum: quod contingit omni accidenti, in cujus definitione ſubjectum, quod alterius Categoriæ eſt, ponitur loco vel generis, ſi definiatur in concreto, vel differentiæ, ſi definiatur in abſtracto, cùm tamen neutrum ſit. *Quales ſunt accidentiũ definitiones.*

20. SECVNDA reſponſio, quæ eſt S. Thomæ loco ſupra citato ad ſextum, ſcibile & ſenſibile, aliaque hujuſmodi objecta dupliciter ſumi poſſe. Primò vt ſunt objecta in potentia tantùm: ſecundò vt actu objecta potentiarũ & actuum. Primo modo non eſſe ſimul naturâ, ſed naturâ priora potentijs & actibus. Secundò modo eſſe ſimul naturâ, *Ad cognoſcendũ* (inquit) *vtrum relatiua ſint ſimul naturâ, vel non, non oportet conſiderare ordinem rerum, de quibus relatiua dicuntur; ſed ſignificationes ipſorum relatiuorũ. Si enim vnum in ſui intellectu claudat aliud, & è conuerſo; tunc ſunt ſimul naturâ, ſicut duplum & dimidium, Pater & Filius, & ſimilia. Si autem vnum in ſui intellectu claudat aliud, & non è conuerſo; tunc non ſunt ſimul naturâ, &* *2. Reſponſio.* *S. Thomas.*

hoc modo ſe habent ſcientia, & ſcibile. Nam ſcibile dicitur ſecundùm potentiam. ſcientia autem ſecundùm habitum, vel ſecundùm actum. Vnde ſcibile ſecundùm modum ſuæ ſignificationis præexiſtit ſcientiæ: ſed ſi accipiatur ſcibile ſecundùm actum, tunc eſt ſimul cum ſcientia ſecundùm actum. Nam ſcitum non eſt aliquid, niſi ſit eius ſcientia.

Inferuntur quatuor Corollaria ex doctrina præcedentis Capitis.

CAPVT XIII.

Nullum ſcientia diuinæ obiectum ea prius eſt.

1. PRIMVM eſt. Nullum diuinæ cognitionis objectum eâ prius eſſe, niſi prioritate quoad nos, & ſecundùm noſtrum cognoſcendi ordinem: Etenim diuinæ ſcientiæ & cognitionis objectũ primarium quidem eſt Deus ipſe: Secundarium, alia à Deo ſeu creaturæ: at Deus ſeipſo nec tempore, nec cauſalitate, nec vllo alio genere prioritatis priùs eſt. Neque enim idem ſeipſo prius eſt, in Deo autem ex S. Thom. 1. part. quæſt. 14. art. 4. *Intellectus, intelligens, & id quod intelligitur, & ſpecies intelligibilis, & ipſum intelligere ſunt omnino idem & vnum.* Creaturæ item omnes & naturâ, & cauſalitate tam effectiuâ, quàm finali, & exemplari, & exiſtendi conſequentiâ, & tempore ſeu duratione poſteriores ſunt ſcientiâ & cognitione diuinâ. Hæc enim illarum omnium cauſa eſt. Vnde rectè S. Thom. 1. parte, quæſt. 14. art. 8. ad 3. *Res naturales ſunt media inter ſcientiam Dei, & ſcientiam noſtram. Nos enim ſcientiam accipimus à rebus naturalibus, quarum Deus per ſuam ſcientiam cauſa eſt. Vnde ſicut ſcibilia naturalia ſunt priora, quàm ſcientia noſtra, & menſura eius: Ita ſcientia Dei eſt prior, quàm res naturales, & menſura ipſarum.* Quod autem de naturalibus dicit, etiam de ſupernaturalibus, & vniuerſim de omnibus creatis intelligendũ eſt. Quare res creatæ ſolùm quoad nos, noſtramque cognitionem priores ſunt, quia nobis notiores; cùm ad Deum, ejuſq; actus tam intellectus, quàm voluntatis mens noſtra nõ niſi per creaturarum cognitionem aſſurgat, & de illis adhuc valde imperfectè ex creaturis ratiocinemur, ac balbutientes ſermocinemur.

D. Thomas.

Digitized by Google

2. Obiicitvr primò, Objectum eſt perfectio potentiæ: igitur etiam in Deo objectum intellectus perfectio quædam erit intellectus, ac intellectionis diuinæ: quod autem perfectius eſt, habet rationem aliquam prioritatis. *Obiectio.*

Respondeo, negando Antecedens vniuerſim eſſe verum. Ac ſi de Potentia intellectiua agitur, objectum circa quod verſatur, eatenus tantùm illâ perfectius eſt, quatenus illam reducit ad actum, eique ſui ſpeciem imprimit, vt expreſſe habet S. Thom. ſupra art. 5. ad 2. *Intellectum* (inquit) *eſt perfectio intelligentis, nõ quidẽ ſecundùm ſuã ſubſtantiam, ſed ſecundùm ſuam ſpeciem, ſecundùm quam eſt in intellectu vt forma, & perfectio eius. Lapis enim non eſt in anima, ſed ſpecies eius lib. 3. de Anima textu* 38. *Ea verò, quæ ſunt alia à Deo, intelliguntur à Deo, in quantum eſſentia Dei continet ſpecies earum. Vnde non ſequitur, quòd aliquid aliud ſit perfectio diuini intellectus, quã ipſa eſſentia Dei.* Itaque cùm Deus id, quod eſt extra ſeipſum, non intueatur niſi in ſeipſo, vt ait ibidem S. Doctor, à nullo extra ſe perficitur. *Reſponſio.*

3. Obiicitvr ſecundò, cognitio diuina ſpecificatur ab objectis: quod autem aliud ſpecificat, eo aliquo modo prius eſt, & hoc ab illo pendet. *Obiectio 2.*

Respondetvr primò, negando Majorem. Deus enim, diuinique actus ſiue intellectus, ſiue voluntatis, nullius propriè ſunt ſpeciei, nec ſpecie inter ſe differunt, cùm ſint vnũ & idem, ipſaque ſimplex Dei eſſentia. Diſtinctio autem ſiue ſpecifica, ſiue generica, ſiue numerica, quæ diuinis intellectionibus tribuitur, ſolùm eſt ex noſtro intelligendi modo, & per analogiam ad noſtros actus, noſtraſque operationes. *Reſponſio 1.*

4. Respondetvr ſecundò, intellectionem diuinam ſpecificari à primario ſuo objecto, ipsâ ſcilicet eſſentiâ diuinâ: non autem à ſecundariò, quæ ſunt ipſæ creaturæ. Quæ reſponſio eſt S. Thomæ ſupra ad 3. *Ipſum intelligere* (inquit) *non ſpecificatur per id, quod in alio intelligitur, ſed per principale intellectum, in quo alia intelliguntur. In tantum enim ipſum intelligere ſpecificatur per obiectum, in quantum forma intelligibilis eſt principium intellectualis operationis. Nam omnis operatio ſpecificatur per formam, quæ ſit principium operationis, ſicut calefactio per calorem. Vnde per illam formam intelligibilem ſpecificatur intellectualis ope-* *Reſponſio 2.*

ratio, qua facit intellectum in actu. Et hæc eſt ſpecies principalis intellecti, qua aliud nihil eſt in Deo, quàm ſua eſſentia, in qua omnes ſpecies rerum comprehenduntur.

2 Corollarium. 5. Secvndvm corollarium eſt. Falſum eſſe, quod plerique Theologi recentiores pro certo & indubitato habent, ſcientiam Dei intuitiuam, quæ communiter *ſcientia viſionis* appellatur, quâ creaturas in aliqua temporis differentia exiſtentes cognoſcit, ijs eſſe poſteriorem. Primò enim, vnde id acceperint planè neſcio, cùm in S. Thoma, alijſque antiquioribus & præſtantioribus Theologis non legatur, nec quo genere prioritatis ipſæ creaturæ exiſtentes viſione Dei priores ſint, dicere poſſunt. Neque enim exiſtendi conſequentiâ, nec tempore, nec duratione, nec naturâ, nec vllo cauſalitatis ordine.

Scientiam viſionis non eſſe poſteriorē ſuo objecto

1. Argumentum.

2. Argum. Secvndo, Omnis cognitio, omniſque volitio practica prior eſt ſuo objecto, quia eſt factiua illius, ipſumque non ſupponit. At ſcientia viſionis in Deo eſt cognitio practica, & cauſa efficiens creaturarum omnium, vt pluribus oſtendetur infra. Igitur ijs non poſterior, ſed prior eſt, tum æternitate, tum cauſalitate.

3. Argum. 6. Tertio, Cognitio intuitiua aliud nihil eſt, quàm clara & euidens rei ſingularis & præſentis notitia: quæ clara & euidens dicitur, quia eſt perfecta rei cognitio, eademque ad abſtractiuam rei cognitionem ſe habet, ſicut viſio (à qua etiam nomen mutuata eſt) ad aliorum ſenſuum cognitionem: Ideoque ſicut viſio claritate, puritate, & certitudine præſtat aliorum ſenſuum notitiâ, eſtque tantùm rei ſingularis exiſtentis, ac præſentis, ſibique directò objectæ: ſic cognitio intuitiua intellectus eſt rei ſingularis, & præſentis clara, & diſtincta cognitio. Quo differt à cognitione abſtractiua, quæ eſt vel rei vniuerſalis, & abſtractæ à ſingularibus, ideoque cognitio imperfecta, vel rei abſentis. Itaque cognitio intuitiua aliud nihil dicit, quàm claram & perfectam objecti exiſtentis cognitionem, cum relatione præſentiæ ad illud. At neutro ex capite præciſè objectum eâ prius eſſe poteſt. Non ex primo, quatenus eſt clara objecti cognitio. Vt ſic enim præciſè non pendet ab objecto: ſiue in Deo, vt patet; quia Deus quæ non ſunt, nec vnquam erunt, æquè clarè

Cognitio intuitiua quid ſit.

Digitized by Google

ac perfectè cognoſcit, ac quæ ſunt : ſiue in Angelis. Hi enim à Deo rerum ſpecies accipiunt, quibus res abſentes, & non exiſtentes æquè clarè cognoſcunt, ac exiſtentes. Nec etiam in nobis. Interdum enim rem abſentem imaginatio noſtra æquè clarè & expreſsè nobis repreſentat, ac ſi præſens eſſet, eamque oculis cerneremus; & ipſimet oculi, ſi rei abſentis ſpeciem viſibilem haberent, eam æquè clarè viderent, ac ſi præſentem cernerent : quod Deum facere poſſe certiſſimum eſt. Imò & naturaliter interdum fieri, docet Auer. lib. 3. Colliget cap. 38. Ita vt, quemadmodum naturaliter ab objectis externis ad ſenſus externos, & per eos ad internos, & vſque ad ipſam imaginationem tranſmittuntur ſpecies intentionales : ita interdum contra accidat, ipſam ſpeciem à forti & vehementi imaginatione ad ſenſus externos remitti abſente objecto : quod cùm accidit, fit in oculo objecti abſentis viſio æquè clara, ac ſi præſens eſſet, exiſtimatque ſic affectus ſe videre rem præſentem, cùm non ſit. Itaque euidentia & claritas cognitionis intuitiuæ præcisè, & ſi aliud nihil ſit, non dicit objecti prioritatem. *Quomodo fit viſio abſente viſibili.*

7. Nec ſecundum, vt dicit præſentiam objecti. Hæc enim præſentia aliud nihil eſt, quàm relatio quædã ad ipſam cognitionem. Præſens enim eſt alteri præſenti præſens, ejuſque eſſe, vt præſens, eſt ad aliud eſſe: relatio autem nec cauſa eſt correlationis ſibi oppoſitæ, nec prior illâ, cùm relata ſimul ſint naturâ & cognitione, ex Philoſopho in Prædicamentis, cap. 3. de Modis ſimul.

Qvartò. Cùm Deus habet de ſe cognitionem, ea intuitiua eſt, nec tamen eâ prior eſt. *4. Argum.*

Qvintò, Sicut cognitio abſtractiua, vel ſimplicis intelligentiæ in Deo abſentiam objecti ſui tanquam ſe priorem nõ requirit: ita ſcientia viſionis ejuſdem objecti ſui præſentiam vt priorem non poſtulat. *5 Argum.*

Sextò, Objectum eatenus ſolùm cognitione prius eſt, quatenus vel eſt cauſa illius effectiua, immittendo ſui ſpeciem in potentiam cognoſcitiuam, quâ inſtructa in actum cognitionis erumpit, vel quatenus eſt illius cognitionis finis, vt accidit in cognitione practica, & effectiua ſui objecti: at *6. Argum.*

neutro modo creaturæ exiſtentes poſſunt eſſe cauſa viſionis Diuinæ. Igitur eâ nullo modo priores ſunt.

Obiectio. 8. OBIICITVR cognitio intuitiua rei ſupponit eam, ejuſque præſentiam; ergo hæc illâ prior eſt.

Reſponſio. CONCESSO Antecedente, negatur Conſequentia: vel diſtinguendo Antecedens reſpondetur, quod ſi *ſupponere* idem ſit ac requirere, nec eſſe cognitionem intuitiuam rei, niſi feratur in præſentem, concedo Antecedens: At ſi *ſupponere* eſt requirere objectum, tanquam quid vel tempore, vel cauſalitate, vel alio prioritatis genere prius, id falſum eſt, & in Deo, & in Angelis, & in nobis, vt ante dictum eſt. Nam ſi Deus objecti præſentis ſpeciem ſe ſolo in oculo noſtro, aut alio ſenſu produceret, quâ mediante cognoſceretur tale objectum, eſſet ejus cognitio intuitiua, cùm eſſet clara & perfecta rei ſingularis ac præſentis cognitio: In eo autem caſu objectum tali cognitione nullo modo prius eſſet.

9. EX DICTIS conſtat admittendum non eſſe, quod dicunt nonnulli Recentiores, vt Theophilus Raynaudus in ſua tractatione antiſtropha, parte 2. cap. 5. num. 25. prænotionem ac præſcientiam, quàm Deus habet de noſtris actibus liberis futuris, ipsâ eorum veritate futurâ, quæ rata eſt, tanquã priori aliquo fundamento niti. Nullus enim, vt dictũ eſt, effectus cauſâ ſuâ prior eſt: ſed contra omnis cauſa, ſaltem naturâ, ſuo effectu prior eſt. Deus autem ſuâ ſcientiâ, ſuoque decreto cauſa eſt omnis veritatis actus futuri, ſiue liberi, ſiue neceſſarij. Igitur nullius effectus futuri veritas Deo poteſt eſſe fundamentum prius ſuæ prænotionis ac præſcientiæ.

Refellitur noua opinio

DEINDE ſcientia Dei de noſtris actibus futuris, non quidem quoad malitiam, ſed quoad entitatem, & bonitatem practica eſt. Igitur illis eſt omni ratione prior. Et certè ſi ſol effectus omnes naturales, quos producit, ſuâ ipsâ illuminatione cerneret, & videret, nemo diceret ejus viſionem illorum veritate futurâ, veluti aliquo fundamento niti. Sed contra eorũ veritatem ab ipſa ſolis illuminatione, & viſione pendere, eâque poſteriores eſſe. Accedit, quòd ſi quâ ratione effectus futuri ſiue liberi, ſiue neceſſarij diuinâ ſcientiâ priores ſunt, hæc, vt ſic, eorum, non præſcientia & prænotio, ſed ſolum notio & ſcientia, vel etiã poſtnotio & poſtſcientia erit.

Digitized by Google

10. TERTIVM Corollarium eſt. Quod de objecto ſcientiæ & cognitionis diuinæ dictũ eſt, dicendum etiam de amore diuino, deque omnibus diuinæ voluntatis actibus circa creaturas: eos nimirum & naturâ, & exiſtentiâ, ac duratione, & cauſalitate creaturis omnibus priores eſſe, eò quòd harum omnium ſint cauſæ. Eſt enim Deus agens per intellectum, & voluntatem. Propterea (quod diligenter notandũ eſt) intellectus, & voluntatis diuinæ actus ad ſua objecta alium habent ordinem, quàm intellectus, & voluntatis noſtræ ad noſtros actus, vt præclarè docet S. Thom. 1. p. quæſt. 20. art. 2. his verbis. *Cùm amare nihil aliud ſit, quàm velle bonum alicui, manifeſtum eſt, quòd Deus omnia, quæ ſunt, amat: non tamẽ eo modo, ſicut nos. Quia enim voluntas noſtra non eſt cauſa bonitatis rerum, ſed ab illa mouetur, ſicut ab objecto, amor noſter, quo bonum alicui volumus, non eſt cauſa bonitatis ipſius, ſed è conuerſo, bonitas ejus vel vera, vel æſtimata prouocat amorem, quo ei volumus, & bonum conſeruari quod habet, & ad hoc operamur: ſed amor Dei eſt infundens, & creans bonitatem in rebus.* Et quæſt. 23. art. 4. *Electio, & dilectio aliter ordinantur in nobis, & in Deo, eò quòd in nobis voluntas diligendo non cauſat bonum, ſed ex bono præexiſtente incitamur ad diligendum, & ideò eligimus aliquem, quem diligamus, & ſic electio dilectionem præcedit in nobis: in Deo autem eſt è conuerſo Nam voluntas ejus, quâ vult, bonum alicui diligendo, eſt cauſa, quòd illud bonum ab eo præ alijs habeatur.*

Volitio diuina eſt prior ſuo obiecto.

S. Thomas.

11. QVARTVM Corollarium eſt, cognitionem & ſcientiam, quam habent Angeli de rebus creatis, præſertim ſpeculatiuam, naturâ & ratione ijs neque priorem, neque poſteriorem eſſe. Non priorem, quia non eſt earum omnium cauſa, niſi earum, quas in gubernatione mundi circa homines, vel alias res naturales operantur, vt cùm mouent cælos, & per eorum motum multa procreant in his locis inferioribus. Neque poſteriorem, quia eorũ cognitio non cauſatur ab ipſis. *Res enim ſcitæ*, inquit, D. Thom. ſcripto 2. in 1. ſententiarum, diſt. 38. quæſt. 1. art. 1. *non poſſunt eſſe cauſa alicujus ſcientiæ, niſi ratione ſpeciei intelligibilis, quâ ſciens ſcit, in quantum illas ſpecies à rebus ſcitis accipit.* At ex eodem 1. part, quæſt. 55. art. 2. Angeli ſpecies intelligibiles rerum, quas cognoſcunt, à Deo ſimul cum ſua eſſentia, cùm primùm creati ſunt, accepêre:

Angelica cognitio neque prior neque poſterior ſuo obiecto.

Digitized by Google

Igitur eorum cognitio non pendet à rebus, proindeque ijs naturâ, & ratione poſterior non eſt.

12. QVOD ipſum ſæpe docet S. Thom. multis locis, vt quæſt. 2. de Veritate, art. 14. vbi hæc habet. *Cùm omnis ſimilitudo attendatur ſecundùm aliquam conuenientiam alicujus formæ, oportet quòd quæcunque ſunt ſimilia, ita ſe habeant, quòd vel vnum ſit cauſa alterius, vel ambo ex vna cauſa cauſentur. In omni autem ſcientia eſt aſſimilatio ſcientis ad ſcitum; vnde oportet quòd vel ſcientia ſit cauſa ſciti, vel ſcitum cauſa ſcientiæ, vel vtrumque ab vna cauſa cauſetur. Non poteſt autem dici, quod res ſcitæ à Deo ſint cauſa ſcientiæ in eo, cùm ſint temporales, & ſcientia Dei ſit æterna. Nec poteſt dici, quod vtrumque ab vna cauſa cauſetur, quia in Deo nihil poteſt eſſe cauſatum. Vnde relinquitur quòd ejus ſcientia ſit cauſa rerum. Sed è conuerſo ſcientia noſtra cauſata eſt à rebus, in quantum ſcilicet eam à rebus accipimus. Sed ſcientia Angelorum non eſt cauſata à rebus, neque cauſa rerum, ſed vtrumque eſt ab vna cauſa. Sicut enim Deus formas vniuerſales influit rebus vt ſubſiſtant: Ita ſimilitudines earum influit mentibus Angelorum ad cognoſcendum res.* Idem habet quæſt. 8. art. 9. & 1. part. quæſt. 14. art. 8. ad 3. *vbi ait, quòd ſicut ſcibilia naturalia ſunt priora, quàm ſcientia noſtra, & menſura ejus: Ita ſcientia Dei eſt prior, quàm res naturales & menſura earum, eo quòd nos ſcientiam accipimus à rebus naturalibus, quarum Deus per ſuam ſcientiam cauſa eſt.*

Tria alia Corollaria ex ijſdem principijs deducuntur.

CAPVT XIV.

1. PRIMVM eſt. Argumentum, quo Recentiores quidam Theologi perſuaſi ſunt Chriſtum non videre in Verbo omnia, quæ Deus cognoſcit ſcientiâ viſionis, planè nullum eſſe. Tale autem eſt eorum argumentum. Id tantùm Chriſtus viſione beatificâ in Deo videre poteſt, quod eâ prius eſt. Cujuſlibet enim cognitionis objectum ordine rationis, & alicujus cauſalitatis eâ prius eſt, ex Ariſt. ſupra, & in Poſtprædicamentis cap. 2.

Argumẽtum Recentiorum quorundam.

Auguſtino

Auguſtino lib. 4. de Geneſi ad litteram cap. 3. D. Thom. 3. contra Gentes capite 26. At ex ijs, quæ Deus ſcit ſcientiâ viſionis, plurima poſteriora ſunt viſione beatificâ Chriſti, v. g. omnes actus tum fidei infuſæ, tum Theologiæ, quos hîc viatores exercent circa ipſam viſionem beatificam Chriſti, cùm de ea cogitant, diſputant, ſcribunt, & meditantur, & quos Beati circa eandem viſionem Chriſti exercent, ſiue intellectus, ſiue voluntatis, eâ poſteriores ſunt, cùm hæc ſit eorum objectum: immo omnes actus meritorij, omniaque bona opera poſt Adami lapſum ab hominibus facta, cùm virtute meritorum Chriſti, & gratiæ illius auxilio fiant, ipſo Chriſto, ejuſque viſione beatificâ poſteriora ſunt. Deus enim priùs decreuit Chriſti Incarnationem, ejuſque viſionem beatificam, quàm bona opera hominum, eorumque ſalutem. Igitur hæc omnia Chriſtus in Verbo videre nullo modo poteſt.

2. Hoc inquam argumentum planè nullum eſt, eique ex antedictis duplex reſponſio haud ægrè fieri poteſt. Prima, Majorem, & probationẽ ejuſdem ſimpliciter falſas eſſe. Nam vt dictum eſt, & Dei, & Angelorum, & noſtra etiam cognitio interdum verſari poteſt circa id, quod eâ neque prius, neque poſterius eſt; imò ſæpè circa id, quod & tempore, & naturâ & cauſalitate poſterius eſt. *Nullum eſt. Reſponſio 1.*

3. Deinde ex eadem Majore ſimpliciter admiſſa nimis multa ſequuntur abſurda. Primum. Animam Chriſti, noſtramque ſe, ſuamque ſubſtantiam, & potentiã intellectiuam nullo modo cognoſcere poſſe. Vtraque enim, licet & tempore, & naturâ prior ſit omni ſuâ intellectione, quatenus ejus eſt cauſa & materialis, & effectiua, & etiam finalis: hæc tamen, quatenus forma earum eſt, & actus illas perficiens, illis etiam ordine actus perfectior, & prior naturâ eſt. *Abſurda quæ ſequuntur ex illa maiore.* 1.

Secundum abſurdum. Nullum artificem ſuum opus cognoſcere poſſe. Hoc enim quatenus ab arte, & cognitione artificis proficiſcitur, eâ poſterius eſt. 2.

Tertium, Nullum beatum vel ſeipſum, vel ſua bona opera in Verbo videre; quia ipſa viſio beatifica, cùm ſit eorum cauſa finalis, ijs naturâ prior eſt: ergo juxta prædictam Majorem circa illa omnia verſari non poteſt. 3.

Quartum, Hominum peccata, & æternas damnatorum 4.

Digitized by Google

Igitur eorum cognitio non pendet à rebus, proindeque ijs naturâ, & ratione poſterior non eſt.

12. QVOD ipſum ſæpe docet S. Thom. multis locis, vt quæſt. 2. de Veritate, art. 14. vbi hæc habet. *Cùm omnis ſimilitudo attendatur ſecundùm aliquam conuenientiam alicujus formæ, oportet quòd quæcunque ſunt ſimilia, ita ſe habeant, quòd vel vnum ſit cauſa alterius, vel ambo ex vna cauſa cauſentur. In omni autem ſcientia eſt aſſimilatio ſcientis ad ſcitum; vnde oportet quòd vel ſcientia ſit cauſa ſciti, vel ſcitum cauſa ſcientiæ, vel vtrumque ab vna cauſa cauſetur. Non poteſt autem dici, quod res ſcitæ à Deo ſint cauſa ſcientiæ in eo, cùm ſint temporales, & ſcientia Dei ſit æterna. Nec poteſt dici, quod vtrumque ab vna cauſa cauſetur, quia in Deo nihil poteſt eſſe cauſatum. Vnde relinquitur quòd ejus ſcientia ſit cauſa rerum. Sed è conuerſo ſcientia noſtra cauſata eſt à rebus, in quantum ſcilicet eam à rebus accipimus. Sed ſcientia Angelorum non eſt cauſata à rebus, neque cauſa rerum, ſed vtrumque eſt ab vna cauſa. Sicut enim Deus formas vniuerſales influit rebus vt ſubſiſtant: Ita ſimilitudines earum influit mentibus Angelorum ad cognoſcendum res.* Idem habet quæſt. 8. art. 9. & 1. part. quæſt. 14. art. 8. ad 3. *vbi ait, quòd ſicut ſcibilia naturalia ſunt priora, quàm ſcientia noſtra, & menſura ejus: Ita ſcientia Dei eſt prior, quàm res naturales & menſura earum, eo quòd nos ſcientiam accipimus à rebus naturalibus, quarum Deus per ſuam ſcientiam cauſa eſt.*

Tria alia Corollaria ex ijſdem principijs deducuntur.

CAPVT XIV.

1. PRIMVM eſt. Argumentum, quo Recentiores quidam Theologi perſuaſi ſunt Chriſtum non videre in Verbo omnia, quæ Deus cognoſcit ſcientiâ viſionis, planè nullum eſſe. Tale autem eſt eorum argumentum. Id tantùm Chriſtus viſione beatificâ in Deo videre poteſt, quod eâ prius eſt. Cujuſlibet enim cognitionis objectum ordine rationis, & alicujus cauſalitatis eâ prius eſt, ex Ariſt. ſupra, & in Poſtprædicamentis cap. 2. Auguſtino

Argumẽtum Recentiorum quorundam.

Digitized by Google

Auguſtino lib. 4. de Geneſi ad litteram cap. 3. D. Thom. 3. contra Gentes capite 26. At ex ijs, quæ Deus ſcit ſcientiâ viſionis, plurima poſteriora ſunt viſione beatificâ Chriſti, v. g. omnes actus tum fidei infuſæ, tum Theologiæ, quos hîc viatores exercent circa ipſam viſionem beatificam Chriſti, cùm de ea cogitant, diſputant, ſcribunt, & meditantur, & quos Beati circa eandem viſionem Chriſti exercent, ſiue intellectus, ſiue voluntatis, eâ poſteriores ſunt, cùm hæc ſit eorum objectum: immo omnes actus meritorij, omniaque bona opera poſt Adami lapſum ab hominibus facta, cùm virtute meritorum Chriſti, & gratiæ illius auxilio fiant, ipſo Chriſto, ejuſque viſione beatificâ poſteriora ſunt. Deus enim priùs decreuit Chriſti Incarnationem, ejuſque viſionem beatificam, quàm bona opera hominum, eorumque ſalutem. Igitur hæc omnia Chriſtus in Verbo videre nullo modo poteſt.

2. Hoc inquam argumentum planè nullum eſt, eique ex antedictis duplex reſponſio haud ægrè fieri poteſt. Prima, Majorem, & probationē ejuſdem ſimpliciter falſas eſſe. Nam vt dictum eſt, & Dei, & Angelorum, & noſtra etiam cognitio interdum verſari poteſt circa id, quod eâ neque prius, neque poſterius eſt; imò ſæpè circa id, quod & tempore, & naturâ & cauſalitate poſterius eſt. *Nullum eſt. Reſponſio 1.*

3. Deinde ex eadem Majore ſimpliciter admiſſa nimis multa ſequuntur abſurda. Primum. Animam Chriſti, noſtramque ſe, ſuamque ſubſtantiam, & potentiā intellectiuam nullo modo cognoſcere poſſe. Vtraque enim, licet & tempore, & naturâ prior ſit omni ſuâ intellectione, quatenus ejus eſt cauſa & materialis, & effectiua, & etiam finalis: hæc tamen, quatenus forma earum eſt, & actus illas perficiens, illis etiam ordine actus perfectior, & prior naturâ eſt. *Abſurda quæ ſequuntur ex illa maiore.* 1.

Secundum abſurdum. Nullum artificem ſuum opus cognoſcere poſſe. Hoc enim quatenus ab arte, & cognitione artificis proficiſcitur, eâ poſterius eſt. 2.

Tertium, Nullum beatum vel ſeipſum, vel ſua bona opera in Verbo videre; quia ipſa viſio beatifica, cùm ſit eorum cauſa finalis, ijs naturâ prior eſt: ergo juxta prædictam Majorem circa illa omnia verſari non poteſt. 3.

Quartum, Hominum peccata, & æternas damnatorum 4.

Digitized by Google

Igitur eorum cognitio non pendet à rebus, proindeque ijs naturâ, & ratione poſterior non eſt.

12. QVOD ipſum ſæpe docet S. Thom. multis locis, vt quæſt. 2. de Veritate, art. 14. vbi hæc habet. *Cùm omnis ſimilitudo attendatur ſecundùm aliquam conuenientiam alicujus formæ, oportet quòd quæcunque ſunt ſimilia, ita ſe habeant, quòd vel vnum ſit cauſa alterius, vel ambo ex vna cauſa cauſentur. In omni autem ſcientia eſt aſſimilatio ſcientis ad ſcitum; vnde oportet quòd vel ſcientia ſit cauſa ſciti, vel ſcitum cauſa ſcientiæ, vel vtrumque ab vna cauſa cauſetur. Non poteſt autem dici, quod res ſcitæ à Deo ſint cauſa ſcientiæ in eo, cùm ſint temporales, & ſcientia Dei ſit æterna. Nec poteſt dici, quod vtrumque ab vna cauſa cauſetur, quia in Deo nihil poteſt eſſe cauſatum. Vnde relinquitur quòd ejus ſcientia ſit cauſa rerum. Sed è conuerſo ſcientia noſtra cauſata eſt à rebus, in quantum ſcilicet eam à rebus accipimus. Sed ſcientia Angelorum non eſt cauſata à rebus, neque cauſa rerum, ſed vtrumque eſt ab vna cauſa. Sicut enim Deus formas vniuerſales influit rebus vt ſubſiſtant: Ita ſimilitudines earum influit mentibus Angelorum ad cognoſcendum res.* Idem habet quæſt. 8. art. 9. & 1. part. quæſt. 14. art. 8. ad 3. *vbi ait, quòd ſicut ſcibilia naturalia ſunt priora, quàm ſcientia noſtra, & menſura ejus: Ita ſcientia Dei eſt prior, quàm res naturales & menſura earum, eo quòd nos ſcientiam accipimus à rebus naturalibus, quarum Deus per ſuam ſcientiam cauſa eſt.*

Tria alia Corollaria ex ijſdem principijs deducuntur.

CAPVT XIV.

1. PRIMVM eſt. Argumentum, quo Recentiores quidam Theologi perſuaſi ſunt Chriſtum non videre in Verbo omnia, quæ Deus cognoſcit ſcientiâ viſionis, planè nullum eſſe. Tale autem eſt eorum argumentum. Id tantùm Chriſtus viſione beatificâ in Deo videre poteſt, quod eâ prius eſt. Cujuſlibet enim cognitionis objectum ordine rationis, & alicujus cauſalitatis eâ prius eſt, ex Ariſt. ſupra, & in Poſtprædicamentis cap. 2.

Argumētum Recentiorum quorundam.

Auguſtino

Auguſtino lib. 4. de Geneſi ad litteram cap. 3. D. Thom. 3. contra Gentes capite 26. At ex ijs, quæ Deus ſcit ſcientiâ viſionis, plurima poſteriora ſunt viſione beatificâ Chriſti, v. g. omnes actus tum fidei infuſæ, tum Theologiæ, quos hîc viatores exercent circa ipſam viſionem beatificam Chriſti, cùm de ea cogitant, diſputant, ſcribunt, & meditantur, & quos Beati circa eandem viſionem Chriſti exercent, ſiue intellectus, ſiue voluntatis, eâ poſteriores ſunt, cùm hæc ſit eorum objectum: immo omnes actus meritorij, omniaque bona opera poſt Adami lapſum ab hominibus facta, cùm virtute meritorum Chriſti, & gratiæ illius auxilio fiant, ipſo Chriſto, ejuſque viſione beatificâ poſteriora ſunt. Deus enim priùs decreuit Chriſti Incarnationem, ejuſque viſionem beatificam, quàm bona opera hominum, eorumque ſalutem. Igitur hæc omnia Chriſtus in Verbo videre nullo modo poteſt.

2. Hoc inquam argumentum planè nullum eſt, eique ex antedictis duplex reſponſio haud ægrè fieri poteſt. Prima, Majorem, & probationẽ ejuſdem ſimpliciter falſas eſſe. Nam vt dictum eſt, & Dei, & Angelorum, & noſtra etiam cognitio interdum verſari poteſt circa id, quod eâ neque prius, neque poſterius eſt; imò ſæpè circa id, quod & tempore, & naturâ & cauſalitate poſterius eſt. *Nullum eſt.* *Reſponſio 1.*

3. Deinde ex eadem Majore ſimpliciter admiſſa nimis multa ſequuntur abſurda. Primum. Animam Chriſti, noſtramque ſe, ſuamque ſubſtantiam, & potentiã intellectiuam nullo modo cognoſcere poſſe. Vtraque enim, licet & tempore, & naturâ prior ſit omni ſuâ intellectione, quatenus ejus eſt cauſa & materialis, & effectiua, & etiam finalis: hæc tamen, quatenus forma earum eſt, & actus illas perficiens, illis etiam ordine actus perfectior, & prior naturâ eſt. *Abſurda quæ ſequuntur ex illa maiore.* 1.

Secundum abſurdum. Nullum artificem ſuum opus cognoſcere poſſe. Hoc enim quatenus ab arte, & cognitione artificis proficiſcitur, eâ poſterius eſt. 2.

Tertium, Nullum beatum vel ſeipſum, vel ſua bona opera in Verbo videre; quia ipſa viſio beatifica, cùm ſit eorum cauſa finalis, ijs naturâ prior eſt: ergo juxta prædictam Majorem circa illa omnia verſari non poteſt. 3.

Quartum, Hominum peccata, & æternas damnatorum 4.

Digitized by Google

Majore, Minorem eſſe falſam, quia res omnes creatæ in Verbo, ſeu in eſſentia diuina, vel ſola, vel cum decreto ſuæ voluntatis coniuncta, ſeipſis in ſe, vel in quâuis cognitione creatâ ſiue beatifica, ſiue alia ſecundùm eſſe repreſentatiuum exiſtentibus, priores ſunt, vt tradit Aug. loco citato de Geneſi ad litteram *Cognitio*, inquit, *fieri non poteſt, niſi cognoſcenda præcedãt, quæ item priora ſunt in Verbo, per quod facta ſunt omnia, quàm in iis, quæ facta ſunt, omnibus.* Ratio eſt: tum quia in Deo exiſtentes ſunt Deus ipſe modis omnibus prior quâuis re creatâ: Tum quia eſſe, quod vel in ſe, vel objectiuè in quauis cognitione creata habent, eſſentialiter pendet ab eſſe, quod habent in Verbo. Igitur omnis ſiue Chriſti, ſiue cujuſlibet Beati viſio beatifica habebit ſemper objectum naturâ ſe prius, etiam ſi ſit ſui ipſius cognitio, & quiduis aliud in Verbo videat. *Reſponſio 1. ad argumẽtum propoſitum.* *Auguſtinus.*

7. QUÆ autem ad dictam Minorem confirmandam afferuntur, ea ad ſummum probant, quæ ipſi dicunt non videri à Chriſto in Verbo, extra Verbum quidem priora non eſſe ejus viſione beatificâ, non autẽ non eſſe priora, prout ſunt in Verbo. Imò ne quidem extra Verbum priora non eſſe rectè probant, cùm Chriſtus ſuâ viſione beatificâ nihil vel ſibi, vel nobis meruerit. Eſt enim finis vltimus, qui aliò non refertur.

FALSUMQUE præterea eſt, Deum Incarnationem Chriſti, ejuſque viſionem beatificam, aut etiam alia dona ſiue naturalia, ſiue ſupernaturalia decernentem, in illo ſigno rationis de hominum ſalute, eorumque bonis operibus ac meritis, quorum Chriſtus cauſa eſt, nihil cogitaſſe, ſtatuiſſe, & decreuiſſe, vt pluribus alio loco declarabitur. Præterea, illa ſigna rationis quocunque modo ordinẽtur ſecundùm prius & poſterius, nihil planè conferunt ad Dei opera, & creaturarum extra Deum ordinem conſtituendum, vel tollendum, vt oſtendemus poſtea, cùm Deus vno actu omnia intelligat, velit ac decernat, ac propter noſtrum intelligere priùs vnum quàm aliud, nihil ponatur vel in re, vel in decretis Dei. *Soluũtur cõfirmationes.*

7. ADDE quòd ſi valerent prædictæ confirmationes, probarent etiam Chriſtum illa omnia, de quibus agitur, quæque objicientes dicunt cognoſci non poſſe ſcientiâ beatificâ, nullâ aliâ à Chriſto cognoſci potuiſſe: atque adeò Chriſtum

Digitized by Google

omnia pene creata, quæ nos, & Beati cognoſcimus, ignoraſſe. In illo enim ſigno rationis & inſtanti, quo Deus Verbi Incarnationem decreuit, non ſolam viſionem beatificam Chriſto dare conſtituit, ſed etiam ſcientiam infuſam, omneſque alias perfectiones ei ratione vnionis hypoſtaticæ debitas. Igitur ſcientiâ infusâ, aut aliâ Chriſtus non magis cognoſcet ea, de quibus agitur, quàm beatâ. Illis enim hæc æquè priùs à Deo decreta fuerit, quàm ſcientia beata.

9. Ad loca autem Ariſtotelis in confirmationem prædicti argumenti adducta reſponſio clara eſt ex dictis, & quomodo intelligenda ſint paulò poſt explicabitur. Auguſt. item loco citato de Geneſi ad litteram loquitur non de cognitione in Verbo, ſed tum de noſtra, quam per ſenſus haurimus. *Mens enim*, inquit, *humana priùs hæc, quæ facta ſunt, per ſenſus corporis experitur*: tum de Angelica veſpertina, quâ Angelus cognoſcit res in ſeipſis extra Verbum, eâque intuitiuâ, quæ rerum exiſtentiam requirit. Nam cognitione matutinâ, id eſt beatificâ Angelos res priùs in verbo cognouiſſe, quàm in ſeipſis exiſterent, diſertè affirmat ibidem: *Mens Angelica*, inquit, *poſtea quam illo ordine creata eſt, vt præcederet cætera, priùs ea vidit in Verbo Dei facienda, quàm facta ſunt: ac ſic priùs in eius fiebant cognitione, cùm Deus dicebat vt fierent, quàm in ſua propria natura: quæ itidem facta in eis ipſis etiam cognouit, minore vtique notitiâ, quæ veſpera dicta eſt: quam notitiam planè præcedebant, quæ fiebant, quia præcedit cognitionem quidquid cognoſci poteſt.*

Explicatur locus Auguſtini.

10. Præterea loquitur de prioritate exiſtentiæ & temporis, non naturæ. Quod ad S. Thomam attinet, loquitur tantùm de ijs actibus & potentijs, quæ paſſiuæ ſunt, & mouentur ab obiectis, vt manifeſtum eſt ex ipſis ejus verbis à nobis cap. præcedenti relatis. Nam alioqui conſtat eum exiſtimaſſe animam Chriſti videre, in Verbo, quæ ſunt, fuerunt, & erunt cogitata, dicta, facta à quouis Angelo, vel homine, quocunque loco, tempore, ac modo; vno verbo, omnia, quæ nouit Deus ſcientiâ viſionis. Id enim ex profeſſo docet 3. part. quæſt. 10. art. 2. & quæſt. 8. de Veritate art. 4. ſcribit hoc teneri ab omnibus: & quæſt. 20. de Veritate art. 4. id probat præclaro diſcurſu, quo oſtendit reditum creaturarum in Deum per viſionem beatificam Chriſti, debere eſſe æqualem

Explicatur S. Thomas.

Digitized by Google

exitui earundem à Deo per creationem.

11. Et certè dicere Chriſtum non videre in Verbo omnia, quæ ſunt, fuerunt, & erunt, omnino derogat ejus dignitati, facitque eũ aliqua in re, & cognitione beatis Angelis, vel etiã hominibus inferiorem. Cognitio enim rei alicujus in Verbo longè perfectior eſt eâ, quæ de ea habetur extra Verbum, ſiue naturaliter, ſiue per reuelationem accepta: at dubium non eſt, quin pleraque ex ijs, quæ prædicti Authores negant animam Chriſti videre in Verbo, ſi non ab omnibus, ſaltem à pleriſque Beatis videri in Verbo: Igitur qui viſionem creaturarum in Verbo putat eſſe poſſibilem, eamque alicui Beato eſſe communicatam, ſi denegat Chriſto, hac in parte Chriſtum alijs Beatis minorem facit.

12. Secundum Corollarium eſt, prædictum axioma Ariſtotelis *Obiecta actibus, & actus potentijs priores eſſe*, non ita generatim accipiendum eſſe, ac plerique putant; ſed *primò* intelligendum tantùm de animæ noſtræ potentijs, ijſque naturalibus, tam actiuis, vt vegetatiua & generatiua, quàm paſſiuis, vt viſus, auditus, alijque ſenſus tam externi, quàm interni: & ex conſequenti intellectus, & voluntas noſtra. Eo enim vtitur Ariſtoteles acturus de illis potentijs animæ in vniuerſum, & vt doceat, quem in eis explicandis ordinem, & methodum tenere debeat. *Exponitur axioma Ariſtotelis.* *1. Expoſitio.*

13. Secundò, Intelligendum de potentijs animæ non relatiuè ſumptis. (Sic enim naturâ & definitione ſimul ſunt, vt dictum eſt, eâdemque realitate, & eodem actu, quo potentia fit formaliter intrinſecè in actu, & denominatur cognoſcens, videns, ſentiens, intelligens; objectum extrinſecè fit, & denominatur cognitum, viſum, ſenſatum, intellectum, vt pluribus oſtendit Philoſophus lib. 2. de Anima textu 136. & 140.) ſed de potentijs, & actibus abſolutè ſumptis. *2. Expoſitio.*

14. Tertiò, Etſi ex prædictis abſolutè ſumptis vnum ſit naturâ prius alio, non ita tamen, quin idem alio ſenſu ſit poſterius eodẽ, vt pluribus explicatum eſt ſupra. Itaque prædictum axioma potiſſimùm intelligendũ eſt de prioritate quoad nos, & ſecundùm rationem, hoc eſt, quòd objecta ſint notiora nobis. Id enim expreſſè habet Philoſophus. Nam propterea priùs agendum ſibi eſſe ait de objectis, quàm de actibus & *3. Expoſitio.*

Digitized by Google

potentijs, vt per ea actus & potentias animæ perfectè cognoſcamus: omnis autem cognitio ſcientifica à notioribus nobis procedit, vt habet lib. 1. Phyſic. tex. 2. & lib. 7. Metaph. textu 10.

4 *Expoſitio.* 15. QVARTÒ, Cùm objecta ipſis actibus & potentijs priora & notiora nobis eſſe dicuntur, id intelligendum eſt de notitia & cognitione exacta quidem, ac definitiua ipſarũ potentiarum & actuum, non autem ipſius objecti: fitque ſolùm comparatio cognitionis objecti, ſiue confuſæ & imperfectæ, ſiue perfectæ, cum diſtincta cognitione potentiarum. Ad hanc enim minus neceſſaria eſt perfecta & exacta objecti cognitio, cùm ſufficiat ejus cognitio quoad ſenſum, vel exiſtentiam, vel aliqua ejus accidentia, aut ſecundùm aliquas conditiones notiores nobis (quamuis ſi perfectè & definitiuè cognoſcatur tantò melius.) Neque enim neceſſe eſt Architectum lapidis, fabrum ferrarium ferri, ſutorem corij, & ſimiles artifices naturam intimam, & definitionem ejus, circa quod verſantur, tenere. Sed ſufficit eos quaſdam materiæ, circa quam operantur, conditiones ad opus & finem artis ſuæ idoneas cognoſcere, & vt ait Ariſt. lib. 1. Ethic. cap. 7. *eatenus, quatenus arti vnicuique conuenit. Faber enim & Geometra diuerſo modo rectum angulum vtrique conſiderant. Ille quatenus ſolummodo ad opus vtile eſt: hic cùm veritatis ſpeculator ſit, quid & quale ſit, indagat. Eodem modo in alijs quoque faciendum eſt, ne plura ornamenta extrinſecus, quàm ipſum opus euadant.* Et cap. 13. ait, *Politicum ac ciuilem rectorem quæ ad animam ſpectant quodammodo cognoſcere oportere. quemadmodum oculum & totum corpus eum, qui curaturus eſt: eòque magis, quò ciuilis facultas honorabilior, meliorque medicinâ eſt, &c.* Itaque quemadmodum Phyſicam rectè quis cognouerit ac definiuerit, ſcientiam corporis naturalis, etiam ſi quid ſit corpus naturale definitiuè non norit: ita potentias & actus, quis exactè ac definitiuè cognoſcet, cui objectorum definitio minimè cognita fuerit, quamuis ſi nota fuerit, plenior perfectiorque erit potentiæ, actumque cognitio.

3. *Corollarium.* 16. TERTIVM Corollarium eſt. Commmune illud axioma, Potentiæ, habitus & actus ſpecificantur ab objectis, non ita eſſe intelligendum; quaſi objecta ſint de eſſentia poten-

Digitized by Google

rum, vel actuum eo modo, quo forma naturalis eſt de eſſentia & ſpecifica ratione compoſiti, albedo albi, aut veſtis veſtiti. Objectum enim nullo modo componit potentiam, aut ejus actum, ſed eſt omnino extra vtrumque, nec earum conſtitutionem ingreditur. Neque item intelligendum quòd objectum includatur in conceptu & definitione potentiæ, vel actus, quatenus ſunt qualitates quædam 1. 2. aut 3. ſpeciei. Qualitas enim eſt ens abſolutum, & vt ſic, non refertur aliò, ac præterea potentia & ejus actus non objectorum, ſed animæ gratiâ ſunt, ejuſque finis ac perfectio.

17. SED altero, vel vtroque ex his duobus modis intelligi debet. Primò quòd objecta ipſis actibus & potentijs ſint, vt dictum eſt, notiora nobis, & ex objectorum, quâ formaliter objecta ſunt diuerſitate, actuum & potentiarum diſtinctionem ſpecificam cognoſcamus. Nam cùm actus nobis notior ſit potentiâ, & agens ſit patiente prius naturâ & perfectione, objecta autem ſint in actu reſpectu potentiarum noſtrarum, quæ ab illis patiuntur, & recipiunt eorum formam ac ſimilitudinem; propterea ab illis dicuntur accipere ſpeciem. Adde quòd actio à ſuo principio ſpeciem etiam quodammodo accipit, ſuntque actiones diuerſæ pro diuerſitate principiorum: objecta autem ſunt principia actuum, quos ſenſus & potentiæ noſtræ paſſiuæ, ac conſequenter appetitiuæ exercent: propterea ab eis ſpeciem dicuntur accipere. Et quia eodem fere modo de Dei, Angelorumque potentijs & actibus philoſophamur, ac de noſtris, licet illæ à ſuis objectis non pendeãt; propterea eas etiam per ipſa objecta diſtinguimus. *Quomodo habitus & actus ſpecificentur ab obiectis.*

18. SECVNDÒ, Potentiæ, & actus ſpecificantur ab objectis, quatenus ſunt relata, habentque ad objecta relationem vel paſſiui ad actiuum, vel effectus ad cauſam, vel menſurati ad menſuram, vel ſimilis ad ſimile. Relata enim naturâ & intellectu ſimul ſunt, ſeque inuicem terminant & ſpecificant: ideoque vt potentiæ & actus ab objectis relatiuè ſumptis, ſic viciſſim objecta ipſa ſecundùm ſuam rationem formalem objecti ab ipſis etiam potentijs ſpecificantur: & quemadmodum intelligibile in conceptu intellectiui, viſibile in conceptu viſiui includitur; ſic intellectiuum in conceptu intelligibilis, vt ſic, & viſiuum in conceptu viſibilis, quâ viſibile, & ſic de alijs. *2. Expoſitio.*

Digitized by Google

Sitne aliquid prius, aut poſterius in Æternitate.

CAPVT XV.

1. ÆTERNITAS cùm rebus ſucceſſiuis prius & poſterius habentibus coexiſtat, ſitque duratio & menſura quædam; menſura autem extenſionem, & ordinem plurium ſecundùm prius & poſterius dicere videatur; propterea quandam prioris & poſterioris rationem videtur includere. Contra verò, quia eſt quid omnino ſimplex, & multitudinem, & ordinem, & habitudinem prioris ac poſterioris à ſe prorſus excludere videtur. Ad cujus rei intelligentiam, ipſa Æternitatis notio, & ratio propria nobis exponenda eſt. Quod non paruâ difficultate caret. Nam vt ait Auguſt. lib. 11. Confeſſ. cap. 11. *Conantur homines æterna ſapere, ſed adhuc in præteritis, & futuris rerũ motibus cor eorum volitat, & adhuc vanum eſt. Quis tenebit illud, & figet illud, vt paululum ſtet, & paululum rapiat ſplendorem ſemper ſtantis Æternitatis, & comparet cum temporibus nunquam ſtantibus, & videat eſſe incomparabilem?* Ac paulo poſt. *Quis tenebit cor hominis, vt ſtet, & videat quomodo ſtans dictet futura, & præterita tempora nec futura, nec præterita Æternitas?* Cùm igitur Æternitas res ſit planè diuina, omnino ſimplex, ſpiritalis, indiuiſibilis, perpetuò ſtans, & à rebus creatis, compoſitis, extenſis, ſenſibilibus, mobilibus, & mutabilibus, vnde noſtra omnis cognitio ducitur, remotiſſima, & cum eis, vt loquitur Auguſt. incomparabilis, propterea & cognitu, & explicatu nobis admodum difficilis eſt: nobis, inquam, in tempore exiſtentibus, motuique cœli, ac ſolis durationi, quâ rerum omnium ſublunarium exiſtentia continetur, ac menſuratur, aſſuetis. Vix enim aliam durationem, & menſuram cogitare poſſumus. Vnde & loquentes de Deo non niſi verbis & terminis certam aliquam temporis differentiam ſignificantibus, vt jam, nunc, tunc, quando, ante, poſt, & ſimilibus vtimur, omneſque noſtræ propoſitiones nomine & verbo conſtant: verbum autem omne tempus aliquod, vel præſens, vel præteritum, vel futurum ſignificat, lib. 1. de Int. cap. 3.

Auguſtinus.

Æternitas

Æternitas verò ſupra tempora omnia, quantumuis longa & extenſa, nobis cogitanda eſt, ac in ſe indiuiſibilis, omnia tamen tempora comprehendit, omnibuſque ac ſingulis partibus temporis eadem & tota æque præſens eſt, ac infinita & indiuiſibilis Dei immenſitas locis omnibus. Ea autem definiri poteſt, *Duratio rei immutabilis*, vel *Menſura exiſtentiæ rei immutabilis, ſeu eſſe diuini*. In quibus definitionibus Duratio, & Menſura locum tenent generis, cùm ſint quid commune Æternitati, Æuo, & Tempori ſiue continuo, ſiue diſcreto, licet non vniuocè; reliqua habent rationem differentiæ, quâ Æternitas diſtinguitur à cæteris durationibus. Duratio verò definitur, *Permanentia rei in eſſe*, quæ menſura eſt, & dicitur, prout à nobis cognita ad ipſiuſmet rei, vel alterius eſſe permanentiam cognoſcendam adhibetur. *Definitio æternitatis.*

2. DVRATIO autem, licet à nobis per modum cujuſdam fluxus, vel rei ſucceſſiuæ vulgò apprehendatur, eò quòd Duratio temporis, quæ nobis eſt notiſſima, talis ſit, parteſque ſui in exiſtendo alias priores, alias poſteriores habeat: magis tamen eſt, & melius concipitur, vt quid permanens, eodemque ſemper modo ſe habens. Nam & perfectiſſimæ Durationes, vt Æternitas & Æuum, ſunt maximè permanentes, ſtantes, & indiuiſibiles, ſicut ea, quæ illis menſurantur, vt Deus Æternitate, Angeli Æuo, qui nullas in ſe habent partes, nullamque ſucceſſionem. Deinde Duratio eſt menſura exiſtentiæ cujuſque rei, vel ipſa coexiſtentia rerum in aliqua menſura: Menſura autem certa, ideoque vel in ſe, vel quoad ſenſum, quantum fieri poteſt, parua & indiuiſibilis eſſe debet, ex Philoſ. 10. Metaphyſic. tex. 3. *vbique etenim menſuram vnum quiddam, & indiuiſibile quærunt; hoc autem ſimplex, aut quali, aut quanto. Vbi itaque videtur non eſſe, aut auferendum, aut addendum, illa certa menſura eſt. Quare numeri certiſſima eſt. Vnitatem etenim ponunt, quæ omnino indiuiſibilis eſt. In cæteris verò imitantur hujuſcemodi. Ex ſtadio namque & talento, ac ſemper à majore, magis profectò latebit, & additũ aliquid, & demptum, quàm ex minore. Quare à quo primo ſecundùm ſenſum non contingit, hoc omnes menſuram & humidorum, & ſiccorũ, & grauis, & leuis faciunt Et tunc putant cognoſcere quantum, cùm per hanc menſuram ſciant.* Ex quo ſtatim infert, cœli mo- *Quæ duratio ſit ad menſurandum aptiſſima.* *Ariſtoteles.*

Digitized by Google

tum velociſſimum, & ſimpliciſſimum, id eſt, æqualem maximè & vniformem, eſſe menſuram cujuſque alterius motus. *Quia*, inquit, ***minimum tempus hic habet***, & in muſica diæſim, quia minimus, & primus ſenſibilis tonus, menſuram eſſe. Menſura igitur quantum fieri poteſt, ſimplex, minima, & indiuiſibilis eſſe debet. Sic enim eſt maximè certa, & immutabilis. Nam quantitas magna, cùm alicujus particulæ additione, vel detractione nobis neſcientibus facilè variari poſſit, minus certa, minuſque idonea eſt, ad menſurandum.

Menſura dicit rationem notitia.

3. Est autem ratio menſuræ ratio notitiæ, inquit, Alenſis in tex. 2. lib. 10. Metaphyſic. quia, inquit, Philoſophus ibi, *Menſura eſt id quo quantum cognoſcitur. Cognoſcitur autem quantum, vt quantum, aut vno, aut numero: omnis vero numerus vnc. Quare omne quantum, prout quantum, vno cognoſcitur.* Quæ definitio menſuræ, licet de ſola menſura quantitatis, tam permanentis, quàm ſucceſſiuæ tradita ſit, ad menſurã tamen quantitatis virtualis, ſeu perfectionis cujuſque rei accommodari poteſt. Nam hæc paulò ante habet. *Maximè autem menſuram eſſe cujuſque generis primum, & maximè propriè quanti, hinc enim & ad alia venit.*

Æternitas cur menſura.

4. Qvò fit, vt tempus, quia eſt ſenſibile, & compoſitum (compoſita enim meliùs & priùs, quàm ſimplicia apprehendimus) licet nobis notius ſit Æternitate, aut Æuo, ideoque ex eo capite ad rerum exiſtentiam, ac durationem metiendam aptius videatur: ex alio tamen capite Æternitas, vbi nota fuerit, ad ipſum tempus, aliarumque rerum exiſtentiam, & perfectionem cognoſcendam & metiendã multò videtur aptior, quia eſt ſimplex, indiuiſibilis, & maximè vna, eademque duratio perfectiſſima, aliarumque cauſa, & principium. Vnde quò res quælibet, ejuſque duratio ad Æternitatem accedit propiùs: eò eſt perfectior, & firmius, ac permanentius eſſe poſſidet. Nam perfectiſſimum in quoque genere eſt menſura cœterorum, vt albedo colorum, & vir bonus cœterorum hominum. Igitur Æternitatis duratio perfectiſſima aliarum menſura erit, quatenus earum quæque magis, aut minùs perfecta erit, prout ad illam magis, aut minùs acceſſerit. Quanquam, quia menſura propria menſurato homogenea eſſe debet, & *vnumquodque primo, & ſimpliciſſimo ſui generis propriè menſuratur,*

Digitized by Google

ex Philoſopho ſupra, propterea motus, & quæ ſunt ſucceſſiua, tempore, motuque cœli omnium ſimpliciſſimo; & Æuiterna, ac quæ durant Æuo, ipſo eſſe primi Æuiterni, hoc eſt, perfectiſſimi Angeli duratione menſurantur.

5. Cvm autem menſura dicat rationem notitiæ, propterea & Tempus, & Æternítas, & aliæ menſuræ in ſua ratione completa, ordinem dicunt aliquem ad noſtram animam, noſtramque cognitionem. Quod de Tempore diſertè tradit Philoſophus 4. Phyſic. tex. 131. *Si nihil aliud aptum naturâ eſt, quàm anima numerare, & anima intellectus; impoſsibile eſt Tempus eſſe, cùm non ſit anima: niſi hoc, quòd aliquando exiſtens Tempus eſt; vt, ſi contingit motum eſſe ſine anima. Prius autem, & poſterius in motu eſt; Tempus autem hæc ſunt, quatenus numerabilia ſunt.* *Tempus vt menſura dicit ordinem ad noſtrum animum.*

De Æternitate verò idem tradit S. Thomas 1. part. quæſt. 10. art. 1. his verbis, *Sicut ratio temporis conſiſtit in numeratione prioris, & poſterioris in motu: ita in apprehenſione vniformitatis ejus, quod eſt omnino extra motum, conſiſtit ratio Æternitatis*, & art 2. ad 1. *Nunc ſtans*, inquit, *dicitur facere Æternitatem ſecundùm noſtram apprehenſionem. Sicut enim cauſatur in nobis apprehenſio temporis, eò quòd apprehendimus fluxum ipſius nunc; ita cauſatur in nobis apprehenſio Æternitatis, in quantum apprehendimus nunc ſtans*, & ad 3. ibidem. *Æternitas non eſt aliud, quàm ipſe Deus. Vnde non dicitur Deus æternus, quaſi ſit ab aliquo menſuratus; ſed accipitur ibi ratio menſuræ ſecundùm apprehenſionem noſtram tantùm.* *Æternitas vt menſura nobis eſt dicit ordinem ad noſtrum intellectum.*

6. Ex quibus patet, quòd Æternitatis ratio in apprehenſione vniformitatis eſſe diuini conſiſtit, & intellectus noſter ipſam Dei immutabilitatem, & vniformitatem, vt quandam eſſe diuini menſuram, & permanentiam apprehendit. Nam vt habet Ferrarienſis 1. contra Gentes, cap. 15. *Ratio Æternitatis dicit vnitatem menſurantem eſſe omnino immutabile: menſurare autem ei non conuenit, niſi per opus animæ diſtinguentis ipſam ab eſſe, & apprehendentis eam ſub ratione menſuræ, ideoque ratio Æternitatis, & menſuræ non completur, niſi per opus animæ. Et ſicut completa ratio temporis conſiſtit in menſura, & numeratione partium, ſeu diſcretione prioris & poſterioris in motu, quæ numeratio & diſcretio eſt ſecundùm apprehenſionem animæ cognoſcentis,*

Digitized by Google

9. Atqve hâc ſecundâ definitionis particulâ Æternitas à qualibet alia duratione, vt Æuo, & Tempore, tam continuo, quàm diſcreto diſtinguitur. Æuum enim, quod eſt duratio Angeli, licet ſit totum ſimul, non tamen eſt infinitum & interminatũ, cùm initium habuerit, finemque habere poſſit. Vnde etiamſi Angelus eſſet ab æterno, proindéque ejus exiſtentia nihil ſe prius, aut poſterius, nullum principium, aut finem durationis haberet; non eſſet tamen æternus Æternitate, quæ definita eſt, quia non intrinſecè per ſe, & ex natura ſua, ſed ſolum per accidens, & extrinſecè careret fine ac principio; nempe à Deo, à quo cùm liberè creetur, propterea ex ſe, & etiam ex Dei voluntate, ſiue ſit ab æterno, ſiue non ſit, poteſt non eſſe, ejuſque æuum prius, aut poſterius habere poteſt. Præterea æuum non eſt duratio, & menſura rei prorſus immutabilis, quia eſſe Angelicum adjunctam habet mutationem intellectionum, & volitionum ſibi ſuccedentium, ac etiam præſentiæ ſecundùm locum varietatem: eſſe verò diuinum, quod menſurat æternitas, nec in ſe mutabile eſt, nec vlli mutabilitati conjunctum. *Æternitas vt ab Æuo differat.*

10. A tempore itẽ tam diſcreto, quàm continuo differt æternitas, tum propter jam dictam de æuo rationem: tum quia vtrumque hoc tempus prius & poſterius in ſe habet, vtrumque eſt menſura rei mutabilis, & principium ac finem habentis. Atque vt motus cœli, tempuſque perpetuò durarent, & fine ac principio carerent, non propterea eſſent æterna æternitate propriè dicta ob dictas rationes. Et licet tunc, quia principio & fine carerent, infinita eſſent ſecundùm durationem, ideoque ſecundùm ſe tota menſurari non poſſent, (infinitum enim non eſt menſurabile) quælibet tamen eorum pars, vt dies, menſis, annus, finita eſſet, & finem ac principium in potentia haberet, quæ cùm à nobis definiri, & aſſignari poſſent, propterea etiam tunc tempus per partes metiri, ſuamque extenſionem, & durationem cuique parti definire poſſemus. Æternitas verò omni parte, omni priori & poſteriori, omnique principio ac fine caret, quare, cùm ei quaſi inadæquatè, & per comparationẽ, ac habitudinem ad tempus, cui coexiſtit, à nobis conceptæ prius ac poſterius, præteritum ac futurum tribuimus, *Quomodo à tempore differat.*

Digitized by Google

dicimuſque Deum fuiſſe, fore, intellexiſſe, voluiſſe, generaſſe, ſpiraſſe &c. hæc Deo propriè non conueniunt. Dei enim, & actionum diuinarum, & immanentium exiſtentia propriè non menſuratur tempore, cùm ea ſolùm propriè ſint in tempore, eoque menſurentur, quæ mutantur, quæque habent prius & poſterius durationis, & vel eſſe poſt non eſſe, vel non eſſe poſt eſſe, quæque continentur à tempore, & ab eo patiuntur, ex Philoſopho 4. Phyſic. tex. 117.

11. VNDE nec ipſi Angeli propriè tempore menſurantur, quia ſcilicet in eorum eſſe, ac ſubſtantia, nulla eſt differentia præteriti & futuri, nullumque prius ac pſterius, nec à tempore quidquam patiuntur, cùmque dicimus Angelum eſſe, fuiſſe, vel futurum eſſe, hoc dicitur vel propter ſuccedentes in Angelis intellectionum, actionumque mutationes, vel propter comparationem, quam facimus eſſe Angelici ad diuerſas temporis noſtri partes; adeo vt dicatur Angelus fuiſſe, quia præteriti temporis partes ei coextiterunt; eſſe, quia præſentes ei coexiſtunt; fore, quia futuræ eidem coexiſtent.

Angelum poſſe annihilari.

12. NEQVE verò quòd æuum Angelicum ſit indiuiſibile, totumque ſimul, abſque vlla in ſe partium ſucceſſione, vllo modo ſequitur, Angelum à Deo annihilari non poſſe, quia, vt ait S. Thomas 1. part. quæſt. 10. art. 5. ad 3. *cùm eſſe, & non eſſe Angeli ſubſit diuinæ potentiæ, abſolutè conſiderando poteſt Deus facere, quòd eſſe Angeli non ſit futurum: tamen non poteſt facere, quòd non ſit, dum eſt, vel quòd non fuerit, poſteaquam fuit,* Nam, vt immediatè ante dixit, *qui dicit Angelum eſſe, vel fuiſſe, ſupponit aliquid, cum quo eius oppoſitum (ſcilicet non eſſe & non fuiſſe) non ſubditur potentiæ diuinæ, cùm verò dicit futurum eſſe, nondum ſupponit aliquid.*

Exponitur definitio æternitatis à Boëtio tradita.

13. CÆTERVM explicata Æternitatis definitio eadem eſt cum ea, quam habet Boëtius, de Conſolat. lib. 3. proſâ 2. nempe *interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio.* In qua definitione nomen ipſum *poſſeſſionis* quandam inſinuat Æternitatis immutabilitatem. Quod enim poſſidetur, firmiter & quietè habetur. *Tota* autem dicitur, non quòd partes habeat, ſed quia, vt addit Boëtius, eſt *perfecta*, nihilque ei deeſt. Additur *ſimul*, quæ particula non ſignificat temporis ſimultatem, ſed prioris & poſterioris, ac ſucceſſionis, quæ in

Digitized by Google

tempore ſiue continuo, ſiue diſcreto eſt, negationem, & etiã excluſionem ipſius inſtantis, ac nunc temporis, quod alteri ſuccedit, ideoque eſt nunc, & præſens imperfectum. Præterea *vita interminabilis* dicitur, quia eſſe Dei viuere eſt, nec tantùm ejus eſſe, ſed omnes intellectus, & voluntatis diuinæ actiones, tam notionales, quàm eſſentiales, quæ vera vita ſunt, Æternitate menſurantur. *Interminabilis* denique dicitur quia & eſſe, & vita diuina eſt infinita, omnique termino, id eſt, tam fine, quàm principio, tam actu, quàm potentiâ caret, nec in ſe, ante ſe, vel poſt ſe quicquam prius, aut poſterius habet, vel habere poteſt.

14. NOTAT autem D. Thomas ſupra art. 2. quòd Deus non ſolùm eſt æternus, ſed etiam eſt Æternitas, cùm tamẽ nulla alia res ſit ſua duratio, quia non eſt ſuum eſſe. Quod cùm duobus modis intelligi poſſit, videlicet quòd duratio creaturarum ab earum eſſentia ſit alia re, & ratione ſimul, vel ratione tantùm; licet primum velit S. Thomas, eo quòd cujuſque rei eſſe, ſeu exiſtentia cum ejus duratione re eadem eſt, exiſtentiam autem ab eſſentia re diſtinguit, & conſequenter vult durationem in rebus creatis re diſtingui ab earum eſſentia: ſecundum tamen probabilius eſſe putamũs. At veriſſimum nihilominus eſt, quòd Deus & re, & ratione eſt ſua Æternitas, quia, inquit, S. Thomas ibidem, *Deus eſt ſuum eſſe vniforme, & ſicut eſt ſua eſſentia, ita ſua Æternitas.* Æternitas igitur, vt eſſe diuini ſimplicitatem, & immutabilitatem dicit, de eſſentia Dei eſt: non verò vt nobis eſt menſura: quia completa ratio menſuræ noſtræ, vt antea monſtratum eſt, ad noſtram cognitionem, noſtramque animam ordinem dicit: Dei autem eſſentia nullum habet ordinem ſibi eſſentialem ad creaturas, ſed à parte rei ab eis omnino independens eſt.

Cur Deus ſit ſua æternitas.

15. Ex quo adhuc habetur aliud diſcrimen Æternitatis ab alijs durationibus. æternitas enim eſt de eſſentia Dei non ſecus, ac ejuſdem exiſtentia; Æuiterni autem v. g. Angeli exiſtentia, vt non eſt de ejus eſſentia, ſic nec ejus duratio & æuum. Similiter tempus eſt menſura, non tantùm ratione, ſed etiam re diſtincta ab exiſtentia, & motu omnium ſublunarium, ijs extrinſeca non ſecus, ac vlna lignea panno. Et licet reſpectu ipſiuſmet motus cœli ſit menſura intrinſeca, & cum

Digitized by Google

eo realiter eadem, non tamen ratione, cùm ſit quædam ejus proprietas, ex Philoſ. 12. Metaphyſic. text. 29. *Motus ita continuus, ſicuti & tempus. aut enim idem, aut quadam ipſius motus paſſio eſt.*

De Ordine Durationum inter ſe.

CAPVT XVI.

Quatuor diuerſa rerum durationes.

1. QVADRVPLEX eſt apud Theologos, & Philoſophos rerum Duratio, *Æternitas, Æuum Tempus diſcretum, & Tempus continuum.*

Æuum quid ÆTERNITAS eſt duratio Dei, de qua cap. præcedenti. Æuum eſt duratio ſubſtantiæ ſpiritalis creatæ, vt Angeli, & animæ rationalis, quæ tota ſimul eſt, & finita, quatenus initium habet, licet non ſit habitura finem. Imò finem & principium, proindeque aliquid ſe prius & poſterius habere poteſt. Nam Angelum Deus poſt aliquid aliud creatum facere, & eundem ante illud deſtruere poſſet. Tempus diſcretum eſt duratio multorum inſtantium ſibi ſuccedentium, ac diſcretorum, quorum quodlibet eſt totum ſimul, ac indiuiſibile: vel eſt duratio ſucceſſiua multarum rerum, v. g. intellectionum, volitionum, & operationum Angelicarum ſibi ſuccedentium, quarum quælibet ab alia diſcreta tota ſimul exiſtit: cujus temporis meminit Auguſt. lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 15.

Quid tēpus diſcretum.

Quid tēpus continuum.

2. TEMPVS vero continuum eſt duratio, & menſura motus ſecundùm partes priores & poſteriores, vel vt ait Philoſophus, *Numerus motus ſecundùm prius & poſterius.* Cùm enim motus duplicis generis partes habeat, quaſdam per accidens, & ex parte ſubjecti (quilibet enim, ſiue alterationis, ſiue localis motus, vt & quodlibet aliud accidens, ad ſubjecti, in quo eſt, extenſionem extenditur, & ad ejus diuiſionem ſecundùm ejus partes diuidi poteſt, quâ ratione motus calefactionis in ſubjecto bipedali major eo eſt, qui in pedali recipitur) quaſdam autem per ſe, & ſucceſſiuas, prout correſpondet tempori, quarum aliæ alijs poſteriores ſunt, aliæ

priores;

priores; harum tempus eſt menſura, eò quòd per duratione̅ temporis cujuſlibet motus duratio, & extenſio ſecundùm has partes ſucceſſiuas à nobis cognoſcitur, *Menſura enim eſt id, quo quantum cognoſcitur*, 10. Metaph. tex. 2. Vnde & maximè nota, & certa, eademque menſurato cognata, id eſt, ejuſdem cum eo generis eſſe debet, ex Philoſopho ibidem tex. 4. & 4. Phyſico. tex. 135. Longitudo enim longitudine, latitudo latitudine, pondus pondere, vox voce menſuratur, & ſic de alijs; & quia nota, & certa eſſe debet, debet quoque, vel ſimpliciter, vel quo ad ſenſum indiuiſibilis eſſe. Sic enim & ad plura menſuranda adhiberi poteſt, & minùs mutabilis eſt, notiuſque nobis eſt, ſi quæ in eam cadit mutatio. *Ex ſtadio enim*, inquit Philoſophus 10. Metaphyſic. tex. 3. *& talento, ac ſemper à majore, magis profectò latebit, & additum aliquid, & demptum, quàm ex minore. Quare à quo primo ſecundùm ſenſum non contingit hoc, omnes menſuram & humidorum, & ſiccorum, & grauis, & leuis faciunt.*

3. QVÆ conditiones menſuræ, cùm cœli, ac ſolis motui reſpectu motuum omnium ſublunarium conueniant (Eſt enim nobis motuū notiſſimus, ejuſdemque cum mutationibus ſublunaribus generis, habens prius & poſterius, idemque maximè indiuiſibilis, hoc eſt certus, regularis, vniformis, & celerrimus, proindeque paruus) cùm præterea motuum omnium ſublunarium ſit primus, eorumque cauſa, & principium ijſdemque major, & eos omnes continens, ex Philoſ. 4. Phyſic. ſupra; propterea tempus eſt motuum, rerumque ſublunariū numerus & menſura ſecundùm prius & poſterius, noſque de cujuſque quantitate, duratione, & extenſione maximè certiores facit. Vnde Philoſophus 4. Phyſic. tex. 100. *Tempus*, ait, *eſt numerus motus ſecundùm prius & poſterius, vel motus* (ſcilicet cœli) *quatenus numerum habet.* Id eſt, quatenus eſt menſura aliorum motuum. *Signum autem eſt. Plus enim, & minus diſcernimus numero: motum autem plurem, & minorem tempore. Numerus itaque quidam tempus eſt.*

Cur motus cœli ſit tempus & menſura.

4. ET quoniam menſura duplex eſt; vna *actiua*, quâ metimur, vt vlna lignea reſpectu panni: Altera *paſſiua*, ipſa ſcilicet extenſio, & quantitas rei menſurabilis, & illa huic interdum eſt omnino extrinſeca, nec ejus pars (neque enim

Mēſura alia extrinſeca alia intrinſeca.

Digitized by Google

vlna lignea panni, nec motus cœli motuum ſublunarium pars eſt) interdum verò eſt rei menſuratæ intrinſeca, & pars ejus quantitatis, quæ menſuratur, vt vnitas numeri, & vlna panni reliquo panno per replicationem applicata; tempus, ſeu motus cœli hoc ſecundo modo ſui ipſius menſura eſt, cùm annum menſe, menſem diebus, diem horâ, horam momento cognoſcamus. Aliorum verò motuum ſublunarium eſt menſura primo modo, nempe extrinſeca, & ſecundùm hanc menſuræ rationem conſtituit categoriam *Quando.* Nam vt continuum, & menſura intrinſeca motus cœli eſt in categoria quantitatis, ex Philoſopho in Prædic.cap. 3. & 5. Metaphyſic. text. 18. Sic enim eſt diuiſibile in ſemper continua, & diuiſibilia, eique longum & breue, plus & minus, æquale & inæquale, non ſuſcipere magis & minus, eſſe menſurabile per aliquam ſui partem, aliæque quantitatis proprietates conueniunt. Proindeque eſt quantitas, eaque continua, quod ejus partes communi termino copulentur. Vnde Philoſophus lib. 4. Phyſic. text. 99. *Quia magnitudo continua eſt, & motus eſt continuus; quia verò motus, & tempus.* Eſt denique quantitas continua ſucceſſiua, & non habens poſitionem, id eſt partes ſimul permanentes, ſed ſibi ſuccedentes, quia *in tempore,* inquit Philoſophus ibidem, *eſt prius & poſterius, propterea quòd alterum ſequitur ſemper alterum ipſorum.* Licet autem tempus non ſit ſine motu, ac mutatione, cùm ſit re idem cum illo; ratione tamen ab illo differt: quod ex eo probat Philoſophus 4. Phyſic. text. 96. *Quòd motus omnis ſit velocior, aut tardior; tempus verò neque ſit velox, neque tardum.*

Tēpus quomodo quantitas.

5. IDEM autem tempus, licet quatenus eſt menſura, pendeat ab anima, & ab intellectu, 4. Phyſic. tex. 131. (Animæ enim eſt res per collationem vnius ad alteram menſurare: & menſura eſt id, quo cognito per ejus applicationē ad aliud, hujus quantitas, ſiue molis, ſiue virtutis cognoſcitur) eſt nihilominus ens reale, ſicut & motus cœli, cum quo re idem eſt, exiſtitque realiter & actu, non quatenus eſt præteritum, & futurum, ſed quatenus eſt præſens, per omnes ſuas partes ſucceſſiuè æuo ac omni permanenti præſentes. Etenim vt ait Philoſophus 4. Phyſic. tex 105. *Si tempus non ſit, ipſum nunc (* id eſt præſens) *non erit, & ſi ipſum nunc non ſit,*

Quomodo tempus ſit ens reale.

Digitized by Google

tempus non erit. Deinde cùm tempus diuidatur in præteritum, præſens & futurum, neque præteritum, neque futurum ſunt, ſed illud fuit, hoc erit. Vnde Philoſophus lib. 1. de Interpretat. cap. 3. verba præteriti & futuri temporis negat eſſe propriè verba, ſed ſolùm caſus verbi, quoniam cùm verbũ tempus conſignificet, ſolùm verbum præſentis temporis tempus præſens conſignificat; alia verò id quod circumcirca præſéns eſt. Igitur ſolum tempus præſens exiſtit. Præteriti verò, aut futuri partes, non niſi cùm ſucceſſiuè ſunt præſentes, vt dies per horas, hora quælibet per ſuas partes ſucceſſiuè præſentes, ſicque vt cum Auguſt. loquar, lib. 11. Confeſſ. cap. 28. *Futurum per præſens tranſeat in præteritum, & expectatio futuri in memoriam præteriti, per memoriam præſentis traijciatur.* Itaque omnes temporis partes, quatenus præſentes ſucceſſiuè exiſtunt, ipſumque præſens eſt quantitas, & extenſio quædã ſucceſſiua: Nam vt ait Auguſt. ibidem *Quis negat præſens tempus carere ſpatio, quia in puncto præterit?* In puncto, inquit, id eſt, in indiuiſibili ſecundùm partes ſimul præſentes ſimulque exiſtentes, diuiſibili verò in partes ſucceſſiuè præſentes & exiſtentes. Sic enim tota temporis realitas, omneſque & ſingulæ ejus partes tribus his temporis præteriti, præſentis, & futuri differentijs ſubſunt: ita tamen, vt ſint ſolùm actu in rerum naturâ, quatenus ſunt præſentes. *Auguſtin. 11.*

6. Præsvpposita igitur hac variarum durationum diſtinctione, & expoſitione, manifeſtum eſt in tempore, tam continuo, quàm diſcreto, eſſe aliquem in exiſtentia, & duratione ordinem, cùm in vtroque ſint multæ partes, quarum vna exiſtat, non exiſtente, nec durante alterâ; atque adeo vna ſit poſt, alia ante: non autem in Æuo, quod eſt indiuiſibile, & totum ſimul, ac ſine vllis partibus, proindéque nulla in eo prior, nulla poſterior: imò in ſua formali ratione, nihil ante ſe, aut poſt ſe exiſtens includit. Multo minùs ordo ſucceſſionis & partium in Æternitate reperietur, quæ eſt magis indiuiſibilis. *In tempore eſt ordo.* *Non in alijs durationib'.*

7. **Vervm difficultas eſt, an inter ipſas durationum ſpecies ſit ordo, & an vna ad aliam comparata prior, aut poſterior eſſe poſſit; & ſi prior, quâ prioritate. v. g. An Tempus continuum ſit ante diſcretum, vel contra: an vtrumque,**

aut alterum ſit poſt, vel ante Æuum, & qnomodo Æternitas ſit ante omnes.

Dignitate prius eſt a unm tẽpore & vtroque æternitas.

Ac prioritate quidem dignitatis, vel etiam naturæ, & conſequentiæ Tempus diſcretum continuo, & Æuum vtroque, Æternitatẽ omnibus priorem eſſe perſpicuum eſt, ex eo quòd partes Temporis diſcreti firmius eſſe habeant, durentque ſingulæ continuo aliquo tempore, cujus partes continuè fluunt, & ſtatim pereunt. Deinde Tempus diſcretum eſt duratio ſpiritalis. Tẽpus verò continuum, cùm ſit motus cœli, eſt res corporea & ſenſibilis, quæque eo menſurantur, ſunt res ſenſibiles; quæ autem menſurantur Tempore diſcreto inſenſibiles ſunt. Adde quod tempus continuum, nempe motus cœli à Tempore diſcreto, hoc eſt ab Intelligentiarum cogitationibus, & volitionibus, quæ mouent cœlos dependeat.

Æternitas & dignitate & cauſalitate prior eſt alijs durationibus.

8. Iisdemqve de cauſis Æuum vtroque Tempore dignitate prius eſt, quia ſimplicius, magiſque ſpirituale, quia vtriuſque principium, & cauſa. Æternitas ſimiliter omnibus alijs durationibus, ijſdem de cauſis, & longè altiori modo prior eſt, quia magis ſpiritalis eſt, & cauſa eorum omnium. Vnde etiam exiſtendi conſequentiâ prior eſt. Si enim ſunt aliæ durationes, eſt Æternitas, non contra: ſi eſt Æternitas, ſunt aliæ durationes: idemque de Æuo reſpectu Temporis diſcreti, de diſcreto reſpectu continui dici poteſt; licet continuum à diſcreto, & vtrumque ab Æuo non ita neceſſariò, & eſſentialiter pendeant, vt hæc omnia ab æternitate.

Quomodo æternitas tẽpore prior ſit difficilè eſt comprehendere.

9. At quomodo æternitas exiſtentiâ & duratione reali, Æuo, ac etiam Tempore, ſiue continuo, ſiue diſcreto prior ſit, & intelligere, & bene exponere perdifficile eſt: quia cùm ante, & poſt, prius & poſterius ſint de eſſentia temporis ſiue diſcreti, ſiue continui, nullo exiſtente tẽpore quomodo Æternitas nullum in ſe prius & poſterius, nullum finem & principium habens, & extra ſe nihil ante, aut poſt, poſſit nihilominus dici prior aliquo alio, nõ videtur intelligibile. Si enim Deo nihil eſt poſterius, nec ipſe quoquã duratione priùs erit.

Deinde quam argumentationem de *Tunc*, quæ eſt quædam temporis differentia, facit Auguſt. 11. Confeſſ. cap. 13. eadem de ante & poſt Æternitatis fieri poteſt, *Si ante cœlũ & terram,* inquit, *nullum erat tempus, cur quæritur quid tunc fa-*

Digitized by Google

ciebat? Non enim erat tunc, vbi non erat tempus: nec tu tempore tempora præcedis, alioquin non omnia tempora præcederes. Itaque ante mundum conditum nullum erat propriè antè. Sicut enim *intra & extra*, quæ ſunt differentiæ loci, nulla ſunt, vbi non eſt locus, ideoque cùm dicimus Deum, aut aliquid eſſe extra mundum, ſolum negatiuum, & imaginarium extra deſignamus: Ita cùm ante & poſt ſint partes, & differentiæ temporis, cùm dicimus aliquid eſſe, vel fuiſſe ante tempus, & mundum conditum, non niſi ante negatiuum, & imaginarium concipimus, ac ſignificamus non fuiſſe tempus, in quo mundus eſſet. Et licet innumera cogitare poſſimus ſæcula ante mundi, verique temporis initium, hæc tamen tempora, eorumque anteceſſio, non vera & realis, ſed ſolùm imaginaria eſt: adeò vt rectè Auguſt. loco proximè citato. *Si cujuſquam* inquit, *volatilis ſenſus vagatur per imagines retro temporis, & te Deum omnipotentem, & omnicreantem, & omnitenentem, cæli & terræ artificem ab opere tanto, ante quàm id faceret, per innumerabilia ſæcula ceſſare miratur, euigilet atque attendat, quia falſa miratur; Nam vnde poterant innumerabilia ſæcula præterire, quæ ipſe non feceras? aut quomodo præteriſſent, ſi nunquam fuiſſent?* Itaque idem Auguſt. lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 17. ingenuè fatetur, à mortalium nemine concipi poſſe, quomodo Deus ex otio in actum tranſierit, cœperitque creare mundum, quem ante non creabat. *Si prius*, inquit, *ceſſauit* Deus, *& poſterius operatus eſt (quod neſcio quomodo ab homine poſſit intelligi) hoc procul dubio, quod dicitur prius & poſterius in rebus prius non exiſtentibus, & poſterius exiſtentibus fuit. In illo autem non alteram præcedentem altera ſubſequens mutauit, aut abſtulit voluntatem; ſed vnâ eâdemque ſempiternâ, & immutabili voluntate, res quas condidit, & vt priùs non eſſent egit, quandiu non fuerunt; & vt poſterius eſſent, quando eſſe cœperunt.*

Auguſtinus.

Ante & poſt extra item duplex.

Negatiuum imaginariũ & poſitiuum

Auguſtinus.

N 3

Digitized by Google

Qua ratione Æternitas ſit prior Tempore.

CAPVT XVII.

1. CVM & Sacra Scriptura, & SS. Patres, Doctoreſque Theologi, imò & communis omnium loquendi modus habeat, vt Deus dicatur eſſe ante omnia ſæcula, & ante mundi conſtitutionem nos cognouiſſe, elegiſſe, prædeſtinaſſe, alijſque vtantur verbis, anteceſſionem quandam realem indicantibus, quidnã ſit illud ante & prius, quod certum eſt non eſſe temporis, vtcumque dicere nunc tentabimus. Quare.

DICO primò. Propoſitiones omnes de Deo, ejuſque actionibus internis, quæ habent verba, aut aduerbia temporis, ex communi hominum ſenſu accipiendas eſſe de Æternitate Dei inadæquatè ſumpta, hoc eſt, per comparationem ad tempus noſtrum. Sic enim Æternitas à tempore priori prior, & ante; à poſteriori poſterior; à præterito, præſenti, & futuro, præterita, præſens, & futura extrinſecè denominari poteſt; & quidem realiter, ſi tempus reale fuerit; quo modo Deus, ejuſq; æternitas, prout coexiſtit Adamo, prior eſt ſeipsâ, & tempore, in quo erat Abraham, & nunc tempore poſterior eſt ſeipsâ tempori Salomonis coexiſtente: ſi verò tempus tantùm imaginarium fuerit, imaginarium tantùm habebit prius & poſterius, idemque illi extrinſecum. Quare exiſtimo Æternitatem Dei ſine vllo ad tempus ordine, & vt ſolem perpetuò ſtantem, immobilem, luce, & claritate ſemper eundem meliùs concipi, quàm in ordine ad tempus.

Æternitas quomodo cõcipienda.

2. DICO ſecundò. Propoſitiones, quæ de Deo fiunt verbis, aut aduerbijs temporis præſentis, ſi noſtrum tempus præſens ſignificant falſas eſſe: ſi verò accipiantur, vt ſignificant nunc, & præſens æternitatis, non autem temporis noſtri veras eſſe, & de Deo propriè fieri. Hoc ſatis indicat S. Thom. quæſt. 2. de Veritate art. 12. vbi hæc habet, *Si Dei ſcientia ſignificaretur, vt eſt, magis deberet dici, quòd Deus ſcit hoc eſſe, quàm quòd ſciat futurum, quia ſibi nunquam ſunt futura, ſed ſemper præſentia.* Vnde etiam, vt ait Boëtius lib. 5. de

Quando & quomodo vera propoſitiones de Deo in tempore præſenti.
D. Thomas.

Digitized by Google

Conſolat. proſâ vltimâ, *ejus cognitio de futuris magis dicitur propriè prouidentia, quàm præuidentia, quia ea porro quaſi longè poſitus in æternitatis ſpecula intuetur. Quamuis etiam præuidentia dici poßit, propter ordinem ejus, quod ab eo ſcitur, ad alia quibus futurum eſt.*

3. PROBATVR, quia prædictæ propoſitiones, & verba, aut aduerbia, quibus conſtant, ſi intelligerentur de noſtro tempore, & vt illud conſignificant, ſignificarent Deũ eſſe in noſtro tempore, eoque menſurari. Cùm enim dicimus arbor floret, Petrus orat, equus currit, & ſimiles fiunt propoſitiones, ſignificatur & flores in arbore, & Petri orationem, & equi curſum eo, quod jam eſt, tempore menſurari: At Deus, Deique internæ actiones non ſunt in tempore, Tum quia, ex Philoſopho lib. 4. Phyſic. tex. 115. & 116. *Manifeſtum eſt, quòd non eſt in tempore eſſe, tunc eſſe, quando tempus eſt, ſicut neque in motu eſſe, neque in loco, quando motus, & locus eſt. Si enim erit id, quod in aliquo, ſic omnes res in quolibet erunt, & cœlum in milio erit. Quando enim milium eſt, & cœlum eſt.* Et paulò poſt. *Quoniam autem eſt vt in numero* (id eſt vt in menſura) *eſſe in tempore, accipietur aliquod majus tempus omni eo, quod eſt in tempore. Quapropter neceſſe eſt omnia ea, quæ in tempore ſunt, contineri à tempore, ſicut & alia quæ in aliquo ſunt, vt ea quæ in loco ſunt, à loco. Et pati etiam aliquid à tẽpore: ſicut & dicere conſueuimus, quòd tẽpus tabefacit, & ſeneſcunt omnia tempore, & obliuiſcuntur propter tempus; ſed non didicit, nec nouum factum eſt, nec pulchrum. Corruptionis enim cauſa per ſe magis eſt tempus: numerus enim eſt ipſius motus: motus autem expellit id, quod ineſt.* Deus autem non continetur à tempore, nullumque tempus eo majus, aut perfectius eſt, item à tempore nihil patitur. Deinde *quæ ſemper ſunt,* inquit Philoſophus ibidem, *quatenus ſemper ſunt, non ſunt in tempore. Non enim continentur à tempore, neque menſuratur ipſorum eſſe à tempore*; Deus autem ſemper eſt.

Eſſe in loco non eſt eſſe quando eſt locus.

A tempore patiuntur quæ ſunt in tempore.

4. PRÆTEREA ea tantùm ſunt in tempore, quæ vel mouentur, vel quieſcunt. *Tempus enim,* inquit ibidem, *menſura motus eſt, & quietis menſura ſecundùm accidens. Omnis enim quies in tempore eſt.* At Deus nec mouetur, nec quieſcit, quia *quies eſt immobilitas ejus, quod eſt mobile,* 3. Phyſic. tex. 16. *& illud*

Digitized by Google

quieſcit, quod priuatum motu, aptum naturâ eſt moueri, 4. Phyſic. tex. 128. Deus autem non eſt aptus moueri: ergo non quieſcit, ſed abſolutè & ſimpliciter immobilis, & immutabilis eſt: igitur nullo modo eſt in tempore. Itaque verba, aut aduerbia præſentis temporis in propoſitionibus de Deo, nunc quidem & præſens ſignificant, at non temporis, quod fluit & tranſit, ſed æternitatis, quod ſemper manet, eſtque indiuiſibile, & ſine vllis partibus.

ET certè ſi in propoſitionibus ſcientificis, & ſempiternæ veritatis, vt roſa eſt flos, Eclypſis eſt priuatio luminis in luna ob interpoſitionem terræ, verbum *eſt* præſentis temporis abſtrahit à tempore præſenti actuali, vt fatentur omnes; alioqui ejuſmodi propoſitiones non eſſent vniuerſales, nec veritatis ſempiternæ, nec verificarentur de ijs, quæ non exiſtunt: quidni etiam illud idem verbum, & alia præſentis temporis, in propoſitionibus de Deo factis, non abſtrahant à tempore, & ſignificent durationem omni tempore ſuperiorem?

Æternitas æuo & tempore prior. Quia infinita.

5. DICO tertiò. Deum, ejuſque æternitatem omni æuo, & tempore, ac Mundo vniuerſo realiter priorem eſſe multis modis, ac titulis. *Primò* quia eſt *infinita*, caretque omni fine ac principio, & neutrum habere poteſt. Aliæ verò omnes durationes creatæ finitæ ſunt, & principium habuerunt.

2. Quia major fieri nequit.

Secundò, quia quâlibet duratione finitâ datâ major, & perfectior dari poteſt, atque adeo eâ quæ fuit, & erit prior & poſterior, cui æternitas verè, & realiter coexiſteret, ſi daretur. Quis enim neget mundum centum mille annis retro ante creari potuiſſe, cui toti tempori æternitas coextitiſſet? æternitate verò nihil prius aut poſterius, nihil majus eſſe poteſt.

Tertiò *dignitate & permanentiâ*. Quælibet enim duratio creata ſiue æui, ſiue temporis diſcreti, aut continui abſolutè eſt mutabilis, poteſtque non eſſe: æternitas verò non poteſt non eſſe, ſemperque eadem manet: ideoque Auguſt. 11. Confeſſ. cap. 13. *Præcedis* inquit, *omnia tempora præterita celſitudine ſemper præſentis æternitatis*: & cap. 14. *Nulla tempora tibi coæterna ſunt, quia tu permanes; at illa ſi ſemper manerent, non eſſent tempora.* & lib. 12. de Ciuitat. Dei cap. 15. *Tempus enim quoniam mutabilitate tranſcurrit, æternitati immutabili non poteſt eſſe coæternum.*

Digitized by Google

num. Et paulopoſt. *Erat Deus ante illam* (id eſt creaturam) *quamuis nullo tempore ſine illa, non eam ſpatio tranſcurrente, ſed manente perpetuitate præcedens.*

4 *Exiſtẽdi cõſequentia.*

6. QVARTÒ. Æternitas prior eſt alijs durationibus *exiſtendi conſequentiâ.* Si enim hæ ſunt, & illa, non contra: ſi eſt æternitas illæ ſunt.

5 *Cauſalitate.*

QVINTÒ, prior eſt *cauſalitate.* Deus enim omnis temporis, & durationis eorum, quæ ſunt, fuerunt, aut erunt vnquam cauſa eſt, cùm ipſe ab omni creaturarum duratione planè abſolutus, & independens ſit.

6 *Quia tota ſimul & ſimplex.*

SEXTÒ, Quâ ratione Deus propter ſuam immenſitatem toto orbe major eſt, & ſupra ac infra Mundum eſſe dicitur, quamuis hæc ſit indiuiſibilis: ita propter ſuam æternitatem, infinitam quidem, ſed ſimplicem, & totam ſimul, omni æuo, omnique tempori præterito, præſenti, & futuro, non ſolùm præſens eſt, & coexiſtit; ſed eo major, & prior eſt. Ideoque rectè Boëtius lib. de Conſolat. Proſa 6. *Aliud,* inquit, *eſt per interminabilem duci vitam, quod Mundo Plato tribuit: aliud interminabilis vitæ totam pariter complexam eſſe præſentiam; quod diuinæ mentis proprium eſſe manifeſtum eſt. Neque Deus conditis rebus antiquior videri debet temporis quantitate, ſed ſimplicis potiùs proprietate naturæ.*

7. Ex quibus intelligitur, quid ſit illud *ante*, illaque *prioritas,* quâ Deus ante Mundum eſſe dicitur. Neque enim eſt prioritas temporis, quia hæc tranſit, fluit, & eſſe deſinit; Nec prioritas æui, aut vllius durationis, quæ ſit in vlla re creata, quia hæc cùm naturâ ſuâ finita ſit, aliquid ante, & poſt ſe vel habet, vel habere poteſt: ſed eſt prioritas alterius planè generis, ac ſublimioris ordinis, cui nulla ſimilis eſt in tota creaturarum vniuerſitate, nulla ei comparabilis: proindeque inter æternitatem Dei, aliaſque durationes creatas, nullus propriè eſt ordo durationis: ſed æternitas eſt ſupra, & extra omnem ordinem temporis, omniſque creatæ durationis: priorque illis dicitur, quòd eas omnes tam ſimplices, quàm compoſitas, tam fluentes, quàm permanentes, vna ſimplex, indiuiſibilis, & infinita complectatur.

Qua ratione æternitas ſit prior alijs durationibus.

Digitized by Google

Quomodo quæ nobis, noſtræque cognitioni ſunt futura, Deo, ejuſque ſcientiæ, ac decretis futura non ſint.

CAPVT XVIII.

1. RATIO hujus quæſtionis & difficultatis eſt, quòd Dei exiſtentiâ, ejuſque ſcientia, ac volitio æternitate per ſe, ac propriè menſurentur: æternitas autem, vt ſupra dictum eſt, prior aliquo modo eſt omni tempore; ergo & præterito, præſenti, & futuro, quæ partes ſunt, & differentiæ tẽporis, ijſque omnibus, quæ ſunt in tempore, aliquo modo prior erit.

CONTRA verò æternitas, quia ſimplex & infinita, omne tempus complectitur, omnique tempori præterito, præſenti, & futuro eadem manens præſentialiter coexiſtit. Quod autem alicui duratione præſens eſt, eo prius, aut poſterius eſſe nequit. Igitur ſcientia Dei, ejuſque decreta, objecta ſua non reſpiciunt, vt ſibi futura. Quod videtur probabilius. Itaque.

Deo nihil futurum.

2. DICO Futura ſiue neceſſaria, ſiue contingentia, & libera, quæ in ordine ad nos, aut ad alias res præteritas, vel præſentes in tempore exiſtentes habent rationem futuri, in ordine ad ſcientiam, aut voluntatem Dei, non futuri, ſed ſolùm præſentis rationem habere. Eſt doctrina S. Thomæ, qui inde petit cauſam certitudinis, & infallibilitatis ſcientiæ, quam habet Deus de futuris 1. part. quæſt. 14. art. 13. vbi ita loquitur. *Omnia, quæ ſunt in tempore, ſunt Deo ab æterno præſentia, non ſolùm eâ ratione, quâ habet rationes rerum apud ſe præſentes, vt quidam dicunt, ſed quia ejus intuitus fertur ab æterno ſupra omnia, prout ſunt in ſua præſentialitate. Vnde manifeſtum eſt, quòd contingentia, & infallibiliter à Deo cognoſcuntur, in quantum ſubduntur diuino conſpectui ſecundùm ſuam præſentialitatem, & tamen ſunt futura contingentia ſuis cauſis comparata.*

3. RATIO hujus rei eſt ea, quæ paulò ante dicta eſt,

Digitized by Google

nempe, quòd, vt eſſe Dei, ſic ejus ſcientia, & volitio æternitate menſurantur: æternitas autem, vt nullum in ſe prius, aut poſterius habet, ſic etiam extra ſe nihil ante, aut poſt, ſed omni tempore præterito, præſenti, & futuro eadem tota, ſimplex, & indiuiſibilis ſimul præſens eſt, præſentiâ longè aliâ, quàm præſentia temporis præſentis. Hoc enim præſens eſt intra tempus, vt pars in toto: idemque mutabile, & continuè fluens, ſemperque aliud, & aliud: præſens verò æternitatis eſt extra, & ſupra omne tempus, eſt immutabile, &, vt ait Auguſt. inconcuſsâ firmitate perpetuò ſtans: idemque infinitum, omnis principij ac finis expers, nullum intra ſe prius aut poſterius, & extra ſe nihil ante, vel poſt ſe habens. Igitur ſcientia diuina, cùm ſit æterna, rebus omnibus præteritis, præſentibus, & futuris realiter, & ſimul præſens erit.

Præſens temporis quo differat à præſenti æternitatis.

VNDE ſi de ea, vt eſt à parte rei loqueremur, dicendum non eſſet, vt notat S. Thomas quæſt. 2. de Veritate art. 12. Deum hoc vel illud ſciuiſſe, aut voluiſſe; ſed hoc ſcit, & vult: neque hoc ei eſſe præteritum, vel futurum, ſed tantùm præſens, cùm nullam ſecundùm ſe habeat habitudinem prioris & poſterioris ſecundùm durationem ad res creatas. Inter quas tamen ſibi inuicem ſuccedentes eſt ordo præteriti ad præſens, aut futurum; vel futuri ad præſens, & præteritum; aut præſentis ad præteritum, & futurum. In quo ordine extrema ſunt, quæ & incipiunt, & deſinunt, ac inter quæ eſt aliquod medium fluens, quod extremorum ab inuicem diſtantiam aliquam efficit. At æternitatis, & ſcientiæ diuinæ ordo ad omnia, quæ ſunt, fuerunt, & erunt, ſolùm eſt ſicut præſentis ad præſens, cùm ipſa ſimplex ſit, infinita, & indiuiſibilis, nullam partium ſucceſſionem habeat, nec incipiat, nec deſinat, & inter eam, ac cujuſlibet rei creatæ exiſtentiam nullum ſit durationis medium, quod vllam diſtantiam efficiat.

Alius ordo rerum inter ſe quam ad æternitatem

4. QVARE Deus nihil planè cognoſcit, vt ſibi præteritum, aut futurum, ſed ſolùm vt ſibi præſens intuetur: licet res ipſæ creatæ, & nobis, noſtræque cognitioni, & ſibi inuicẽ ſint præteritæ, aut futuræ. Nam, vt rectè S. Thomas ſupra, *Tunc aliquid cognoſcitur, vt futurum eſt, quando inter cognitionẽ cognoſcentis, & rei euentum inuenitur ordo præteriti ad futurum: hic autem ordo non poteſt inueniri inter cognitionem diuinam, &*

Deus nihil cognoſcit vt ſibi futurũ.

Digitized by Google

quamcunque rem contingentem; ſed ſemper ordo diuinæ cognitionis ad rem quamcunque eſt, ſicut ordo præſentis ad præſens. Et vt ait ibidem ad 6. *Cognoſcit futura contingentia ſibi vt præſentia, alijs autem futura.*

Declaratur ſimilitudine circuli.

5. QVOD lib. 1. contra Gentes cap. 66. declarat ſimilitudine circuli, in quo puncta circumferentiæ, quæ rationem prioris & poſterioris ſecundùm ſitum habent inter ſe, reſpectu ejus puncti, quod eſt in centro extra circumferentiam, neque ſunt ante, neque poſt, ſed hoc illis omnibus, & ſingulis æquè præſens eſt, & æquè diſtans ab illis. Ita æternitas, quæ tota ſimul extra omne tempus exiſtit, tempore, quod ſucceſſionem, quod futurum, præſens, & præteritum, quod prius & poſterius habet, neque prior, neque poſterior eſt; ſed vna indiuiſibilis, & ſemper eadem manens, omnibus temporis differentijs æquè, ac tota ſimul præſens eſt, &, vt ait S. Thomas ibidē, *Quidquid in quacunque parte tēporis eſt, coexiſtit æterno, quaſi præſens eidē, etſi reſpectu alterius partis tēporis ſit præteritum, vel futurum.* Vt igitur oculus in centro circuli exiſtens omnes lineas ab eo ductas, omneſque circumferentiæ partes, inter ſe quidem priores & poſteriores, ſibi tamen vt præſentes intuetur, nullamque conſpicit ſe priorem aut poſteriorem: ita ſcientia Dei æterna totum tempus, ac præterita, præſentia, & futura rationem quidem prioris & poſterioris inter ſe habentia, vt ſibi, ſuæque æternitati actu præſentia perpetuò cernit, ac contemplatur. Nam, vt ſcribit Auguſt. lib. 9. Confeſſ. cap. 10. *Fuiſſe, & futurum eſſe non eſt in ea, ſed eſſe ſolùm, quoniam æterna eſt. Nam fuiſſe, & futurum eſſe non eſt æternū.*

Alia via idē explicatur.

6. QVOD à nobis vtcumque concipi poterit, ſi cogitemus inter ipſam Dei æternitatem totam, & indiuiſibilem, ac quamlibet temporis præteriti, præſentis, & futuri partem nullam eſſe durationem mediam. Si enim nihil eſt medium, ergo ſimul ſunt. Nam quemadmodum diſtare loco ea dicuntur, inter quæ eſt aliquod medium ſpatium; & contra non diſtare, ſed ſimul loco eſſe, inter quæ nullum eſt ſpatiū, nulla quantitas intermedia: ita ea duratione diſtant, inter quæ eſt aliqua duratio media: & contra, duratione nō diſtant, atque adeo ſimul ſunt, inter quæ nulla eſt duratio media. At inter æternitatem, & totum tempus præſens, præteritum & futurum, nulla eſt,

Digitized by Google

vel eſſe poteſt duratio intermedia: ergo ſimul ſunt.

7. Et quemadmodum totum Vniuerſum adeò extenſum, ac quælibet ejus pars diuinæ immenſitati toti, & indiuiſibili immediatè præſens eſt, & ſimiliter noſtræ animæ toti, quia indiuiſibilis eſt, eaque tota in toto, ac tota in qualibet parte corporis, non ſolùm totum corpus noſtrum, ſed etiam quælibet ejus pars præſens adeſt, totaque anima à nulla corporis parte diſtat, quamuis ipſæ corporis partes à ſe inuicem diſtent: Ita omne tempus præſens, præteritum, & futurum, & quælibet ejus pars quantumuis extenſa, & ſucceſſiua æternitati toti, quæ nullas in ſe partes, nullum prius & poſterius habet, nec quicquam aliud ante ſe, aut poſt ſe habere poteſt, præſens eſt, eique ſimul æternitatis ſimultate neceſſariò coexiſtit. *Alia ſimilitudo.*

8. Qvemadmodvm item Deus toti mundo ſuâ indiuiſibili immenſitate præſens nullum propterea ſecundùm ſe, vel ſurſum, vel deorſum habet, & corpori noſtro ſurſum, deorſum ante, retro, dextrum, & ſiniſtrum habenti, anima tota, & immediatè præſens ejuſmodi differentiarum nullam in ſe retinet. Ita æternitas tempori præterito, præſenti, & futuro tota præſens, nec in ſe eſt, nec dici poteſt, præterita, aut futura fuiſſe, vel fore: imò nec etiam præſens eſſe præſentiâ noſtri temporis, ſed alterius planè excellentioris generis præſentiâ, & quodam *nunc* longè ſuperioris ordinis.

9. Difficvltas autem, quam in ea re capienda omnes experimur, inde naſcitur, quòd actiones noſtræ, reſque omnes, quas videmus, alijſque ſenſibus vſurpamus, ſint in tempore, & exiſtentiam habeant, ac durationem finitam, quam tempore, id eſt motu cœli nobis notiſſimo, eoque prius ac poſterius habente, metimur. Quò fit, vt huic rerum durationi, rebuſque hoc menſuræ genere cognoſcendis, ac metiendis mens noſtra aſſueta, vix vllam aliam apprehendere poſſit, atque adeo nos intellectus, ac voluntatis diuinæ actus, perinde ac noſtros, cum tempore præterito, præſenti, aut futuro concipiamus, eiſque habitudinem præteriti ad alias res creatas attribuamus. Vnde etiam eſt, quòd cùm voces ſint conceptuum noſtrorum ſigna, ex Philoſ. lib. 1. de Interpret. cap. 1. & verbum ſit vox conſignificans tempus, ibidē *Vnde rei capiendæ difficultas.*

Digitized by Google

cap. 3. omniſque propoſitio conſtet nomine, & verbo; quotieſcunque aliquas de Deo rebuſque diuinis propoſitiones formamus, ſemper tempus aliquod vel præteritum, vel præſens, vel futurum ſignificamus, & mente concipimus, cùm tamen reuerâ in Deo, nihil ſit præteritum, aut futurum: & præſens æternitatis in eo longè aliud ſit à præſenti temporis noſtri.

Voces tẽpus ſignificantes minùs propriè Deo æternitati cõueniunt.

10. ITAQVE nobis de Deo, deque diuinæ voluntatis, aut intellectus actibus loquentibus, verba præteriti, aut futuri temporis, ſicut & aduerbia temporis, *quando, aliquando, nondum, jam, nuper, olim, tunc, heri, hodie, ante, poſt, ſimul, priùs, poſteriùs*, & ſimilia, quæ diuerſa *quando*, variaſque temporis differentias ſignificant, minùs ſunt idonea, imò etiam verba, & aduerbia præſentis temporis, vt *nunc, præſens*, prout nunc temporis noſtri ſignificant, minùs propriè vſurpantur: quia præſens noſtri temporis eſt ſucceſſiuum, & finitum, habetque aliquid ante, & aliquid poſt ſe. Nam, vt ait Ariſtot. 4. Phyſic. tex 121. *Continuat tempus præteritum, & futurum, & omnino temporis terminus eſt. Eſt enim hujus*, ſcilicet futuri *principium. Illius autem*, id eſt præteriti, *finis*: tale autem non eſt Nunc æternitatis. Quare cũ illis verbis, & terminis vtimur, omiſsâ ſi fieri poteſt, noſtri temporis præteriti, præſentis & futuri cogitatione, transferenda mens noſtra eſt ad Nunc, & præſens æternitatis indiuiſibile, totum ſimul, & ſine ſucceſſione, principio, medio, & fine carens, idemque perpetuò ſtans: nobiſquê cogitandus oculus ex alto creata omnia præterita, præſentia, & futura contuens, vt ſibi præſentia, ſine vlla in ſe varietate, & ea ſemper, eodemque modo ſpectans, quo noſter oculus, quod ſibi præſens eſt, cernit. Nam, vt ait S. Thomas citato loco de Veritate *Cùm viſio diuinæ ſcientiæ æternitate menſuretur, quæ eſt tota ſimul, & tamen totum tempus includit, nec alicui parti temporis deeſt, ſequitur, vt quidquid in tempore geritur, non vt futurum, ſed vt præſens videat. Hoc enim, quod à Deo viſum eſt, futurum eſt rei alteri, cui ſuccedit in tempore, ſed ipſi diuinæ viſioni, quæ non in tempore, ſed extra tempus eſt, non eſt futurum, ſed præſens. Ita ergo nos videmus futurum, vt futurum, quia viſioni noſtræ futurum eſt, cùm ipſa tempore menſuretur, ſed diuinæ viſioni, quæ eſt extra tempus, futurum*

D. Thomas.

non eſt. Sicut ergo noſter viſus non fallitur vnquam videns contingentia, vt ſunt præſentia; & tamen ex hoc non remouet, quin illa contingenter, eueniant. Ita Deus infallibiliter videt omnia contingentia, ſiue quæ nobis ſunt præſentia, ſiue quæ præterita, ſiue quæ futura, quia ſibi non ſunt futura, ſed ea inſpicit eſſe tunc, quando ſunt: vnde ex hoc non remouetur, quin contigenter eueniant.

An præterita, præſentia, & futura ſint præſentia ſcientiæ Dei æternæ objectiuè tantùm, an etiam realiter,

CAPVT XIX.

1. CVM S. Thomas 1. parte, quæſt. 14. art. 13. agens de ſcientia Dei, & cognitione, quam habet de futuris contingentibus, doceat futura contingentia ab eo certò, & diſtinctè cognoſci, quòd ejus æternæ præſentiæ ſint actu præſentia: quâ præſentiâ, an objectiuâ tantùm, an etiam reali, controuertitur inter Theologos.

NONNVLLI enim, vt Suarez lib. de Scientiâ conditionatâ cap. 6. Gabriël Vaſquez 1. part. diſp. 208. numero 4. & plerique alij volunt S. Doctorem intelligendum tantùm de præſentia objectiua futurorum in intellectu diuino, & ſecundùm eſſe cognitum, cumque hoc loquendi modo aliud nihil voluiſſe, quàm ſcientiæ diuinæ perfectionem exprimere, quâ Deus ſemper, & ab æterno tam clarè, & diſtinctè cernit omnia, ac ſi ei realiter eſſent præſentia, nec ea norit clariùs & diſtinctiùs, cùm actu exiſtunt, eique realiter præſentia ſunt, quàm cùm non ſunt actu. *Prima ſententia*

ALII verò longè probabiliùs intelligendum volunt, de præſentia, non ſolum objectiua, &, vt ita dicam, intentionali in mente diuina, ſed etiam de præſentia reali, & ſecundùm eſſe, quod omnia creata habent à parte rei. Ita plerique non ſolum Thomiſtæ, vt Cajetanus in illum locum, Capreolus in 1. diſt. 36. quæſt. vnica, art. 2. & alij, quos refert Didacus Ruiz, de Scientia Dei, diſp. 28. ſect. 3. ſed etiam ex non *Secũda ſententia.*

Digitized by Google

Thomiſtis, vt ipſe Ruiz ibidem; quam doctrinam plurimis Sanctorum Patrum teſtimonijs, & rationibus confirmat, ſect. 4. & 5. Iacobus Granado, diſp. 3. ad art. citatum primæ partis, ſect. 1. 2. & 3. quibus omnino aſſentior.

Omnia diuina ſciẽtia & realiter & obiectiuè præſentia.

2. PRIMÒ, quia id diſertè præ ſe ferunt verba S. Doctoris ſupra, *Omnia*, inquit, *quæ ſunt in tempore, ſunt Deo ab æterno præſentia, non ſolum eâ ratione, quâ habet rationes rerum apud ſe præſentes, vt quidam dicunt; ſed quia ejus intuitus fertur ab æterno ſupra omnia, prout ſunt in ſua præſentialitate. Vnde manifeſtum eſt, quòd contingentia futura infallibiliter à Deo cognoſcuntur, in quantum ſubduntur diuino conſpectui ſecundùm ſuam præſentialitatem.* Et quæſt. 2. de Veritate art. 12. in corpore. *Tunc* inquit, *aliquid cognoſcimus vt futurum eſt, quando inter cognitionem cognoſcentis, & rei euentum inuenitur ordo præteriti ad futurum: hic autem ordo non poteſt inueniri inter cognitionem diuinam, & quamcunque rem contingentem; ſed ſemper ordo diuinæ cognitionis ad rem quamcunque eſt, ſicut ordo præſentis ad præſens*, Et paulò poſt. *Deus infallibiliter videt omnia contingentia, ſiue quæ nobis ſunt præſentia, ſiue quæ præterita, ſiue quæ futura, quia ſibi non ſunt futura.* Et ſolut. ad 6. *cognoſcit ea* ſcilicet futura, *vt præſentia ſibi, alijs autem futura.* Et 1. part. quæſt. 57. art. 3. *Deus videt omnia in ſua æternitate, quæ cùm ſit ſimplex, toti tempori adeſt, & ipſum concludit. Ideo vnus Dei intuitus fertur in omnia, quæ aguntur per totum tempus, ſicut in præſentia, & videt omnia, ſicut in ſe ipſis.*

Idem probatur authoritate SS. PP.

3. SECVNDÒ, probatur ex eo quòd SS. Patres idem diſertis verbis aſſerant, vt Auguſt. lib. 15. de Trinitate cap. 7. *Ita Deus nouit omnia, vt nec ea, quæ dicuntur præterita, ibi prætereant, nec ea, quæ dicuntur futura, quaſi deſint, expectentur vt veniant; ſed & præterita, & futura, cum præſentibus ſint cuncta præſentia.* Et lib. 10. de Ciuitate, cap. 12. *Temporalia mouens temporaliter non mouetur, nec aliter nouit facienda, quàm facta, nec aliter inuocantes exaudit, quàm inuocaturos videt.*

Auguſtinus.

Gregorius.

S. Gregorius lib. 20. Moralium cap. 23. vel vt alij numerant, 24. *Scimus quia Deo nihil futurum eſt, ante cujus oculos præterita nulla ſunt, præſentia non tranſeunt, futura non veniunt; quippe quia omne, quod nobis fuit, & erit, in eius proſpectu præſto eſt, & omne quod præſens eſt, ſcire poteſt potius, quàm præſcire.* Quo loquendi

modo

Digitized by Google

modo ſæpius vtuntur Patres dicentes Deum, non tam habere futurorum præſcientiam, quàm præſentium ſcientiam, quia ſcilicet, ordo ſcientiæ diuinæ ad quamcunque rem cognitam ſiue præteritam, ſiue futuram, ſiue exiſtentem, eſt ordo præſentis ad præſens. Ideoque ex S. Thoma de Veritate loco ſupra citato, *Diuinam cognitionem ſignificare non poſſumus, niſi per modum noſtræ cognitionis, conſignificando differentias* (ſuple temporis) *Si enim ſignificaretur ſcientia Dei vt eſt, magis deberet dici, quòd Deus ſcit hoc eſſe, quàm quòd ſciat futurum, quia* [illegible] *nunquam ſunt futura, ſed ſemper præſentia.* *S. Thomas.*

PLVRA vide SS. Patrum teſtimonia apud Didacum Ruiz loco ſupra citato, quibus adde D. Bernardi Serm. 80. ſupra Cantica. *Sola, ſumma, & increata natura, quæ eſt Trinitas Deus, hanc ſibi vendicat meram, ſingularemque ſuæ eſſentiæ ſimplicitatem, vt non aliud; & aliud, non alibi quoque, & alibi, ſed ne modò quidē, & modò inueniatur in ea. Tempora ſub ea tranſeunt, non ei. Futura non expectat, præterita non recogitat, præſentia non experitur,* experientiâ, ſcilicet, tranſeunte. *S. Bernard.*

4. NEQVE eſt quòd dicat Suarez ſupra numero 18. SS. Patres per exaggerationem locutos eſſe, & ſolùm ad declarandam ſcientiæ diuinæ claritatem, certitudinem, & perfectionem. Rei enim infinitæ, ſimplici, & æternæ, qualis eſt ſcientia Dei, nihil per exaggeratione̅ & exceſſum ſuperaddi poteſt. Deinde SS. Patres ſcientiæ diuinæ omnino aliquid amplius volunt tribuere, quàm noſtræ: noſtra autem quantumuis clara, certa, & diſtincta de rebus futuris ſcientia, præſcientia tantùm eſt, & non ſcientia, vel cognitio intuitiua rei ſibi realiter præſentis. *Reſponſio Suaris.* *Refellitur.*

5. ADVERTE autem quòd, cognitionem Dei de rebus nobis futuris earum ſcientiam intuitiuam eſſe, & cognitione̅ objecti ei realiter præſentis, ita affirmant SS. Patres, vt tamen eandem ſimul præſcientiam eſſe agnoſcant: quatenus ſcilicet, eadem ſuâ æternitate realiter preſens eſt alijs objectis, eo, de quo agitur, tempore prioribus. Dei enim, atque adeo ſcientiæ diuinæ æternitas ita cuilibet rei creatæ præſens eſt, vt ſimul etiam eâdem prior ſit, quatenus retro ante ſeculis, ſiue actu, ſiue potentiâ infinitis coexiſtit, idemque dicendū de Prædefinitionibus, & Prædeſtinationibus diuinis, eas ni- *Nota.*

Digitized by Google

mirum & definitiones, & deſtinationes eſſe, prout ſuâ æternitate rebus definitis, ac deſtinatis realiter coexiſtunt, & præſentes ſunt: Prædefinitiones verò, & Prædeſtinationes, prout ſuâ illâ eâdem æternitate alijs rebus à parte rei tempore prioribus, definitis, ac deſtinatis coexiſtunt.

3. Argumentum. 6. Tertiò idem probatur, quia præſentia, quam S. Thom. cum SS. Patribus ſcientiæ diuinæ tribuit ad ſua objecta, ei conuenit non præcisè, quatenus ſcientia eſt, & viua, clara ac diſtincta ſui objecti cognitio, ſeu quatenus eſt objectiua ejus repræſentatio: ſed præcisè quatenus eſt æterna. Vnde etiam volitioni diuinæ, alijſque Dei actibus, & attributis, quæ æterna ſunt, conuenit, omniſque diuina volitio cuilibet rei volitæ actu, & realiter præſens eſt, & hæc illi, neque vnquam abſolutè ei futura, aut præterita.

Duplex in ſcientia diuina ad obiectum præſentia. 7. Itaque duplex in ſcientia Dei diſtinguenda eſt præſentia ad rem nobis futuram. Vna, quæ ei communis eſt cum volitione, alijſque attributis diuinis, quatenus æterna ſunt. Altera ei ſoli propria, quatenus eſt viua, clara, & intuitiua ſui objecti ſimilitudo, ac repræſentatio. Habet enim omnis cognitio, quòd ſit objecti ſui repræſentatio, ipſumque, quatenus quædam ejus eſt ſimilitudo, potentiæ cognoſcenti quodammodo ſiſtat, & præſens efficiat.

4. Argum. 8. Quartò probatur, quia res futuræ, vel præteritæ alio modo ſunt præſentes cognitioni Diuinæ, quàm Angelicæ, vel etiam noſtræ. Atqui & noſtræ, & Angelicæ cognitioni objectiuè præſentes eſſe poſſunt, Deo illas nobis clarè, & diſtinctè manifeſtante. Igitur SS. Patres, & D. Thomas aliâ etiam prę̨ſentiâ, quàm objectiuâ Deo prę̨ſentes eſſe volunt.

5. Argum. 9. Quintò. Res omnes creatas realiter eſſe prę̨ſentes æternitati, non eſt illas eſſe æternas, aut eſſe ab æterno, quaſi ſemper fuerint: ſed ſolùm eſt æternitatem illis ita realiter coexiſtere, vt ad illas habitudinem habeat, non prę̨teriti ad prę̨ſens, aut futurum; nec futuri ad præſens, vel prę̨teritũ: igitur prę̨ſentis ad prę̨ſens. Quæ prę̨ſentia æternitatis ex parte Dei alterius naturę̨ eſt, & ordinis longè ſuperioris, quàm ea, quâ quę̨libet res creata, alteri creatę̨ prę̨ſens eſt. Hę̨c enim rerum creatarum ad inuicem prę̨ſentia eſt finita, habetque aliquid ſe prius, aut poſterius, prę̨teritum vel futurum: non

Digitized by Google

autem præſentia æternitatis. Vnde licet res creatæ in ſua duratione propria ſint ad inuicem priores & poſteriores, præteritæ, pręſentes, aut futuræ; Deo tamen, ejuſque æternitati non ſunt niſi realiter pręſentes.

10. SED contra Suarez lib. citato cap. 7. num. 2. ſic argumentatur. Quod in ſe non exiſtit, quando non exiſtit, non poteſt dici pręſens æternitati, eique coexiſtere: ſed nulla creatura in ſe ipſa, & propria ſuæ exiſtentiæ duratione extitit ab æterno. Igitur nulla creatura realiter ab æterno extitit in æternitate, ſeu coextitit æternitati. *Argumentũ Suaris.*

RESPONDEO primò. Hoc argumentum nullum eſſe, quòd ſolis propoſitionibus negatiuis, & plus quàm quatuor terminis conſtet. Reſpondeo ſecundò. Vt in bona forma diſpoſitum fuerit, aliud nihil probare, quàm rem, quæ non exiſtit, quando non exiſtit, non coexiſtere, nec præſentem eſſe æternitati diuinę, quod veriſſimum eſt, & vltro ab omnibus conceditur. Quod enim non eſt, quando non eſt, nulli rei pręſens eſſe poteſt. At non probat ſimpliciter id quod eſt, non coexiſtere realiter æternitati. *Reſponſio 1.* *Reſponſio 2.*

11. QVOD vt meliùs intelligatur, & quæ afferuntur alia argumenta clariùs diſſoluantur, duo nobis declaranda ſunt. Primum, hęc tria, Aliquid eſſe æternum; Eſſe pręſens, ac coexiſtere æternitati; & Eſſe ab æterno, non idem eſſe, nec idem ſignificare. Primũ enim dicit rē illā ſemper fuiſſe, & æternitatē nulli rei coexiſtere, aut coextitiſſe, quin illa eidem coextiterit, quod de nulla creatura dici poteſt. Secundum dicit tantùm rem creatam, ejuſque durationem eſſe in æternitate, ab ea contineri, eique verè, & realiter pręſentem eſſe: quod de creatura etiam non æterna rectè dici poteſt. Tertium verò ſcilicet, eſſe ab æterno, licet ab Authoribus aliquando accipiatur pro ſecundo termino, & eo, quod dicitur eſſe præſens æternitati, propriè tamen ſignificat, nullum durationis principium habere, ſeu eſſe æternum à parte ante, ſemperque fuiſſe, quod nulli creaturæ conuenit. *Nota.*

12. SECVNDVM eſt, quòd ſicut immenſitati diuinæ toti duobus modis aliquid realiter præſens, immediatum, & ab ea non diſtans eſſe, & dici poteſt. Primò toti *adæquatè*, *& totaliter*, ita vt ſit vbicunque eſt Deus, & cui Deus eſt præ- *Immenſitati diuinæ dupliciter aliquid eſt præſens.*

Digitized by Google

ſens, illi omni ſit etiam præſens: quo modo ſolæ tres perſonæ diuinæ Trinitatis ſibi inuicem præſentes ſunt. Secundò toti quidem, ſed *non totaliter.* Toti inquam, quia cùm Dei immenſitas ſit indiuiſibilis, nullaſque partes habeat, quod ei præſens, & immediatum eſt, non niſi toti præſens eſſe poteſt: At non totaliter, quòd ſcilicet, Deus alijs rebus præſens, & immediatus ſit, quibus hæc præſens non eſt: quo modo quælibet creatura toti immenſitati diuinæ præſens eſt. Ita æternitati toti dupliciter aliquid realiter coexiſtere, & præſens eſſe poteſt. Primò *adæquatè, & totaliter*: quo modo nulla creatura realiter coexiſtit æternitati. Secundò toti quidem æternitati, quia ſcilicet eſt indiuiſibilis, nullaſque partes priores aut poſteriores, nihil futurum, aut præteritum habet: at non *totaliter* & *adæquatè*, quia æternitas alijs rebus prioribus & poſterioribus præſens eſt, & coexiſtit; quibus res illa non coexiſtit. Atque hoc ſecundo tantùm modo quælibet res creata realiter præſens eſt æternitati.

Dupliciter aliquid æternitati toti coexiſtit.

Quomodo quæ nobis futura ſunt, tam neceſſaria, quàm libera, & contingentia certò cognoſcantur à Deo.

CAPVT XX.

1. NOBIS futura dixi in titulo quæſtionis, & quia Deo, ejuſque æternitati nihil propriè eſt futurum, ex Capite præcedenti, cùm futurum tale ſit propriè ſolùm per ordinem ad præteritum, & ad præſens temporis, ſeu ad ea, quæ vel fuerunt antea, vel ſunt nunc in tempore præſenti: Et quia ita loquitur S. Thom. 1. part. quæſt. 14. art. 13. in corpore. *Cùm ſupra oſtenſum ſit,* inquit, *quòd Deus ſcit omnia, non ſolùm, quæ actu ſunt, ſed etiam quæ ſunt in potentia ſua, vel creaturæ: horum autem quædam ſint contingentia nobis futura, ſequitur quòd Deus contingentia futura cognoſcat.*

EIVSMODI autem nobis futurorum, non Deo, quædam ſunt neceſſaria, quæ ſcilicet poſitis, & exiſtentibus eorum

cauſis non poſſunt non eſſe futura, vt Hyems, Æſtas, Ver, Autumnus, rerumque naturalium generatio, & corruptio, poſito cœlorum, corporumque cœleſtium motu continuo. Alia ſunt contingentia, quæ poſſunt eſſe, vel non eſſe poſitis, & exiſtentibus eorum cauſis, vt pugna naualis, combuſtio domus, omneſque actus liberi. Quorum aliqua dicuntur abſoluta, ſeu abſolutè futura, quæ verè, & de facto ſunt futura, licet ſpectato ordine adſuas cauſas proximas poſſint non eſſe, vt negatio S. Petri antequàm eſſet. Alia futura conditionata, quæ abſolutè quidem futura non ſunt, quamuis dicantur futura, conditione aliquâ poſitâ, vt conuerſio Tyriorum, & Sidoniorum, ſi apud eos facta fuiſſent miracula, quæ apud Iudæos à Chriſto facta ſunt: quæ quidem vtrum poſitâ illâ conditione, futura eſſent, necne, in quæſtione poſitum eſt apud Theologos. Certum enim eſt, etiam poſitâ eâ conditione poſſe non eſſe. De quibus ſingulis futurorum generibus nobis aliquid dicendum eſt, ejuſque rei gratiâ.

Futurorum contingentiũ alia ſunt abſoluta.

Alia conditionata.

2. Notandvm primò ex S. Thoma 1. contra gentes cap. 65. 66. 68. & 1. part. quæſt. 14. art. 9. dupliciter creaturas cognoſci, nempe, & in ſeipſis, & in ſuis cauſis. In ſeipſis, vel quoad eſſentiam tantùm, & ſecundùm ſuas rationes proprias, & naturas ſpecificas, ac indiuiduas, quibus à ſe inuicem diſtinguuntur, etiam ſi actu non exiſtant; vel etiam quoad exiſtentiam, & vt actu ſunt extra ſuas cauſas in quacunque temporis differentia. Similiter dicuntur cognoſci in ſuis cauſis etiam dupliciter. Primò, vt idem ſit, ac cognoſci tantùm ſecundùm eſſe, quod habent in illis, quod eſt tantùm eſſe potentiâ, aliudque nihil, quàm ipſa virtus cauſarum, à quibus produci poſſunt. Diuina enim eſſentia, cùm ſit perfecta ſimilitudo virtutis cujuſlibet cauſæ, tam primæ, quæ eſt ipſe Deus, quàm ſecundæ, ſiue vniuerſalis & communis, vt Sol, Luna, ſiue particularis & propriæ, tam actiuæ, quàm paſſiuæ, omnia, quæ in qualibet potentia continentur, prout in ea ſunt, & ab illa eſſe poſſunt, perfectè cognoſcit. Secundò, vt ſit cognitâ cauſâ, in qua res eſt potentia, hujus futuritionem, vel non futuritionem, ſeu eam actu à ſua cauſa producendam, vel actu non producendam cognoſci. Et ſi quidem cauſa ſit neceſſaria, *cùm hæc*, inquit, S. Thomas quæſt. 2. de Veritate art. 12. in

Futura dupliciter cognoſci, vel in ſe, vel in ſuis cauſis.

Digitized by Google

corpore, *ſit immutabiliter ordinata ad productionem effectus*, *nec aliunde impediri poſſit*; propterea qui talem cauſam cognoſcit, is ejus effectum in cauſa ante quàm ſit, certò & infallibiliter futurum nouit. Ita Eclipſim Lunæ certò, & infallibiliter nouit Aſtrologus. Si verò cauſa ſit contingens, ejuſque effectus, ne ſit, impediri poſſit, vel ab ipſamet cauſa, quia libera eſt, vel ab alia impedimentum aliquod, ſiue intrinſecum, ſiue extrinſecum ei afferente, vt cùm impeditur ignis comburere ligna ob aquam illis injectam, ex tali cauſa præcisè cognita ejus effectus futurus certò, & infallibiliter ſciri non poteſt, ſed ſolùm conjecturaliter ex quibuſdam ſignis probabilibus: quæ ſigna, cùm non ſint neceſſaria, fallere poſſunt, & ejuſmodi cognitioni conjecturali falſum ſubeſſe poteſt: ideoque medici v. g. de futura ægroti morte, aut valetudine ex quibuſdam ſignis judicantes non rarò falluntur.

Cognoſci in cauſa tribus modis intelligitur.

3. NOTANDVM ſecundò, quòd cùm triplici ſenſu effectus aliquis dicatur cognoſci in ſua cauſa, *Primò*, vt ſit cognoſcere illam cauſam habere vim producendi talem effectum, ſeu talem effectum in virtute talis cauſæ contineri, præſcindendo ab ejus futuritione, vel non futuritione: *Secundò*, vt ſit ex cognitione cauſæ judicare eum eſſe futurum, & actu productum iri à tali cauſa: *Tertiò*, vt ſit cognoſcere ipſum effectum, vt actu pendentem, vel aliquando actu futurum à ſua cauſa, ſiue libera, ſiue neceſſaria: Primo quidem ſenſu Deus nouit effectus omnes in ſuis cauſis, quia omnium cauſarum naturam, & vim actiuam perfectiſſimè comprehendit: comprehendere autem non poteſt, niſi diſtinctiſſimè effectus omnes, qui ab ea manare poſſunt, norit ſecundùm eſſe poſſibile, quod habent in ea. Secundo verò ſenſu, ſi præpoſitio, *ex*, ſignificat illationem, quâ ex cognitione cauſæ infertur cognitio futuritionis effectus; nullum effectum Deus cognoſcit in ſua cauſa, quia talis cognitio eſt diſcurſiua, vt rectè notat Scotus in 1. diſt. 39. quæſt. vnica. Si verò ſit, cognitâ exiſtentiâ cauſę cognoſcere effectum exiſtere, vel exiturum, hoc modo ſolos effectus neceſſarios cognoſcit in cauſis.

TERTIÒ verò ſenſu, Deus cognoſcit omnes effectus in ſuis cauſis, quia veriſſimè nouit omnia, quæ cauſas habent, prout ſunt à ſuis cauſis, ſeu nouit cauſas omnes, ſiue liberas,

Digitized by Google

ſiue neceſſarias, prout actu ſuos effectus cauſant. Neque propterea dicitur priùs cognoſcere cauſam, quàm cognoſcat effectum; Simul enim, & vno actu omnia cognoſcit; ſed cognoſcit cauſam eſſe naturâ priorem ſuo effectu.

4. Ex quo patet falſum eſſe, quod ait Ruiz de ſcientia Dei diſp. 25. ſect. 1. num. 4. & ſeq. decretum Dei liberum eſſe objectũ formale, per quod primò cognitũ Deus cognoſcat futura contingentia. Etenim nullum propriè in Deo, ejuſque ſcientia, & volitione locum habet diſtinctio objecti in materiale, & formale; ſed ſolùm in nobis, qui rem vnam per aliã cognoſcimus, & ex vnius notitia ad alterius cognitionem progredimur. Deinde Deus, qui omnia, omniumque rerum tum ad ſe, tum ad inuicem habitudines nouit diſtinctiſſimè, vnam quidem eſſe ab alia, per aliam, ad aliam, in alia, ante, vel poſt, vel ſimul cum alia videt clariſſimè, non tamen nouit vnam ex alia, aut per aliam, aut ante, vel poſt aliam, ſed omnia ſimul, vnoque ſimplici actu.

Refellitur Didacus Ruiz. 1. 2.

Licet igitur cognoſcat ſuum decretum eſſe prius illis futuris, cùm ſit æternum, & cauſa illorum: non tamen eſt priùs à Deo cognitum, quàm ab eo cognoſcantur prędicta futura: & quia, vt dixi, vnica in Deo eſt, & ſimplex cognitio, quâ cognoſcit omnia, quę cùm ratione à nobis multiplicatur, & diſtinguitur per ordinem ad varia objecta, non propterea vna eſt, aut rectè intelligitur prior alterâ: & quia cognitio Dei à nullo ſuo objecto pendet: igitur licet vnum ejus objectum à parte rei ſit prius alio, hujuſque cauſa; non propterea in Deo cognitio objecti, quod eſt cauſa, prior eſt cognitione effectus illius. Quare futura contingentia ab illo Authore non rectè dicuntur cognoſci à Deo vi ſui decreti cogniti, aut per illud prius ab eo cognitum: ſed ea Deus in ſuo decreto æterno, immutabili, quodque à nullo agente impediri, & fruſtrari poteſt, & in ſuis cauſis cognoſcere dicitur, quia clariſſimè videt, & certò ſcit ejuſmodi contingentia, ſicut & neceſſaria, alioſque omnes effectus à ſuę voluntatis decreto, & à talibus cauſis ſecundis, tam vniuerſalibus, quã particularibus hoc loco, modo, tempore, & his ac illis circunſtantijs de facto ortum iri, ſuumque illud decretum, & prędictas cauſas omnes, de facto eſſe cauſalitate priores ipſis ef-

Digitized by Google

fectis futuris. Quibus prenotatis.

Futura neceſſaria quot modis à Deo cognoſcantur.

5. DICO 1. Futura neceſſaria predictis omnibus modis à Deo diſtinctè, certò, & infallibiliter cognoſci: hoc eſt, & in ſeipſis tam quoad eſſentiam, quàm quoad exiſtentiam, & in ſuis cauſis tam quoad eſſe, quod habent in illis, quàm quod habitura ſunt ab illis, ſeu quoad futuritionem. Hæc aſſertio clara eſt, non ſolùm de tribus prioribus modis cognitionis, ſed etiam de quarto quoad futuritionem. Ejuſmodi enim futura habent neceſſariam connexionem cum ſuis cauſis, & hæ ad illa producenda ſunt ex ſe determinatæ, & immutabiliter ordinatæ, nec aliunde impediri poſſunt. Igitur qui nouit eorum cauſas exiſtere, certò cognoſcit ea eſſe futura. Dicitur autem Deus ejuſmodi futura quoad futuritionem in cauſis cognoſcere, non diſcurrendo, quaſi ex cognitione cauſæ neceſſariæ exiſtentis veniat in cognitionem futuritionis effectus; ſed quia nouit, ac videt connexionem neceſſariam inter exiſtentiam ejuſmodi cauſæ, & futuritionem ſui effectus, eâque poſitâ ponendum eſſe talem effectum.

Cõtingentia abſolutè futura quo modo à Deo cognoſcũtur.

6. DICO ſecundò, Futura contingentia abſoluta diſtinctè, certò, & infallibiliter à Deo cognoſci, & videri, tum in ſeipſis, tam quoad ſuam eſſentiam, & naturam propriam, quàm quoad eorum exiſtentiam extra ſuas cauſas in ea, quâ ſunt temporis differentiâ: tum in ſuis cauſis proximis, quatenus ſcit ea in illis ita contineri, vt ab eis eſſe & non eſſe, fieri, & non fieri poſſint. Hac de re nemo dubitat, eamque diſertè habet, & rectè explicat S. Thomas Secunda Secundæ quæſt. 171. art. 6. ad 2. vbi hæc habet: *Diuina praſcientia reſpicit futura ſecundùm duo, ſcilicet, ſecundùm quod ſunt in ſeipſis, in quantum ſcilicet ipſa praſentialiter intuetur: & ſecundùm quod ſunt in ſuis cauſis, in quantum ſcilicet videt ordinem cauſarum ad effectus. Et quamuis futura contingentia, prout ſunt in ſeipſis, ſint determinata ad vnum, tamen prout ſunt in ſuis cauſis, non ſunt determinata, quin poſſint aliter euenire.* Ambæ autem illæ ejuſdem futuri contingentis cognitiones differunt, quòd prior ſit cognitio futuri ſecundùm quòd eſt in ſeipſo, & extra ſuas cauſas, ac præſens æternitati diuinæ; poſterior verò ſit cognitio ejuſdem, non prout exiſtit, ſed ſolùm prout eſt in ſuis cauſis, præſcinditque ab eſſe, vel non eſſe actu: vel potiùs eſt cognitio

potentiæ,

Digitized by Google

potentiæ, & virtutis, ſeu potiùs ordinis, ac diſpoſitionis, quæ eſt in cauſis actu exiſtentibus ad ejuſmodi effectum producendum, vel non producendum.

Dico tertiò, Contingentia abſolutè futura, quoad ſuam futuritionem, certò non cognoſci à Deo in ſuis cauſis proximis. Ratio eſt, quia cauſa contingens ex ſe eſt indifferens, & indeterminata ad effectum ponendum, aut non ponendum, eademque poteſt ab extrinſeco impediri, vel non impediri, ne in actum exeat. Igitur præcisè ex eo quòd cognoſcatur potentia illius cauſæ, non magis cognoſcitur futuritio effectus, quàm non futuritio ejuſdem. Nam, vt ait S. Thomas 1. parte q. 14. art. 13. *Cauſa contingens ſe habet ad oppoſita: & ſic contingens, vt futurum, non ſubditur per certitudinem alicui cognitioni. Vnde quicunque cognoſcit effectum contingentem in ſua cauſa tantùm, non habet de eo niſi conjecturalem cognitionem.* In Deo autem cognitio conjecturalis nulla eſſe poteſt, quia imperfecta, & incertitudinis plena, & quia falſum ei ſubeſſe poteſt, nec rarò ſubeſt, vt patet in medicis, alijſque artibus conjecturalibus de futuris rerum euentibus judicium ferentibus. *Cötingentia futura non cognoſci à Deo in ſuis cauſis.*

Dico quartò, Futura contingentia conditionata actu non futura à Deo in ſuis cauſis certò, & infallibiliter non cognoſci futura, etiam conditionibus poſitis. *Neque item futura conditionata.*

Primò, quia ideo futura contingentia abſoluta à Deo certò, & infallibiliter cognoſcuntur, quia verè, & determinatè ſunt futura, ipſique æternitati ſcientiæ diuinæ actu præſentia, vt ante dictum eſt: at prædicta futura conditionata nec ſunt, fuerunt, aut vnquam erunt præſentia æternitati diuinæ ſcientiæ: igitur eorum exiſtentia certò à Deo ſciri non poteſt.

Secundò, ſi certò, & infallibiliter à Deo cognoſcuntur ſecundùm futuritionem, & exiſtentiam, vel in ſe, & quatenus ſunt præſentia Deo, vel in ſuis cauſis proximis, vel in aliquo decreto Dei conditionato. Non primum, quia reuera non ſunt, nec erunt vnquam præſentia Deo. De ijs enim conditionatis loquimùr, quæ nunquam futura ſunt. Nec ſecundum, quia eorum cauſæ proximæ etiam poſitâ conditione, quâ dicuntur conditionata, ſunt ex ſe indeterminatæ, & indifferentes ad ea producenda, vel non produ-

Digitized by Google

cenda. Igitũr in eis non magis cognoſcuntur futura, quàm abſolutè non futura. Neque tertium. Nulla enim in Deo ſunt ejuſmodi decreta cõditionata, vt oſtẽdemus ſequenti Capite.

Futura, ſiue abſoluta, ſiue conditionata cognoſci à Deo non poſſe in Decreto conditionato.

CAPVT XXI.

Nullum in Deo eſſe decretum conditionatum.

1. Argumentum.

1. ID à nobis clariùs, & efficaciùs oſtendi non poteſt, quàm demonſtrando nullum in Deo eſſe ejuſmodi decretum conditionatum. *Primò*, quia tale decretum, vel eſſet de objecto, & conditione aliquando futuris, hoc eſt, de eodem objecto, de quo eſt decretum abſolutum; vel de objecto, aut conditione nunquam futuris: neutrum autem dici poteſt. Non *primum*. Tum quia vanum omnino, & inutile eſſet tale decretum, cùm ad ponendum ejus objectum, & effectum ſufficiat decretum abſolutum: Tum quia alioqui de omni effectu abſolutè futuro, tam neceſſario, quàm libero Deus haberet decretum conditionatum. Cur enim de vno potiùs, quàm de alio? Imprudentis autem, & ſtulti eſt, velle conditionatè id omne, quod vult abſolutè. Neque *ſecundum*, itaut eſſet de objecto, & conditione nunquam futura: Tum quia fruſtra eſſet tale decretum, cùm nullum eſſet habiturum effectum: Tum quia de omnibus creaturis poſſibilibus, quæ nunquam erunt, vel fuerunt, Deus haberet decreta conditionata.

2. PROBATVR ſecundò, quia tale decretum eſt im-

2. Argum. poſſibile. Quod enim quis omnino, & abſolutè vult non eſſe, manente illâ voluntate, impoſſibile eſt eundem velle, ſiue abſolutè, ſiue conditionatè ejus contradictorium. Qui enim v. g. ſtatuit abſolutè, & omnino non ire Romam, quandiu manet illa voluntas, eum ſiue abſolutè, ſiue conditionatè velle Romam ire, impoſſibile eſt: At voluntas, & decretum Dei de Tyrijs v. g. & Sidonijs per miracula Chriſti non conuertendis eſt abſolutum, & efficax, illudque Deus de-

Digitized by Google

ponere, & mutare non poteſt. Igitur ſtante illo decreto, nec abſolutè, nec conditionatè velle poteſt eorum conuerſionem, factis apud eos à Chriſto miraculis.

3. PROBATVR tertiò, Decretum Dei conditionatum, ſeu de futuro conditionato, eſſet noſtro concipiendi modo, vel ante, vel poſt, vel ſimul, & concomitanter cum decreto abſoluto & efficaci, ſiue poſitiuo ponendi actu tale futurum, ſiue negatiuo non ponendi illud idem, adeo vt decretum conditionatum v. g. de conuerſione Tyriorum noſtro concipiendi modo prius aut poſterius fuerit decreto abſoluto, de ijs non conuertendis. Non ante *duratione*, quia vtrumque eſſet æternum: Neque *cauſalitate*, quia ejuſmodi conditionatum non eſt cauſa vllius decreti abſoluti, ſiue poſitiui, ſiue negatiui, nec illius objectum eſt cauſa objecti hujus. Non enim propterea Deus noluit Tyrios conuerti, & pœnitentiam agere, & apud eos miracula facere, quia ſi feciſſet, conuerſi fuiſſent, & pœnitentiam egiſſent, & quia etiam factis miraculis non potuerunt non conuerti. Nec etiam conditionatum eſt poſt abſolutum, propter eaſdem cauſas, cùm abſolutum non ſit cauſa vllius conditionati, nec illius objectum cauſa objecti hujus. Neque dici poteſt vnum decretum reſpectu alterius habere rationem futuri, cùm futuritio dicat ſucceſſionem, & poſterioritatem durationis reſpectu ejus, cui dicitur futurum: omnia autem Dei decreta ſunt æterna, nec vnum ſuccedit alteri. Nos quidē rerum agendarum plerumque dubij, & incerti, futurorum, ijdemque multitudinis, atque ſucceſſionis actionum capaces, de eadem re hypotheticum, & animi judicium, & decretum voluntatis formare poſſumus priùs, quàm abſolutum: non autem Deus, qui ſimul, & vno actu omnia cernit, & decernit: igitur nullum in eo eſt, vel à nobis concipi poteſt decretum poſt alterum. Nec denique ſimul, & concomitanter, quia tale decretum conditionatum concomitans planè vanum, & otioſum eſſet, ſiue poneretur cum decreto abſoluto poſitiuo ejuſdem futuri, ſiue cum negatiuo, nihil planè conferret ad vtrumque, nec ad futurum conditionatum ponendum, nec ad non ponendum.

3 Argum.

Nullum Dei decretum reſpectu alterius eſt futurum.

4. PROBATVR quartò, quia nullus Dei actus ſiue intelectus, voluntatis alio priùs aut poſteriùs eſſe poteſt, vt pluribus

4. Argum.

Digitized by Google

poſtea oſtendemus: igitur nullum in Deo eſt decretum conditionatum prius vllo abſoluto.

5 *Argum.* 5. QVINTÒ nullus defectus, nullaque imperfectio Deo tribuenda eſt: omne autem decretum conditionatum imperfectionem arguit in eo, cui ineſt, nempe vel impotentiam, vel imprudentiam. Etenim conditio, ſub qua dicitur futurum, vel eſt in decernentis, & conditionatè volentis poteſtate, vel non eſt: ſi non eſt, ex ea parte impotens erit; ſi eſt, ſtulti & inſipientis eſt velle conditionatè, quod abſolutè, & ſimpliciter velle, & facere poteſt. Quis enim manu calamum tenens, habenſque chartam, atramentum, & cætera ad ſcribendum neceſſaria prudenter dixerit: ſi haberem chartam, &c. ſcriberem, aut vellem ſcribere? Cùm igitur futurum conditionatum, tam ipſum, quàm ejus conditio ſint in poteſtate Dei (*Omnia enim quæcunque voluit fecit*, Pſal. 113. *& voluntati ejus quis reſiſtit?* ad Rom. 9.) impoſſibile eſt eum quidquam velle conditionatè, aut velle aliquid ſub conditione non poſita.

6. SEXTÒ, ſicut futurum conditionatum, vt hîc ab
6. *Argum.* Authoribus ſumitur, non eſt verè futurum, nec conditio, ſub qua futurum dicitur, vnquam ponenda eſt, proindeque nunquam erit tale futurum: ita decretum conditionatum, in Deo non eſt verum, & poſitiuum decretum.

7 *Argum.* 7. SEPTIMÒ, tale decretum eſt prorſus inutile, & inefficax, ſi ſolum ſit. Vt enim in nobis decretum conditionatum millies repetitum, ſi ſolum ſit, nihil ponit & efficit; ſed in abſolutum tranſire debet: Ita non ſatis eſt Deum velle aliquid conditionatè, ſed præterea illud idem ejuſque cauſas, & conditiones omnes abſolutè velle debet.

DENIQVE decreta in Deo conditionata, non ſolùm D. Thomæ, ac etiam alijs antiquioribus Theologis ſunt incognita: ſed etiam pleriſque Recentioribus, etiam ijs, qui conditionatam ſcientiam in Deo ponunt, non probantur; eaque negat Didacus Ruiz de ſcientia Dei diſputatio. 71. ſect. 9. Alarçon tract. 3. de voluntate Dei diſp. 5. cap. 8. & Vaſquez, Enriquez, Molina, Mendoſa apud eum, Albertinus, Curiel, Diotellanius, Nauarettus, & alij.

QVARE minùs probandum videtur, quod ait Didacus Aluarez lib. 2. de auxilijs diſp. 7. ad 1. ejuſmodi futura

Digitized by Google

conditionata certò à Deo cognoſci futura , poſt decretum conditionatum diuinæ voluntatis. Vult enim ibidem, & in 6. argumento, ante cognitionem futurorum conditionatorum præcedere in Deo decretum aliquod conditionatum, quo Deus ſtatuit, vt futurum illud fiat, ſi conditio ponatur: id inquam , probandum non eſt, quia nullum in Deo eſt ejuſmodi ſiue antecedens, ſiue ſubſequens decretum conditionatum. Deinde, quia non eſt certum, quòd poſitâ illâ conditione talis effectus de facto ſit ſubſequuturus , cùm cauſæ ſecundæ , à qua profecturus dicitur , impedimentum aliquod à Deo afferri poſſit, ne talem effectum producat. *Refellitur Aluarez.*

An propoſitiones de futuris contingentibus, præſertim ſingularibus, ſint determinatè veræ, aut falſæ.

CAPVT XXII.

1\. HANC quæſtionem tractant Suarez lib. 1. de Scientia futurorum conditionatorũ, cap. 2. Didacus Ruiz tom. de Scientia Dei, diſput. 23. alijque Theologi Recentiores, exiſtimãtes ex illius cognitione , ac definitione , pendere intelligentiam ejus, quæ eſt de ſcientia, & cognitione futurorum contingentium in Deo. Ego verò contra diſputabo eã, tum ejus ſecundùm ſe cognoſcendæ, & ſoluendæ cauſâ ; tum vt appareat cum certa , quam Deus habet de futuris contingentibus ſcientia, nullam habere connexionem. *Quæſtionis tractandæ ratio.*

2\. CVM autem propoſitionis , & veritatis nominibus, intelligi poſſint, vel *formalis*, quæ eſt actus intellectus ſuo conformis objecto; vel *objectiua*, ſcilicet, ipſa res, quæ eſt objectum propoſitionis formalis, quæque propoſitio & veritas objectiua dicitur : ſi per propoſitionem ſingularem de futuro contingenti, ejuſque veritatem intelligatur *objectiua*, reſque ipſa ſingularis, quæ eſt objectum propoſitionis, & veritatis formalis, omninò propoſitio de futuro contingenti determinatè eſt vera vel falſa, cùm quælibet res, ſiue neceſſaria, ſiue contingens à ſua cauſa determinatè ſit futura, *Veritas alia formalis alia obiectiua.*

Digitized by Google

vel determinatè non futura. Deus enim determinatè decreuit ab æterno id omne facere, vel permittere, quod eſt futurum, & eo modo quo eſt futurum: ac etiam determinatè non facere, nec permittere, quod non eſt vnquam futurum: Ergo agitur ſolùm de propoſitione, & veritate formali, quæ eſt in intellectu noſtro.

Quæſtio eſt veritate formali.

3. De eodem autẽ objecto cùm duplex à nobis cognitio formalis haberi poſſit; Vna *naturalis*, pendens ab objecto ſuo, vel ab ejus cauſis, alijſque principijs naturalibus; Altera *ſupernaturalis* per reuelationem à Deo: Si agatur de cognitione, & propoſitione ſupernaturali, quâ Deus nobis reuelauit rem aliquam contingentem ſingularem eſſe futuram, vt Antichriſtum venturum; vel non futuram, omnino noſtra de ea fides, & cognitio determinatè vera eſt, & propoſitio ei contradictoria eſt determinatè falſa: quia nec fidei, nec reuelationi diuinæ falſum, aut dubium ſubeſſe poteſt: & Deus, vt non falli, ſic nos fallere non poteſt. Ergo quæſtio ſolùm, vel maximè eſt de cognitione, & propoſitione naturali, quâ ſingulare aliquod contingens futurum, vel non futurum aſſeritur. Quo ſolo ſenſu ab Ariſtotele, qui nullam niſi naturalem agnouit propoſitionem, diſputata, & ſoluta eſt lib. 1. de Interpretat. cap. 8. ac etiam à S. Thoma, alijſque Peripateticis ibidem, eoque à nobis tantùm hîc tractabitur. Cùmque propoſitionis vocalis & externæ quoad veritatem, vel falſitatem, ratio eadem ſit, quæ mentalis & internæ; quia externa aliud nihil eſt, quàm ſignum internæ, eſtque vera, quando internam propoſitionem veram ſignificat; falſa, quando ſignificat internam falſam; de vtraque intelligenda quæſtio eſt.

Agitur ſolùm de propoſitione naturali.

4. Ad cujus difficultatis enodationem quinque prænotanda ſunt. *Primum* eſt, quòd cùm res ſeu objectum cognitum ſit principium, cauſa, regula, & menſura noſtræ cognitionis naturalis, vt res, & vnumquodque ſe habet ſecundùm eſſe; ita & ſecundùm veritatem, ex Philoſopho lib. 2. Metaphyſ. text. 3. & lib. 1. de Interpret. cap. 6. & in Poſtprædicament. cap. 2. de Modis prioris: *Oratio vera*, inquit, *nequaquam eſt cauſa, vt ſit res, veruntamen res quodammodo cauſa videtur, vt vera ſit oratio. Eò enim quòd res eſt, vel non eſt, vera*

Veritas cognitionis ſequitur veritatem objecti.

Digitized by Google

oratio, aut falſa dicitur. Quò ſit, vt ſi res eſt, v. g. ſi Petrus eſt doctus, oratio quæ id ſignificat eſt vera; & ſi non eſt doctus, vera item erit oratio, quæ ſignificat non eſſe doctum. Qualis igitur res eſt, vel non eſt, talis etiam eſt enuntiationis veritas, & talis habitudo prædicati ad ſubjectum; proindeque ſi res ſit neceſſaria, etiam veritas propoſitionis neceſſaria erit, ac prædicatum per ſe ac neceſſariò inerit ſubjecto, vt homo eſt animal: ſi res eſt impoſſibilis, etiam oratio ac propoſitio non tantùm falſa, ſed etiam erit veritatis impoſſibilis, vt homo eſt hinnibilis: ſi denique res eſt contingens, poteſtque eſſe, vel non eſſe, etiam veritas, vel falſitas propoſitionis contingens erit, & prædicatum ſubjecto per ſe nec inerit, nec repugnabit, ſed contingenter ei adeſſe, vel ab eo abeſſe poterit.

5. SECVNDVM. Neceſſitatem ſiue in re, ſiue in propoſitione eſſe duplicem. Vnam quæ *abſoluta*, & neceſſitas ſimpliciter, ac in ſenſu diuiſo dicitur, vt Cœlum moueri, hominem eſſe animal: Alteram quæ *ſecundum quid*, & ex hypotheſi tantùm neceſſitas dicitur, vt parietem eſſe album neceſſe eſt, ex hypotheſi, quòd viſum diſgreget. Quam diſtinctionem neceſſitatis tradit Ariſtoteles lib. 1. de interpret. cap. 6. his verbis: *Eſſe quod eſt, quando eſt, & non eſſe quod non eſt, quando non eſt, neceſſe eſt. Sed non omne, quod eſt, neceſſe eſt eſſe: nec quod non eſt, neceſſe eſt non eſſe. Non enim idem eſt, omne quod eſt, neceſſariò eſſe quando eſt; & ſimpliciter ex neceſſitate eſſe: ſimiliter autem, & in eo quod non eſt*. Eſt & tertia quædam neceſſitas, quæ *diſiunctiua* dicitur, cùm nimirum ex duobus terminis contradictoriè oppoſitis neuter determinatè neceſſariò ſubjecto ineſt; horum tamen alterum indiſtinctè eidem ineſſe neceſſe eſt. Vt hominem eſſe videntem aut non videntem, ſanum aut ægrum, doctum aut indoctum. Verum hæc neceſſitas ad duas priores reduci poteſt.

Neceſſitas alia abſoluta.

Alia ex hypotheſi.

Ariſtotele.

Alia diſiunctiua.

6. TERTIVM. Contingentiam rei eſſe etiam duplicem. Vnam ad vtrumlibet extremum contradictionis æqualem, vt ſcribere vel non ſcribere in Petro; Alteram inæqualẽ, quâ res, vel ſubjectũ ad vnũ contradictonis extremum magis, vel minùs propendet. *Minùs*, vt fodientẽ terrã inuenire theſaurũ: *magis*, vt eundem non inuenire theſaurum.

Cõtingentia tia rerum duplex.

Digitized by Google

7. QVARTVM. Enuntiationem mentalem & internam interdum eſſe ſine externa, vt cùm quis tacitus de re aliqua judicat : interdum contra externam eſſe ſine vlla mentali & interna, vt cùm quis auditâ aut lectâ externâ aliquâ propoſitione hæret dubius, ſit ne vera nec ne. Tunc enim intellectus nullum propriè format judicium, nullamque ſecundam mentis operationem ; ſed primam tantùm. Si enim ſyllogiſmum integrum externum vocalem, aut ſcriptum aliquando apprehendit ſine vllo judicio, multò magis ſingulas ejus propoſitiones. In quo caſu talis propoſitio, vel ſyllogiſmus ad primam tantùm mentis operationem illius hominis pertinent : quia nullius in eo ſecundæ, aut tertiæ operationis mentalis ſignum ſunt. Interdum denique, & vt plurimùm interna & externa enuntiatio ſimul junctæ ſunt, cùm nimirum, propoſitio vocalis id exterius ſignificat, quod mens intus judicat.

Externo & interna propoſitio non ſemper ſimul ſunt.

8. QVINTVM. Tametſi veritas communiter definiatur *Cōformitas & ſimilitudo cognitionis cum ſuo objecto*, vel *Adæquatio ejus eſſe, quod res habet in anima & in intellectu, cum eo, quod habet extra intellectum* ; hocque ſenſu veritas etiam in prima mentis operatione, imò etiam in ſenſu reperiatur ; nihilominus tunc veritas in intellectu eſſe propriè dicitur, cùm hæc conformitas ab eo cognoſcitur. Cognoſcitur autem, cùm iudicat rem talem eſſe à parte rei, qualis eſt in mente: Quod judicium, eſt ſecunda mentis operatio, fitque componendo attributum ſubjecto, vel ab eo diuidendo, vt pluribus declarat S. Thomas 1. parte quæſt. 16. art. 2. *Quando intellectus*, inquit, *indicat rem ita ſe habere, ſicut eſt forma, quam de re apprehendit, tunc primò cognoſcit, & dicit verum. Et hoc facit componendo, & diuidendo. Nam in omni propoſitione aliquam formam ſignificatam per prædicatum, vel applicat alicui rei ſignificatæ per ſubjectum, vel remouet ab ea : & ideo bene inuenitur quòd ſenſus eſt verus de aliqua re, vel intellectus cognoſcendo quod quid eſt. ſed non quòd cognoſcat, aut dicat verum. Et ſimiliter eſt de vocibus complexis, aut incomplexis. Veritas igitur poteſt quidem eſſe in ſenſu, vel in intellectu cognoſcente quod quid eſt, vt in quadam re vera, non autem vt cognitum in cognoſcente. Quod importat nomen veri, Perfectio enim intellectus eſt verum, vt cognitum:*

Quando veritas propriè ſit in intellectu.

D.Thomas.

Digitized by Google

gnitum: & ideo propriè loquendo veritas eſt in intellectu componente & diuidente, non autem in ſenſu, neque in intellectu cognoſcente quod quid eſt, hæc S. Thomas. Quibus poſitis.

9. Dico primò, Si cognitionem, & propoſitionem aliquam eſſe veram aliud nihil ſit, quàm eam eſſe conformem ſuo objecto; & eſſe falſam, eidem non eſſe conformem, propoſitionum contradicentium de futuro contingenti ſingulari ſemper vnam eſſe veram, & alteram falſam. Ratio eſt, quia vt ait Ariſtoteles ſub finem cap. 6. lib. 1. de Interpr. *Cùm ſimiliter orationes veræ ſint, quemadmodum & res*, res contingens, quam cogitamus, vel enuntiamus futuram, vel erit de facto, vel non erit: Si primum, enuntiatio, quæ ſignificat eam fore, conformis erit ſuo objecto, & oppoſita erit difformis: Igitur illa vera erit, & hæc falſa, ſiue vno tantùm die, ſiue mille annis ante cogitatæ, & prolatæ fuerint. Si ſecundum, hæc vera erit, & illa falſa; imò erit vna neceſſariò vera, & altera neceſſariò falſa, neceſſitate nō quidem abſolutâ, & ſimpliciter, ſed neceſſitate ex hypotheſi. Nam, vt ait Ariſtoteles ſupra. *Eſſe quidem, vel non eſſe, omne neceſſe eſt, vt futurum eſſe, vel non. Non tamen diuidentem dicere alterum neceſſarium. Dico autem, vt neceſſe futurum eſſe bellum nauale cras, vel non futurnm eſſe; non tamen fieri cras bellum nauale neceſſe eſt, neque non fieri: fieri tamen vel non fieri neceſſe eſt*, hoc eſt, neceſſitate disjunctiuâ bellum nauale fieri, vel non fieri neceſſe eſt.

Quo ſenſu propoſitio de futuro ſit vera.

Ariſtoteles.

10. Dico ſecundò, Si propoſita quæſtio intelligatur de veritate vt cognita, & propriè ſumpta, propoſitionum contradicentium de futuro contingenti neutram eſſe veram, vel falſam; quod idem eſt ac neutram eſſe determinatè veram, vel determinatè falſam. Ratio eſt quia illa tantùm propoſitio eſt vera determinatè, quam determinatè judicare, & dicere poſſumus eſſe veram; & illa falſa determinatè, quam judicare, & determinatè dicere eſſe falſam, & non conformem ſuo objecto: At nullâ viâ & ratione naturali certò, diſtinctè, & determinatè à nobis cognoſci poteſt, quæ ex illis contradicentibus ſit vera, & quæ falſa, quæ conformis ſuo objecto, & quæ difformis. Etenim cùm omnis noſtra cognitio naturalis ab ipſis objectis, vel ab eorum cauſis à nobis cognitis

Neutra eſt determinatè vera, vel falſa.

Probatur 1.

Digitized by Google

pendeat, nulla veritas ſeu conformitas noſtræ cognitionis cum objecto certò, ac definitè à nobis cognoſci poteſt, niſi ejus objectum ſit adeò euidenter certum, ac determinatum, vel in ſe, vel in ſuis cauſis, vt noſtram mentem, noſtrumque judicium ad vnam contradictionis artem inflectere, & determinare poſſit: at nullum futurum contingens eſt ejuſmodi: cùm ex ſe, & ex natura ſua, non ſit certum, ac determinatum, ſed indifferens ad vtrumque, hoc eſt, vt ſit, vel non ſit: ejuſque itē cauſæ proximæ à nobis naturaliter cognitæ, ſint ex ſe indifferentes ad illud producendum, vel non producendum. Igitur nullâ viâ & cognitione naturali à nobis certò ac definitè cognoſci poteſt ex contradicentibus de futuro contingenti, quænam ſit vera, & quæ falſa, nec an res contingens ſit abſolutè futura, nec ne: præſertim quando eſt contingens ad vtrumlibet. Nam rarò, vel vt plurimùm contingens, mentem quidem noſtram ad vnum contradictionis extremum inclinat magis, quàm ad alterum; non tamen ſic, vt certò & firmiter de eo judicet, ſed ſolùm probabiliter, idque magis vel minùs, pro ſignorum & circunſtantiarum conditione, euidentiâ, & probabilitate.

Probatio 2. 11. Confirmatvr, quia ideo propoſitio de futuro neceſſario, vt *ſol cras orietur*, vel de contingenti præterito, aut præſenti, vt *Petrus ſcribit, aut ſcripſit*, eſt perfectè & determinatè vera; vel quæ eſt de præſenti, præterito, & futuro in materia impoſſibili, vt *Luna de Cælo cadit, aut cadet*, eſt determinatè falſa; quia ejuſmodi propoſitionum objecta ad alterum contradictionis extremum, hoc eſt, vt ſint, vel non ſint, ſunt determinata; idque à nobis viâ naturali cognoſci poteſt, quâ futura contingentia à nobis cognoſci nequeunt. Similiter ratio, ob quam cognitio, quam habet Deus de futuris contingentibus, ſit certa, & determinata, eſt quia illa intuetur vt præſentia, & determinata, ejuſque cognitio fertur in ea, vt ſunt extra ſuas cauſas: igitur ratio, ob quam nobis cognitione naturali vtentibus ſint incerta, eſt quia, cùm poſſint eſſe & non eſſe, ea nec in ſe, nec in ſuis cauſis à nobis cognitis, à nobis determinatè, ac certò cognoſci non poſſunt.

Ariſtoteles. 12. Atqve hæc eſt expreſſa Ariſtotelis doctrina loco citato his verbis, *Cùm ſimiliter orationes veræ ſint, quemadmodū*

Digitized by Google

& res, manifeſtum eſt, quòd quæcunque ſe habent, vt ſint vtrumlibet contingit, & contraria ſuſcipiant, neceſſe eſt ſimiliter ſe habere & contradictionem, quod contingit in ijs, quæ non ſemper ſunt, vel ſemper non ſunt (id eſt in contingentibus futuris) *Horum enim neceſſe eſt alteram partem contradictionis veram eſſe, vel falſam.* (id eſt, eſſe conformem, vel difformem ſuo objecto) *non tamen hanc, vel illam* (id eſt, neutram eſſe determinatè veram, aut falſam, ſeu definitè à nobis cognoſci non poſſe, quæ vera ſit, aut falſa) *ſed vtramlibet contingit* (id eſt, prout res eueniet illa dicetur vera, hæc falſa) *& magis quidem veram alteram, non tamen jam veram, vel falſam* (id eſt, quæ eſt de futuro vt plurimùm contingenti ad veritatem determinatam magis propendere, & de futuro raRò contingente ad falſitatem magis accedere, quàm eam, quæ eſt de futuro æquè ad vtrumlibet contingenti) *Quare manifeſtum eſt, quòd non eſt neceſſe omnis affirmationis, vel negationis oppoſitarum hanc quidem veram, illam autem falſam eſſe* (ſupple definitè ac determinatè) *Non enim quemadmodum in ijs quæ ſunt, ſic ſe habent, & in ijs, quæ non ſunt quidem, poſſibilibus tamen eſſe, vel non eſſe.* Ita Ariſtotelem exponunt, & cum eo ſentiunt Ammonius, Auerroës, S. Thom. Iulius Pacius, alijque Peripatetici in illum locum.

13. ITAQVE de Ariſtotele malè, meo quidem judicio, merentur, qui eum ſic interpretantur, quaſi voluerit contradicentes de futuro contingenti nullam omninò habere vel veritatem, vel falſitatem, hoc eſt, nullam conformitatem, aut difformitatem cum objecto, quod ſignificant; ſed quamlibet ex illis eſſe indifferentem ad veritatem, & falſitatem. Etenim diſertè ait; *In ijs, quæ non ſemper ſunt, aut ſemper non ſunt* id eſt, quæ nec ſunt neceſſaria, nec impoſſibilia, ſed poſſunt eſſe, & non eſſe, atque adeò ſunt contingentia, *neceſſe eſt alteram partem contradictionis veram eſſe, vel falſam; non tamen hanc, vel illam,* id eſt, hanc *definitè*, vel illam, &, vt ait Auerroës, ejuſmodi propoſitiones contradictorias *diuidere verum & falſum: at non ſecundùm complementum.* *Defenditur Ariſtoteles.* *Auerroës.*

14. MVLTÒ verò de eodem pejus merentur, & bis, terue in Ariſtotelem peccant, qui cum Gabriele Vaſquez in 1. part. S. Thom. diſp. 66. cap. 1. ex eo quòd dicat, contradicentium de futuro contingenti neutram eſſe determinatè veram

Digitized by Google

aut falſam, inferunt eum abſtuliſſe Deo certam futurorum contingentium præſcientiam; & ex conſequenti rerum humanarum, ac etiam naturalium contingentiam, diuinamque prouidentiam pernegaſſe. Hæc enim duo, ex illo primo, nullo planè modo ſequuntur. Nam, ex eo quòd nos futurorum contingentium, vel nullam, vel non certam habeamus notitiam, inferre illa à Deo certò ſciri non poſſe, peſſimè eſt argumentari: eſtque illatio & conſequentia non ſolùm nulla, ſed etiam impia, ex noſtra ignorantia, noſtraque de futuris contingentibus inſcitia ignorantiam in Deo arguere, noſtramque ad eum imperfectionem transferre. *Quomodo*, *Ammonius.* inquit Ammonius in hunc locum Ariſtotelis, *hîc vel tantillum nobis claritatis inſitum videbitur, ſi Deorum* (Gentilium more loquitur) *cognitioni nihil pluſquam noſtræ tribuendum ſentiamus, ſed ambiguam ipſam audeamus, atque indefinitam confiteri. Ejuſdem namque erit intelligentiæ, imò verò amentiæ brutorum quoque animantium cognitionem noſtræ conferre*, &c. Legatur integer ejuſdem Commentarius, in quo præclarè omnino, tum ex ſua, tum ex Parmenidis, Platonis, Ariſtotelis, & Iamblici ſententia, & argumentis probat, omnia, tam præſentia, quàm præterita, & futura, quæque nondum ſunt à Dijs cognoſci eo modo, quo ipſis conuenit, hoc eſt, inquit, *vnâ, certâ, atque indeclinabili cognitione, & ab ijs comprehenſam eſſe contingentium notitiam, vt qui omnia mundi ambitu concluſa in naturam producant, ſintque ſubſtantiarum incorruptibilium* (id eſt Cœlorum) *authores, & generabilium.*

15. Objectionem autem, quæ communiter fieri ſolet, quòd futura contingentia, ſi à Deo certò, ac definitè cognoſcuntur, non contingenter, ſed neceſſariò futura erunt, ſic ibidem proponit, & ſoluit. *Neque*, inquit, *quæ contingentia vocant, putare opportet, propterea quòd certò à Dijs cognoſcantur, neceſſariò exitum habitura eſſe. Non enim quoniam Dij norunt, ob id eueniet neceſſariò; ſed quoniam, cùm contingentem atque ancipitem naturam habeant, omnino finem talem, aut talem obtinebunt*, id eſt, erunt, vel non erunt, *hac de cauſa neceſſe eſt Deum quo pacto euentura ſint intelligere: eſtque idem ſuâ quidem naturâ contingens, Deorum autem cognitione non ampliùs indefinitum, ſed certum ac definitum.* Et certè cùm S. Thomas, &

Digitized by Google

poſt eum ejus diſcipuli, Ariſtotelis ſententiam defendant, vel inde manifeſtè conſtat, ex ea, neque diuinam prouidentiam, neque certam futurorum contingentium cognitionem Deo tolli, ac denegari.

16. OBIICIES. Ex contradicentibus de præſenti, vel præterito in materia contingenti vtra vera, aut falſa ſit, plerumque neſcimus, v. g. ſit ne aper in ſylua, an non: an nocte præteritâ lepus tranſierit hâc viâ, an non: igitur ſi noſtra ſententia vera eſt, contradicentes de contingenti præterito, aut præſenti non magis erunt veræ, aut falſæ, quàm de futuro. *Obiectio.*

CONCESSO Antecedente, neganda Conſequentia; vel diſtinguenda. Dupliciter enim enuntiatio aliqua dici poteſt indeterminatè, & indefinitè vera, vel falſa. Primò *per ſe ex natura ſua*, & ex parte objecti, quod ſcilicet à mortalium nemine naturaliter certò, ac definitè cognoſci nequit. Secundò non per ſe, ſed per accidens, & ex parte noſtra tantùm, eò quòd ejus objectum, licet ſit in ſe determinatum, cùm jam ſit vel præſens, vel præteritum, in nullius hominis ſenſus incurrerit, cùm tamen abſolutè, certò, & definitè ab aliquo cognoſci poſſit. Nam Aprum in ſylua eſſe v. g. certò ſcit, qui eum viderit. Contingentia futura primo modo à nemine certò, ac definitè naturaliter cognoſci queunt, cùm nec in ſe, nec in ſua cauſa à nobis cognita, ſint determinata. Præterita autem, & præſentia ſecundo tantùm modo, & per accidens ſunt incognita. Nos autẽ cum Ariſtotele de eo, quod per ſe, & naturâ ſuâ & reſpectu omnium tale eſt, locuti ſumus, cùm ſcientiæ ſint de ijs, quæ rebus, non per accidens, ſed per ſe conueniunt. *Reſponſio.*

17. DICO tertiò, Futura contingentia certò, & definitè cognoſci à Deo, & etiam, ex ejus reuelatione, à nobis cognitione ſupernaturali. Prima pars probatur, *primò* ex Scriptura Eccleſiaſtici 23. *Domino Deo antequam crearentur, omnia ſunt agnita.* Et Ioan. 18. *Sciens Ieſus omnia, quæ ventura erant ſuper eum, proceſſit,* &c. *Secundò*, quia Deus ea futura contingentia per Prophetas ſæpius reuelauit Exodi 3. *Ego ſcio, quòd non dimittet vos Rex Ægypti, vt eatis, niſi per manum validam* Ioan. 13. & 14. *Dixi vobis priuſquam fiat, vt, cùm* *Ex reuelatione diuina certò ac determinatè ſciuntur.*

Digitized by Google

factum fuerit, credatis, quia ego ſum. Tertiò, quia alioquin ignorantia in Deo eſſet, ejuſque præſcientia, ac prouidentia incertæ & fallaces eſſent, ſicque nutaret tota fides noſtra diuinæ reuelationi innixa. *Quartò*, quia Deo omnia ſunt determinata & præſentia, ejuſque æternitati nihil futurum, aut præteritum; ſed quæ nobis præterita, præſentia, aut futura ſunt, illi ſunt tantùm præſentia.

Anima reuelatione certo cognoſci poſſunt.

SECVNDA pars probatur, quia nos Deus nec fallit, nec fallere, aut mentiri poteſt. Ergo quod nobis reuelauit futurum, quantumuis contingens ſit, id omnino erit: idemque fore à nobis fide diuinâ certò, & infallibiliter credi, & judicari poteſt, & debet. Plures ejus veritatis probationes legi poſſunt apud S. Thomam 1. part. quæſt. 14. art. 13. lib. 1. contra gentes cap. 67. Didacum Ruiz tomo de ſcientia Dei diſp. 22. ſect. 23. & ſeq. alioſque Theologos.

18. Ex his patet Suarem ſupra, & alios non rectè probare propoſitiones omnes ſingulares de futuro contingenti eſſe determinatè veras, vel falſas, ex eo quòd futura contingentia à Deo certò cognoſcantur. Fatemur enim omnia, & ſingula futura contingentia clarè, diſtinctè, & certiſſimè præſciri, ac præcognoſci à Deo. Eſt enim hoc de fide: At cum Ariſtotele, cum Diuo Thoma, alijſque Theologis negamus, propoſitiones de futuro contingenti, nobis viâ naturali cognoſcentibus, eſſe determinatè veras, aut falſas.

19. PATET ſecundò falſum eſſe, quod plerique exiſtimant, Propoſitionem de futuro contingenti eſſe determinatè veram, nihil aliud eſſe, quàm eam habere veritatem, ſeu conformitatem cum ſuo objecto: quia veritas propoſitionis eſt veritas judicij, & ſecundæ mentis operationis, quâ judicamus ita eſſe à parte rei, vt eſt à parte mentis: at naturales de futuro contingenti propoſitiones vt plurimùm, ſunt tantùm primæ apprehenſiones, earumque veritas, ſeu conformitas cum objecto cognoſci nequit à nobis viâ naturali. Deinde aliud eſt rem reuerà, & determinatè eſſe futuram, aliud propoſitionem, quæ id enuntiat, eſſe determinatè verã. Neque enim hoc ex illo ſequitur: quia licet res ſit determinatè futura, ej⁹ tamẽ futuritio nõ propterea in mẽte noſtra determinata eſt: hoc eſt, non judicamus certò eã eſſe futurã, aut ſi judi-

Aliud eſt rẽ eſſe determinatè futurã aliud eſſe determinatè verã.

camus, conjecturaliter tantùm, & probabiliter judicamus.

20. At inquit Suarez ſupra Cap. 2. num. 10. extrinſecum & accidentarium eſt propoſitioni determinatè verè, quòd ejus veritas, ſeu conformitas cum objecto nobis naturaliter ſit certa & euidens, cùm etiam hæc propoſitio *aſtra ſunt paria* ſit determinatè vera aut falſa. Vtrumque negandum eſt: Eſt enim eſſentiale propoſitioni, quòd ſit judicium, & ſecunda mentis operatio: ergo vbi non eſt judicium, ſiue affirmatiuum, ſiue negatiuum, ibi non eſt propoſitio: quando autem mens noſtra ad nullam contradictionis partem ſe determinat, nullum eſt judicium: ergo nulla propoſitio. Vnde hæc oratio *aſtra ſunt paria* ei, qui ignorat an ita ſit, nec ne, propoſitio, ſeu ſecunda mentis operatio non eſt, ſed ſola apprehenſio prima. *Obiectio Suaris.* *Reſponſio.*

At inſtabit alius. Quale eſt objectum alicujus propoſitionis, talis eſt hujus veritas: at futurum contingens determinatè eſt, vel futurum, vel non futurum: igitur veritas propoſitionis, quæ enunciat eſſe futurum, eſt determinata, ſi verè eſt futurum; & eadem propoſitio determinatè eſt falſa, ſi non eſt futurum. *Altera obiectio.*

Concessa Majore & Minore, negatur conſequentia. Cõſtat enim argumentum pluſquam tribus terminus, vt patet. *Reſponſio.*

Respondeo ſecundò, Diſtinguendo Majorem. Si ejus ſenſus ſit, quòd propoſitio vt ſit vera, debet eſſe conformis ſuo objecto, & ſi eſt futurum, quæ dicit illud eſſe futurum, habet veritatem ſeu conformitatem cum illo, vera eſt Major. Si verò ejus ſenſus ſit, quòd habet veritatem determinatè, hoc eſt, veritatem & conformitatem cum objecto à nobis cognitam, quod eſt eſſe veram determinatè, falſa eſt Major.

Itaqve futurum contingens vel determinatè eſt futurum, vel determinatè non futurum; ſed hæc determinatio nobis eſt ignota, nec in ſe, nec in ſua cauſa naturaliter à nobis cognoſci poteſt; quod tamen requiritur ad verum determinatè hocque importat aduerbium *determinatè* veritati aut falſitati ſuperadditum. Si enim hoc non ſignificaret, fruſtra adhiberetur ſatiſque eſſet dicere, enunciationem de futuro contingenti, eſſe veram, vel falſam, conformem vel, non conformem ſuo objecto.

Digitized by Google

Exponuntur quædam diuinæ Scientiæ diuiſiones, & quaſi ſpecies, ad earum inter ſe ordinem veſtigandum.

CAPVT XXIII.

Scientia diuina multiplex.

1. SCIENTIAM Diuinam ex parte Dei vnam, & æquè ſimplicem, ſicut Deus ipſe, ex parte objecti tamen Theologi faciunt multiplicem, eamque diuidunt in *ſpeculatiuam* & *practicam*, in *neceſſariam* & *liberam*, in ſcientiam *approbationis* & *improbationis*, in ſcientiam *ſimplicis intelligentiæ*, & ſcientiam *viſionis*; & quamlibet adhuc in tot partes ſecant, quot ſunt objecta diuerſa, circa quæ verſatur.

Diuiſio ſcientia noſtra.

2. CVM autem ſcientia ſpeculatiua in nobis, vt declarat pluribus S. Thom. 1. part. quæſt. 14. art. 16. alia ſit *ſimpliciter talis*, quæ nimirum eſt de rebus à ſciente non operabilibus, vt quam habemus de Deo, de Sole, Luna, alijſque rebus naturalibus: alia ſpeculatiua tantùm *ſecundùm quid*, idque vel quoad modum ſciendi, quæ rem à nobis quidem factibilem, ſed in vniuerſum tantùm conſiderat, vt cùm medicus ſanitatem, & ædificator domum ſecundùm ejus prædicata vniuerſalia contemplatur: vel etiam in particulari, ſed ſine ordine ad finem & opus, & ſine vlla voluntate, ac intentione faciendi eam: Et practica item alia ſit *ſimpliciter practica*, quæ rem à nobis operabilem, vel cùm ſit actu, vel cùm voluntate eam faciendi conſiderat: alia *practica ſecundùm quid*, quæ eadem eſt cum ſpeculatiua ſecundùm quid ante explicata, Deus ſcientiam habet ſpeculatiuam ſimpliciter de ſe ſolo, vt patet. Non enim eſt factibilis: De rebus verò omnibus creatis, quas vel ſe ſolo, vel per alias cauſas in aliqua temporis differentia facit, ſcientiam habet practicam ſimpliciter: De his autem, quæ non facit, ſed poteſt facere, cùm & ſingulas in particulari, & omnes ſecundùm

Quæ Dei ſcientia ſit practica.

Digitized by Google

vniuerſalia earum attributa, modoſque omnes, quibus fieri, & exiſtere poſſunt, perfectè norit, ſcientiam tantùm habet ſecundùm quid ſpeculatiuam, & practicam, tam quoad modum, quàm quoad finem. *Mala verò*, inquit S. Thomas, *licet ab eo non ſint operabilia, tamen ſub cognitione practica ipſius cadunt, ſicut & bona, in quantum permittit, vel impedit, vel ordinat ea: ſicut & ægritudines cadunt ſub practica ſcientia medici, in quantum per artem ſuam curat eas.* *Quæ practica.*

3. SCIENTIA Dei neceſſaria & naturalis ea eſt, quam habet de ſe, & de creaturis ſecundùm eſſe poſſibile, poſſibilitate oppoſitâ impoſſibilitati, vt dicetur poſtea. Libera verò ſcientia eſt, quæ adjunctum habet aliquem liberum diuinæ voluntatis actum, ſeu volitionis, ſeu nolitionis. *Naturalis.* *Libera.*

SCIENTIA approbationis eſt eadem, ac ſcientia viſionis circa bona. Ita enim eam appellat S. Thom. quæſt. 7. de Veritate art. 8. Scientia improbationis, aut reprobationis, ſcientia quidem viſionis eſt, ſed circa mala. *Approbationis.* *Improbationis.*

4. QVOD verò attinet ad vltimam diuiſionem in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiam viſionis, quæ frequentior eſt apud Theologos, meo quidem judicio à nemine meliùs expoſita videtur quàm à S. Thom. 1. part. quæſt. 14. art. 9. his verbis: *Deus ſcit omnia, quæcunque ſunt quocunque modo. Nihil autem prohibet ea, quæ non ſunt ſimpliciter; aliquomodo eſſe. Simpliciter enim ſunt, quæ actu ſunt. Ea verò, quæ non ſunt actu, ſunt in potentia, vel ipſius Dei, vel creaturæ, ſiue in potentia actiua, ſiue in paſſiua, ſiue in potentia opinandi, vel imaginandi, vel quocunque modo ſignificandi. Quæcunque igitur poſſunt per creaturam fieri, vel cogitari, vel dici, & etiam quæcunque ipſe facere poteſt, omnia cognoſcit Deus, etiam ſi actu non ſint. Et pro tanto dici poteſt, quòd habet etiam non entium ſcientiam. Sed horum, quæ actu non ſunt, eſt attendenda quædam diuerſitas. Quædam enim licet non ſint nunc in actu, tamen vel fuerunt, vel erunt; & omnia iſta dicitur Deus ſcire ſcientiâ viſionis: quia cùm intelligere Dei, quod eſt ejus eſſe, æternitate menſuretur, quæ ſine ſucceſſione exiſtens totum tempus comprehendit, præſens intuitus Dei fertur in totum tempus, & in omnia, quæ ſunt in quocunque tempore, ſicut in ſubjecta ſibi præſentialiter. Quædam vero ſunt, quæ ſunt in potentia Dei, vel Creaturæ, quæ tamen nec ſunt, nec* *Viſionis.* *D. Thomas.*

Digitized by Google

Simplicis intelligentia. *erunt, neque fuerunt; & reſpectu horum, non dicitur habere ſcientiam viſionis, ſed ſimplicis intelligentiæ. Quod ideo dicitur, quia ea, quæ videntur apud nos, habent eſſe diſtinctum extra videntem.* Quaſi diceret, ſicut non niſi quæ actu, & præſentia ſunt, cernimus oculis: ita Deus ea videre dicitur, quæ diuino ejus conſpectui ſunt præſentia. Sic autem ad eum ſe habent, quæ ſunt, fuerunt, & erunt, cùm ejus æternitati nihil ſit præteritum, aut futurum, ſed omnia præſentia. Eandem diſtinctionem habet quæſt. 2. de Veritate art. 9. ad 2. & 3. part. quæſt. 10. art. 2. ad 2. & art. 3. & lib. 1. contra Gentes cap. 66. 69. ac alibi ſæpius.

Simplicis intelligentia vna eſt quaſi ſpecifica & libera. 5. Dvo tamen hîc adnotanda ſunt. Primùm, appellationem ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ dupliciter accipi poſſe. Primò quaſi *ſpecificè*, vt ſit ea, quæ actualem rerum cognitarum extra Deũ exiſtentiã, & volitionem ea producendi excludit, imò nolitionem earum habet adjunctam, eſtque eſt cognitio creaturarum, vt ſtant ſub non eſſe actu. Secundò quaſi *genericè*, vt intelligentiæ ſimplicis ea dicatur Dei ſcientia, quæ à nobis concipitur, vt præciſa ab omni voluntatis, ſiue volitionis diuinæ actu; quæque dicit tantùm cognitionem creaturarum ſecundùm ſuam quidditatem, & eſſentiam, præſcindendo ab eo, quòd ſint, vel non ſint actu; atque adeo, vt tantùm ſunt poſſibiles, nec vllam implicant contradictionem. *Altera generica & neceſſaria.* Scientia ſimplicis intelligentiæ primo modo eſt libera, & non neceſſaria; quia quod noluit Deus eſſe, & creare, id potuit velle, & facere, & creare: eademque eſt veluti quædam ſpecies diuinæ ſcientiæ, oppoſita ſcientiæ viſionis, quæ eſt cum volitione, & actuali exiſtentia rerum extra Deum; quæque etiam libera eſt, eò quòd id quod voluit Deus creare, quodque eſt, vel fuit, vel erit, id potuit nunquam eſſe, potuitque Deus nolle. At verò ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſecundo modo ſumpta, eſt purè naturalis, & neceſſaria, & veluti communis ac indifferens ad ſcientiam viſionis, & ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ liberam: aliudque nihil eſt, quàm ſcientia ipſa diuina à nobis per modum conceptus cõmunis inadæquati, & præciſi concepta, & vt indifferens, vt cum rei cognitæ volitione conjuncta ad ſcientiam viſionis, cũ nolitione ad ſimplicis intelligentiæ ſcientiam, quaſi genus ad

Quid ſcientia præciſionis in Deo.

Digitized by Google

ſpecies oppoſitas, contrahatur: quæ vitandæ æquiuocationis, & claritatis doctrinæ cauſa *ſcientia præciſionis* nominari poſſet.

6. NOTANDVM ſecundò, quòd, cum eadem ſcientia ſimplicis intelligentiæ à nonnullis interdum appelletur *ſcientia poßibilium*, vt hæc appellatio rectè intelligatur, Poſſibile, vt monuimus ſupra cap. 8. tribus modis ſumitur. Primò, vt impoſſibili. Secundò, vt neceſſario. Tertiò, vt actuali, ſeu ei, quod eſt actu, opponitur. Poſſibile primo modo eſt id, cui non repugnat eſſe actu, ſeu de cujus ratione, & eſſentia eſt non repugnantia ad actum: Impoſſibile enim eſt id, cui repugnat eſſe actu. Quod Poſſibile Alenſis in textum 9. lib. 9. Metaph. appellat *poßibile pro poßibili*, aitque eſſe velut genus ad neceſſarium, & ad contingens: Vtrumque enim eſt poſſibile, & vtrique conuenit eſſentialiter, non habere repugnantiam ad actum. *Poßibile tribus modis ſumitur.*

DIFFERVNT autem, quod *neceſſarium* ita eſt poſſibile, eique ita conuenit non repugnantia ad actum, vt illum non poſſit non habere, nec ab eſſe actu ſejungi, ac diſtare poſſit, quod ſoli Deo propriè conuenit. *Contingens* verò actum vel ita habeat, vt poſſit non habere, vel ita non habeat, vt poſſit habere, ſaltem à Deo. Poſſibile ſecundo modo ſumptum, vt neceſſario opponitur, aliud nihil eſt, quàm ens contingens, quod poteſt eſſe, & non eſſe: vel vt illud definit Ariſtot. libro citato Metaph. text. 7. *Poßibile eſt, cui ſi illius inſit actus, cujus potentiam habere dicitur, nihil impoßibile erit.* Idem verò Poſſibile contingens, cùm, vt habet priuationem ſui eſſe, & non eſt actu, ſibi ipſi actu exiſtenti quodammodo opponatur, (priuatio enim habitui oppoſita eſt) eſt Poſſibile tertio modo ſumptum, eſtque id, quod nec actum, nec repugnantiam ad eum habet: vel quod cùm non ſit actu, poteſt tamen eſſe actu. Ita roſa in hyeme eſt poſſibilis, quia tunc caret actualitate ſuæ exiſtentiæ in rerum natura extra ſuas cauſas, eſtque tantùm in potentia ſuarum cauſarum: Eadem autem verno tempore eſt actu, & non poſſibilis, ſubeſtque ſuæ actuali exiſtentiæ. *Quid poßibile neceſſarium* *Quid contingens.*

ITAQVE ſcientia ſimplicis intelligentiæ, cùm dicitur ſcientia poſſibilium, id intelligendum eſt, de poſſibilibus vltimo poſſibilitatis genere, quo comprehenduntur ea, quæ

Digitized by Google

nec ſunt, nec fuerunt, nec futura ſunt actu, cùm actu potuerint eſſe. Nam ſi *poſſibile* ſumatur primo modo, ſcientia poſſibilium erit ſcientia ſimplicis intelligentiæ paulò ante ſecundo loco explicata, ſeu ſcientia neceſſaria & præciſionis, vt eſt tantum cognitio quidditatis rerum, cum non repugnantia ad actum exiſtendi.

7. QVARE cùm Sanctus Thomas loco citato quæſt. 2. de Veritate art. 9. ad 2. ait, quòd ſcientia ſimplicis notitiæ etiam eſt rerum, quæ nec ſunt, nec fuerunt, nec erunt, & in 3. Sentent. ad Annibaldum diſt. 14. quæſt. vnica art. 2. *Quòd in Verbo, ſiue in Deo diſtinguitur duplex cognitio. Vna dicitur viſionis, per quam videt Deus quaſi præſentia omnia, quæ ſunt, erunt, vel fuerunt. Alia dicitur ſimplicis intelligentiæ, per quam non ſolùm illa ſcit, ſed etiam omnia, quæ poteſt facere*: Intelligendus eſt, vel de ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſecundũ præciſionẽ, quatenus eſt cognitio quidditatis, & eſſentiæ rerũ, quæ ſunt, præſcindendo ab actuali earũ exiſtentia: vel de notitia rerum, quæ ſunt, aut futuræ ſunt ſecundùm eas rationes, & habitudines ad alias, tam quæ ſunt actu, quàm quæ non ſunt, & quas nunquam habuerunt, aut habituræ ſunt actu. Nam locis ſupra citatis, & pluribus alijs definiens ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ait, eſſe tantùm notitiam eorum, quæ nec ſunt, nec fuerunt, nec erunt. Deinde ipſe ſibi, ac veritati manifeſtè contradiceret. Cùm enim loco citato de Veritate diſertè habeat, diſtinctionem ſcientiæ diuinæ in eam, quæ eſt ſimplicis notitiæ, & quæ viſionis, nullam differentiam importare ex parte ſcientis, id eſt, Dei, in quo ſcientia vna eſt, ſed ſolùm ex parte rei ſcitæ & objecti; ſi ſcientia ſimplicis intelligentiæ verſaretur etiam circa ea, quæ ſunt, fuerunt, aut erunt, haberet, ſaltem ex parte, idem objectum, quod ſcientia viſionis, & hæc, non ſpecies illi oppoſita, ſed pars quædam illius eſſet. Adde quòd fruſtra omnino, & ſine vlla ratione, vel neceſſitate dicitur ſcientia ſimplicis intelligentiæ verſari circa ea, quæ ſunt, fuerunt, aut erunt, cùm omnia, quæ de præſcientia, & prædeſtinatione in ſacris litteris, vel à SS. Patribus dicuntur, per ſolam ſcientiam viſionis rectè explicari poſſint.

Explicatur S. Thom.

Refellitur Did. Ruiz.

8. FALSVM autem eſt, quod ait Didacus Ruiz diſp. 17.

Digitized by Google

ſect. 6. num. 12. & 13. ſcientiam ſimplicis intelligentiæ contineri eſſentialiter in ſcientia viſionis. Primò, quia vitioſa eſſet diuiſio ſcientiæ diuinæ, ſi vnum membrum in alio contineretur. Omnis enim bona diuiſio fit per membra oppoſita: oppoſitorum autem vnum in alio non continetur.

SECVNDÒ, quia ſcientiæ ſecantur ſicut res, lib. 3. de Anima text. 38. & vt objecta, circa quæ verſantur: At objectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, nempe res, quæ nec ſunt, nec fuerunt, nec erunt vnquam, nullo modo continetur in objecto ſcientiæ viſionis, nempe in ijs, quæ vel ſunt, vel fuerunt, vel erunt.

TERTIÒ, ratio quâ nititur paralogiſmus eſt. Ita enim argumentatur. In ea cognitione, quâ Deus nouit Adamum eſſe futurum, continetur eſſentialiter ſcientia, quâ cognoſcit eum eſſe poſſibilem: ſcientia autem poſſibilium eſt ſimplicis intelligentiæ: igitur in ſcientia viſionis continetur. Cùm enim Poſſibile ſumatur dupliciter: primò, vt opponitur impoſſibili, quo modo tam quod eſt actu, quàm quod non eſt actu, cùm poſſit eſſe, complectitur: ſecundò, vt opponitur ei, quod eſt actu, quodque eſt pars, ac veluti ſpecies prioris poſſibilis: ſi poſſibile ſumatur primo modo, vera eſt Major: ſi ſecundo, eſt falſa. Similiter Minor diſtinguenda eſt. Scientia enim ſimplicis intelligentiæ præcisè eſt poſſibilium, poſſibili ſecundo modo accepto, Concedo: eſt poſſibilium primo modo, nego. *Soluitur eius argumentũ.*

9. NEQVE item probatur, quod ait Ruiz diſp. 17. ſect. 6. num. 5. Objectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ eſſe omnes, & ſolas propoſitiones neceſſarias, ac ſempiternæ veritatis; objectum verò ſcientiæ viſionis ſolas propoſitiones contingentes. Primò, quia hoc loquendi modo non rectè exprimuntur objecta vtriuſque ſcientiæ. Etenim per propoſitiones neceſſarias, & contingentes, vel noſtras intelligit, quas formamus, vel quas Deus ipſe formet. Non hoc ſecundùm. Deus enim nullam omnino format propoſitionem, ſiue affirmatiuam, ſiue negatiuam, ſiue vniuerſalem, ſiue particularem, ſiue neceſſariam, ſiue contingentem. Si primum, hoc eſt objectum ſcientiæ diuinæ valde imperfectè, & non adæquatè exprimere. Nam per noſtras propoſitiones, *Refellitur idẽ author.*

Digitized by Google

ſiue neceſſarias, ſiue contingentes intelligit noſtras formales, vel objectiuas : non formales, quia licet Deus eas norit diſtinctiſſimè, præter eas tamen res etiam ipſas, circa quas verſantur, contemplatur : Nec objectiuas tantùm, quia vt dictum eſt, etiam formales nouit. Præterea & noſtras definitiones, primaſque operationes, ac noſtros diſcurſus, ſiue neceſſarios, ſiue probabiles bene nouit. Igitur non ſolas propoſitiones.

SECVNDÒ, quia multæ propoſitiones neceſſariæ ad ſcientiam viſionis pertinent, vt ſol eſt corpus lucidum: Michaël eſt ſine corpore. Cælum eſt mobile motu circulari. Et contra, plurimæ contingentes ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ pertinent. In Mundo enim poſſibili, quem Deus nouit, poſſunt eſſe multæ contingentes de rebus ſingularibus, ex quibus conſtaret. Contingens enim dicitur tam de ijs, quæ ita non ſunt, vt poſſint eſſe, quàm de ijs, quæ ita ſunt, vt potuerint non eſſe. Porrò præter duas prædictas diuinæ ſcientiæ ſpecies, tertiam quandam Recentiores enumerant, quã appellant *ſcientiam mediam, ſeu conditionatam*, aut futurorum conditionatorũ, de qua agemus pluribus ſequẽtibus Capitibus.

Quæſtio. 10. QVÆRES ad quam Dei ſcientiam pertineat cognitio, quam habet de ſe? Reſpondeo quòd, cùm poſtrema hæc diuiſio ſcientiæ diuinæ tantùm ſit, prout verſatur circa res creatas, quæ ſunt, aut poſſunt eſſe extra Deum, cognitio, quam habet Deus de ſe, ad neutram illarum pertinet : Si tamen nomine ſcientiæ viſionis intelligatur cognitio ejus omnis, quod eſt, ſiue ſit neceſſarium, ſiue contingens, ſiue factibile, ſiue non, contemplatio Dei erit ſcientia viſionis, cũ Deus neceſſarium, primarium, & immediatum ſuæ contemplationis ſit objectum : alia verò quæ ſunt, fuerunt, & erunt vnquam non niſi ſecundarium. Si denique nomine ſcientiæ viſionis intelligatur cognitio rei actualis factibilis, & producibilis, cognitio Dei de ſe non erit viſionis, ſed ſimplicis intelligentiæ, cùm non ſit ſcientia practica, vel factiua.

Ad quam ſcientiã pertineat cognitio Dei de ſe.

Altera quæſtio. 11. QVÆRES ſecundò, An ſcientia Dei de creaturis ſit ſpeculatiua, an practica? Id tractat S. Thom. 1. part. quæſt. 14. art. 16. vbi præmiſsâ diſtinctione ſcientiæ ſpeculatiuæ antea explicatâ, in eam, quæ ſimpliciter talis eſt ex parte ſui

objecti non operabilis ab ipſo ſciente, vt ſcientia de Cœlo ab homine: & eam, quæ ſpeculatiua eſt, quantùm ad modum ſciendi, vt ſi Architectus conſideret domum in genere, & ſecundùm vniuerſalia ejus prædicata, eam definiendo, ac diuidendo: tertiò in eam, quæ ſpeculatiua eſt quantùm ad finē, id eſt, quam ad effectum non vult perducere, qui rem alioqui operabilem, & ſingularem conſiderat.

Reſponſio.

RESPONDET ſcientiam, quam habet Deus, de creaturis eſſe partim ſpeculatiuam ſecundùm quid, & quo ad finē; eam nimirum, quæ eſt de rebus, quas nec fecit, nec facit, nec faciet vnquam: partim verò eſſe practicam ſimpliciter, qualis eſt ſcientia de rebus, quas vel fecit, vel facit, vel faciet. Itaque abſolutè loquendo ſcientia Dei de rebus creatis dicenda eſt practica: tum quia per ſe eſt factiua rerum, licet plurimas, imò infinitas non efficiat. Quis enim negarit ſcientiam medicinæ in medico dormiente, vel cùm non medetur, aut quamlibet artem in artifice, cùm non operatur, eſſe practicam: tum quia omnes artes, & ſcientiæ factiuæ, potentiæ ſunt, ex Philoſopho lib. 9. Metaphyſic. tex. 3. Sunt enim principia alterius, prout alterum eſt: igitur multò magis ars, & ſcientia diuina, quæ non ſolùm eſt tranſmutatiua, ſed productiua totius entis, potentia erit, & principium factiuum ſui objecti. Igitur erit cognitio practica.

Sciētia Dei de rebus creatis eſt practica.

ADDE quòd, cùm ars, ſeu eorum, quæ à nobis fieri poſſunt, notitia ſit duplex: vna, quâ conſiderantur à nobis generatim, quæ propriè ars appellatur, vt medicina; quæ in Scholis, libriſque traditur: Altera, quâ vnumquodque opus ſingulare faciendum præcognoſcitur, dum fit inſpicitur, factū examinatur; quæ peritia, vel experientia dicitur. Vnde Philoſophus lib. 1. Metaphyſic. cap. 1. *Experientia ſingularium, ars autem vniuerſalium cognitio eſt*: prior notitia, quæ reſpectu ſecundæ quodammodo ſpeculatiua eſt, nullo modo eſt in Deo: quia licet noſtras artes, omneſque ſcientias, & noſtros conceptus vniuerſales probè norit, & intueatur: nullos tamē habet tales conceptus vniuerſales, eo quòd res indiſtinctè, & inadæquatè repræſentent. Igitur cognitio Dei de Creaturis, cùm ſit de rebus ſingularibus, deque ſingularibus modis, quibus ab eo fieri poſſunt, earumque accidentia particularia

tantùm, & habitudines ſingulares, quas habere poſſunt ad alias, cõſideret, non niſi practica, propriè loquendo, eſſe poteſt.

Ex quo patet, quòd ſcientia viſionis non per accidens, vt vult Ruiz diſp. 16. ſect. 6. num. 2. ſed per ſe practica eſt, vt pluribus oſtendetur infra cap. 35. Scientia verò præciſionis, vel vt loquuntur, poſſibilium inchoatiuè tantùm, ſeu vt ait S. Thom. 1. part. quæſt. 15. art. 3. ad 2. & quæſt. 3. de Veritate art. 3. in corpore & ad 1. & 2. virtute practica eſt, id eſt, non actu, nec vltimatè: ideoque eam loco citato quæſtionis 14. appellat ſpeculatiuam ſecundùm quid, & aliquo modo; quòd ita ſit de re, & opere ſingulari, & factibili, vt tamen actu nihil efficiat, nec actu tendat in vllum opus.

Deturne in Deo ſcientia aliqua Media, à ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & viſionis diſtincta, & illis prior.

CAPVT XXIV.

1. TAMETSI apud antiquos omnes Theologos nulla alia ſcientiæ diuinæ partitio reperiatur, quàm in eã, quæ *ſimplicis intelligentiæ*, & alteram, quæ *viſionis* dicitur, plerique tamen Recentiores Theologi tertiam quandam conſtituunt, quam *ſcientiam mediam, conditionatam*, vel *futurorum conditionatorum* appellãt, eamque valdè probant, & acriter defendunt Molina, qui ejus primus author dicitur, in 1. partem D. Thom. diſp. 17. Franciſcus Suarez lib. de Scientia conditionata, Didacus Ruiz ſparſim in ſuis Tomis, & ex profeſſo Tomo de Scientia Dei, viginti diſputationibus, videlicet, à 61. ad 81. Iacobus Granado in 1. part. S. Thom. toto tractatu 3. Gabriël Vaſquez in 1. part. diſp. 67. cap. 2. Becanus de Deo, cap. 10. quæſt. 5. Ludouicus Mæratius tractatu de Deo, diſp. 28. Alarçon tractatu 2. de Scientia Dei diſp. 4. Ioannes de Lugo de Incarnat. diſp. 7. ſect. 2. Petrus à Sancto Ioſeph in defenſione S. Thom. diſp. 1. ſect. 8. & in ſua Concordia diſp. 4. ſect. 1. Ludouicus à Dola de Concurſu Dei diſp. 1. cap. 3. & plurimi

Qui aſſerunt ſcientiã cõditionatam.

rimi

Digitized by Google

rimi alij recentiores Scholaſtici Theologi.

2. CVMQVE ijdem futura conditionata bipartito diuidant, in ea videlicet, quæ à parte rei aliquando ponenda ſunt, eorum conditione poſitâ, proindéque ſunt abſolutè futura, & ea, quorum nec conditio, nec ipſa vnquam in rerum naturâ ponenda ſunt (Duo alia membra addi poſſent, videlicet, eorum, quæ conditione, ſub qua dicuntur futura, poſitâ, non tamen ſunt ponenda, vel contra, quæ actu erunt, etiam non poſitâ conditione) nonnulli ſcientiam illam conditionatam Dei ad vtrumque genus futurorum conditionatorum extendunt, vt Ruiz diſp. 61. ſect. 1. num. 3. Alij eam reſtringunt ad ſola futura conditionata ſecundi generis. Quos non ſatis conſequenter loqui, rectè obſeruat Ruiz ſupra num. 3. Cùm enim ſcientiam illam conditionatam in Deo ſtatuant, vt diuinæ præſcientiæ, ac etiam prædeſtinationis, & reprobationis certitudinem, efficacis gratiæ ſuauitatem, & cum noſtra libertate concordiam defendant; hæc ſi tantummodo ad futura conditionata ſecundi generis ſe extendat, non ad alia primi generis, quæ abſolutè futura ſunt, fruſtra omnino talis ſcientia ab jis induceretur, nullique planè ad id, quod volunt, & intendunt, vſui fuerit. *Diuiſio futurorum cõditionatorum.* *Nota.*

3. AC Franciſcus Suarez, etſi fateâtur lib. 2. de Scientia conditionata, in Præfatione, & cap. 3. num. 1. veteres Theologos de hac ſcientia nihil diſtinctè tractaſſe, eis tamẽ non incognitam fuiſſe nititur oſtendere, & nonnullos in particulari deſignat. Longè plures Didacus Ruiz tomo de Scientia Dei paſſim, & maximè totâ diſp. 67. in cujus fronte, poſitâ generali hâc propoſitione, *Omnes Scholaſticos generaliter, & aſſeruiſſe, & pro manifeſto ſuppoſuiſſe conditionalem in Deo ſcientiam*, nominat deinde Magiſtrum Sententiarum, Alenſem, S. Thomam, S. Bonauenturam, Albertum Magnum, Vincentium Bellouacenſem, Ægidium Romanum, Richardum, Durandum, Henric. Gandau. Scotum, Dionyſ. Carthuſ. Argentinam, Gregorium, Marſil. Major. Gabriëlem, Capreolum, alioſque antiquos, quorum teſtimonia, ac verba propria multis poſtea. Sectionibus refert. *Generalis propoſitio Didaci Ruiz.*

4. AT contra contendo ego horum neminem, neque

Digitized by Google

Refellitur. vllum alium ante Molinam de Dei ſcientia media, ne per ſomnium quidem vnquam cogitaſſe, nec eam vllibi, vel ſuppoſuiſſe, vel adhibuiſſe ad vllam, ſiue Scripturæ ſacræ, ſiue Theologiæ Scholaſticæ difficultatem expediendam. Et certè, cùm confeſſione omnium nulla in Antiquis reperiatur alia diuiſio ſcientiæ diuinæ, quàm viſionis, & ſimplicis intelligentiæ, & vtraque ſit abſoluta, vbinam gentium juniores conditionatam apud ſeniores inuenient?

Conditionata ſub abſoluta contineri non poteſt. DICERE enim veteres Theologos eam ſub harum altera comprehendiſſe, nihil habet probabilitatis, cùm conditionatam hâc vtrâque priorem eſſe velint ejus ſcientiæ patroni. Deinde cùm hâc ſcientiâ mediâ cognoſci à Deo velint, quædam futura conditionata reuerà futura, vt omnes actus noſtræ libertatis, ad quam tuendam prædictam ſcientiam neceſſariam eſſe contendunt, certè ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quæ ſolùm eſt eorum, quæ nec ſunt, nec fuerunt, nec erunt vnquam, nullo modo pertinere poteſt. Nec ſimiliter ad ſcientiam viſionis, ad quam eam reducunt Suarez lib. 2. de Scientia futurorum conditionatorum cap. 3. num. 5. & Ruiz ſupra ſect. 3. & diſp. 76. ſect. 2. quia hæc ſcientia eorum tantùm eſt, quæ ſunt, fuerunt, & erunt: ſcientiæ autem conditionatæ ſubjiciunt plurima, quæ nec ſunt, nec fuerunt, aut erunt vnquam.

5. ATQVE vt, quæ refert Ruiz ex prædictis Theol. teſtimonia omnia in octo ſectiones, & plures diſtributa, hîc iterum referre, & ſigillatim oſtendere, ea de ſcientia abſoluta viſionis, aut ſimplicis intelligentiæ, accipienda eſſe, nihilque ſcientiam mediam juuare, Lectori nimis tædioſum foret, nec ejus, noſtroque labori, ac tempori ſuus ſatis conſtaret fructus. Ita ne quis thraſonicè, vel calumnioſè à me dictum exiſtimet, Didacum Ruiz tot, tantiſque Doctoribus impoſuiſſe, duorum aut trium ſolùm teſtimonia ex plurimis, quæ habet, referam, ex quibus de reliquis facilis conjectura fiet.

Expenduntur loca Mag. Sent. AC primò refert Magiſtrum Sententiarum ita loquentem 2. Sent. diſt. 23. ſub initium, *Mouentur aliqui dicentes, cur creauit Deus, quos futuros malos præſciebat? quia prauidit quid boni de malis eorum eſſet facturus.* Et poſt pauca. *Fruſtra dicitur*

Digitized by Google

non debebat Deus creare, quos præſciebat malos futuros, ſciebat enim bonis profuturos, &c. At quis vel Theol. vel Philoſ. ex his verbis inferat Magiſtrum Sentent. exiſtimaſſe, aut ſuppoſuiſſe in Deo eſſe ſcientiam conditionatam? An non verba *præſcire,* & *prauidere,* & *ſcire bonis profuturos* manifeſtè ſcientiam viſionis indicant, quâ verè Deus ſciuit, præuidit, ac præſciuit, qui mali eſſent futuri. Vel, vt alijs placet, de ſcientia abſoluta ſimplicis intelligentiæ, quam cauſam rerum eſſe volunt, accipiēda ſunt: Quid igitur hîc opus eſt ſciētiâ cōditionata. Alia, quæ habet ex eodem authore ejuſdem generis ſunt.

6. Ex S. autem Bonauent. in 1. d. 1. a. 2. q. 2. ad 4. refert ea quæ ſequuntur. *Quia Deus ab æterno præſciuit lapſum generis humani, ideo fecit, quia ſe reparaturum cognouit, & ideo principaliùs in intentione fuit reparatio lapſi, quàm conditio ejus ad lapſum poſsibilis.* Vbi hîc vel vmbra tenuis ſcientiæ conditionatæ? An non Deus ſcientiâ abſolutâ lapſum humani generis, & ejus reparationem ſcientiâ abſolutâ viſionis, aut ſimplicis intelligentiæ præſciuit? *Bonauentura.*

IDEM ex eodem item d. 41. a. 1. q. 2. ad 6. *Prædeſtinatio poteſt eſſe propter prauiſionem bonorum, vt aliquo modo ſunt à libero arbitrio.* Et d. 40. a. 2. quæſt. 1. *Prædeſtinatio præter rationem cauſæ, importat rationem præſcientiæ: & præſcientia quidem totum includit in cognitione, quia liberum arbitrium, & ejus cooperationem, & vertibilitatem, & totum.* Et in corpore ait: *Prædeſtinatio in quantum dicit rationem cauſæ, non neceſſariò ponit effectum.*

VERUM cùm Bonauent. ſolùm dicat prædeſtinationem non ponere effectum neceſſariò, & quòd aſpectus præſcientiæ diuinæ cognouerit ſimul, quid cogitare, & velle poſſimus, & ſimul in quod voluntas noſtra inclinatur; hæc autem Deus ſcientiâ viſionis, vel ſimplicis intelligentiæ cognouerit, quorſum ad hæc ſcientia conditionata euocanda?

7. PRIMVS verò locus, quem refert ex S. Thom. deſumptus eſt ex 2. 2. q. 163. a. 1. ad 2. Vbi hæc habet, *Sicut Deus ſciebat, quòd homo per tentationem in peccatum eſſet dejiciendus: ita etiam ſciebat, quòd per liberum arbitrium reſiſtere poterat tentatori.* Quibus verbis hæc ſubjicit Ruiz. *Manifeſtum eſt agere de præſcientia peccati, quæ præceſſit ante decretum permittendi peccatum, & conſequenter agit de præſcientia peccati condi-* *Loca ſancti Thomæ.*

Digitized by Google

tionaliter futuri. At vnde manifeſtum? Ne ipſum quidem præſcientiæ, aut præſcire verbum habet S. Doctor; ſed bis tantùm verbum *ſciebat.* Deinde nullus ibi notatur ordo inter ſcientiam futuræ tentationis, & ſcientiam poteſtatis reſiſtendi tentatori per liberum arbitrium. Quomodo ergo vnam dicit alterâ priorem? Nulla præterea ibi eſt comparatio ſcientiæ diuinæ cum vllo decreto diuinæ voluntatis, imò nulla mentio decreti: Vnde ergo manifeſtum Sanctum Thomam velle ibi præſcientiam peccati præceſſiſſe decretum permittendi peccatum? Detur adhuc præſcientiam peccati dici præcedere decretum permittendi peccatum: vnde habet illam eſſe conditionatam, & non abſolutam? Præſertim cùm ſcientia, aut præſcientia peccati, vt tantùm poſſibilis, & præciſi tam à futuritione, quàm à non futuritione, ſufficiat ad dirigendum Deum in decreto permiſſionis peccati.

Nihil facit pro ſcientia media.

8. Secvndvs locus ſumptus eſt ex 1. part. quæſt. 23. art. 3. vbi S. Thom. referens opinionẽ dicentiũ, quòd *Merita ſequentia prædeſtinationis effectum, ſunt ratio prædeſtinationis, vt intelligatur, quòd ideo Deus dat gratiam alicui, & præordinauit ſe ei daturum, quia præſciuit eum bene vſurum gratiâ.* Quibus verbis hæc ſubjicit Ruiz. *Hæc præſcientia non potuit ab his authoribus intelligi niſi conditionata, quoniam cauſam, ſiue rationem proponebat præordinationi dandi gratiam, & conſequenter præſcientia erat prior præordinatione dandi gratiam, ac proinde prior erat bono vſu gratiæ tanquam abſolutè futuro.*

Secundus locus S. Th.

Sed quantum Ruiz hallucinetur ex eo conſtat, quod S. Thom. initio corporis articuli præmoneat, ſe in eo nullo modo agere de internis diuinæ prædeſtinationis, præordinationis, & præſcientiæ actibus, ſed ſolùm de ipſis effectibus prædeſtinationis externæ ad inuicem comparatis, vt pluribus ſuo loco demonſtrabimus. Vnde nullo modo comparat ibi internam Dei præordinationem dandæ gratiæ, cum interna ejus præſcientia boni vſus illius gratiæ: ſed bonum vſum cum ipſa gratia, quæ vtraque à parte rei exiſtunt, ad inuicem comparat. Dicitque bis, terue in illo eodem articulo, ipſum bonũ vſum gratiæ, reſpectu illius gratiæ, habere rationem cauſæ finalis; ſicut ipſa gratia, reſpectu ipſius boni vſus, habet rationem cauſæ efficientis. Præterea cum nominet ibi præſcien-

Nihil fauet ſcientiæ media.

Digitized by Google

tiam, quâ Deus cognoſcit aliquem bene vſurum gratiâ, quã reuera daturus eſt, præſcientia autẽ, ex rei veritate, Sanctoque Doctore, nulla ſit niſi futurorum, perſpicuum eſt eum, de præſcientia non conditionata, ſed abſoluta loqui.

9. Sed & alia S. Doctoris loca, quæ ad eundem ſcopum collegit Petrus à Sancto Ioſeph in ſua Concordia diſp. 4. ſect. 1. num. 3. nihilo meliora ſunt. Hæc enim, quæ refert D. Thomæ verba ſupra ad 3. *Dicendum quòd vſus gratiæ præſcitus non eſt ratio collationis gratiæ, niſi ſecundùm rationem cauſæ finalis*, quid habent commercij cum ſcientia conditionata? cùm, vt dictum eſt, nullo modo agat ibi S. Thom. de internis Dei actibus, ſed ſolùm de externis effectibus prædeſtinationis. Deinde non negat præſcientiam boni vſus gratiæ eſſe rationem decreti conferendi gratiam, ſed negat ipſum vſum gratiæ præſcitum eſſe rationem collationis gratiæ. Idque euidenter confirmat exceptio, quam apponit, *niſi ſecundùm rationem cauſæ finalis*. Nam certum eſt præſcientiam boni vſus gratiæ non eſſe cauſam, & rationem finalem decreti de gratia conferenda. *Ex alijs locis non melius colligitur.*

Postremò. Quomodo ex eo, quòd S. Thom. dixerit 1. Part. quæſt. 92. art. 2. *Deum prævidiſſe mulierem futuram viro occaſionem peccandi* & 3. part. quæſt. 1. art. 3. *Non fuiſſe conueniens Incarnationem fieri ſtatim poſt peccatum, ne homo ſuam non agnoſceret imbecillitatem*. Et art. 6. *Incarnationem non fuiſſe differendam vſque ad finem mundi, ne fides penitus aboleretur in cordibus hominum*. Quomodo, inquam, ex his dictis inferat, ſciẽtiam conditionatam in Deo à Sancto Doctore cognitam & ſuppoſitam eſſe, planè non video. Quæ enim hæc eſt conſequentia? S. Thomas affirmat Deum abſolutè decreuiſſe creare mulierem, & permittere, vt ſit viro occaſio peccati: Incarnationem nec ſtatim poſt peccatum efficere, nec in finem mundi differre, ne homo ignoraret ſe indigere Redemptore, aut ne ejus fides extingueretur. Ergo exiſtimauit Deum, hæc omnia conditionatè priùs vidiſſe, & cognouiſſe futura, quàm abſolutè futura videret, ac decerneret. Superfluum, & prorſus inutile fuerit, reliqua alia, quæ referunt Sancti Doctoris, vel aliorum Theologorum loca commemorare, cùm, quid de ijs judicandum ſit, ex ſupra allatis Lector æquus, & intelligens

Digitized by Google

poſſit facilè conijcere.

Obiectio. 10. At non noua, inquiunt, ſed vetus, & communis inter Scholaſticos hypothetica quæſtio eſt, *Veniſſet ne Deus, ſi non peccaſſet. Adamus*, quam cum S. Thom. 3. part. quæſt. 1. art. 3. ex profeſſo tractant veteres omnes Scholaſtici poſt, & ante illum. Omnino! Hæc autem quæſtio nulla eſſet, ſi conditionatam in Deo ſcientiam, & voluntatem non agnouiſſent, quâ Deus ſtatuerit hâc, vel illâ conditione poſitâ, aut ſublatâ, id futurum, vel non futurum. Negatur hæc Minor.

Reſponſio. Longè enim aliud eſt, in Deo eſſe ſcientiam conditionatam, & aliud nos de Deo, deque ejus cōſilijs, aut decretis hypotheticas formare quæſtiones, & reſponſiones dare conditionales. Hoc enim nos plerumque facimus, qui ejuſmodi ſcientiæ, & cognitionis hypotheticæ capaces ſumus: at Deus illius eſt omnino incapax. Itaque propoſita à Theol. quæſtio, & diſputata, *Veniſſet ne Deus ſi non peccaſſet Adamus*, nullam in Deo, Deique decretis arguit, vel ſupponit ſcientiam conditionatam, ſed ſolùm in nobis. Et certè ſi quid concluderet hic paralogiſmus, probaret in ſaxo, in ſtipite, in equo, & in rebus omnibus ſcientiam eſſe conditionatam. Plurima enim de his hypotheticè quærimus, diſputamus, enunciamus, v. g. *Si ſaxum hoc relinquatur in via, ad illud offendent plurimi: Si ſtipes hîc maneat, comburetur: Si auena hic relinquatur, ab equo comedetur.* Ac ne putent Aduerſarij ſui hujus argumenti abſurditatem, quam prædicta exempla manifeſtè produnt, hâc reſponſione eludere, & declinare; quòd ſint de rebus, quæ omnis ſcientiæ, atque adeò conditionatæ prorſus incapaces ſunt, ſubijciam vnum de nobis. Si de Petro v. g. conditionatè quis ſic enunciarit, *Si recipiat hoc anno ſuorum prouentuum aureos mille, erogabit centum pauperibus*: Alius contra neget; rectène propterea conijciemus, fuiſſe in Petro vllum de eleemoſyna danda, vel neganda decretum, vel judicium conditionatum? Hoc enim fortè ne quidem in mentem venerit, & vt venerit non conditionatè, ſed abſolutè ſtatuerit, centum, aut plures erogare, vel nihil omnino dare.

Certissimvm igitur ſit antiquiorum Theologorum neminem ſtare à partibus ſcientiæ conditionatæ in Deo, eamque eſſe nouum, ac recens inuentum, à pleriſque Doctori-

Digitized by Google

bus modernis improbatum, & à nobis ſequentibus Capitibus refutandum.

Nullam in Deo eſſe ſcientiam mediam, & conditionatam.

CAPVT XXV.

1\. CONTRARIA ſententia, negans ſcientiam in Deo mediam, & antiquitate, & defenſorum numero ac auctoritate longè melior eſt, quæ antequam à nobis firmiſſimis argumentis comprobetur, duo præmittenda ſunt. Vnũ eſt diuinâ fide, & ratione naturali certiſſimum eſſe, Deo diſtinctiſſimè nota eſſe, non ſolùm quæ ſunt, fuerunt, & erunt; ſed etiam, vt loquitur S. Thomas 1. part. quæſt. 14. art. 9. *Quacunque ſunt in potentia vel ipſius Dei, vel creatura, ſiue in potentia actiua, ſiue in paſſiua, ſiue in potentia opinandi, vel imaginandi, vel quocunq; modo ſignificandi. Quacumq; igitur poſſunt per creaturam fieri, vel cogitari, vel dici, & quacumq; ipſe facere poteſt, ea cognoſcit Deus, etiamſi actu non ſint.* Pro qua veritate tomo de Scientia Dei diſp. 22. ſect. 2. SS. Patrum teſtimonia leges plurima apud Didacum Ruiz, *Deus nouit omnia.*

2\. ALTERVM eſt, cognitionem aliquam dici, ac denominari poſſe conditionatam dupliciter. Primò, *propriè, intrinſecè, & eſſentialiter*, & ex parte cognoſcentis, quæ formaliter eſt oratio, ſeu enunciatio illatiua Conſequentis ex Antecedente, per conjunctionem conditionalem *Si* copulata. Secundò, *impropriè, extrinſecè tantùm, & denominatiuè ab objecto*: Ita vt conditionalis dicatur, quia ejus objectum ſit noſtra conditionata aliqua propoſitio, aut ſyllogiſmus hypotheticus, aut res ipſa, prout tali propoſitione, aut ſyllogiſmo conditionato enunciatur: Quibus præmiſſis. *Dupliciter cõditionata dicitur cognitio. Propriè. Impropriè.*

3\. DICO primò, Scientiam Dei appellari poſſe conditionatam extrinſecè ex parte objecti, ac denominatione ſumptâ ex noſtris enunciationibus, ac ſyllogiſmis hypotheticis, vel à rebus ipſis, prout dictis enunciationibus, & ſyllogiſmis ſubiunt. Id credo nemo negarit. Deus enim præ- *Scientia aliqua Dei impropriè dicitur conditionata.*

dictas omnes noſtras enunciationes conditionales, quæ ſunt, fuerunt, & erunt, ſcientiâ viſionis, quæ verò poſſibiles ſunt, nec vnquam erunt, aut fuerunt ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ clariſſimè, & diſtinctiſſimè nouit: & ſimiliter earum objecta, & res, prout illis ſubſunt.

Nulla in Deo eſt ſcientia media.

4. Dico ſecundò, Nullam in Deo eſſe, vel eſſe poſſe ſcientiam mediam, ejus decreta abſoluta de rebus futuris, ratione antecedentem: nullam item cognitionem propriè conditionatam quâcunque conditione, ſiue neceſſariâ, ſiue contingenti, & liberâ, ſiue de præſenti, ſiue de præterito, aut futuro.

1 Argumentum.

Primò, quia impoſſibilem eſſe manifeſtè oſtenditur eo argumento, & diſcurſu, quo Sanctus Thom. vtitur 1. part. quæſt. 14. art. 13. vbi docet, duobus tantùm modis futurum contingens (ſiue abſolutum, ſiue conditionatum) conſiderari, & cognoſci poſſe: vel *in ſe, & ſecundùm quod eſt actu*, vel *in ſua cauſa*: Futura autem conditionata contingentia, quæ actu futura non ſunt, quæque vulgò ab Aduerſarijs ex ſacris Literis, ad ſuam ſcientiam mediam aſtruendam proferuntur, vt conuerſio Tyriorum, & Sidoniorum ad prædicationem Chriſti, Matth. cap. 11. aduentus Saülis, 1. Regum cap. 13. & ſimilia, neutro modo à Deo cognoſci poſſunt. Non primò *in ſeipſis*, quia actu nunquam fuerunt, aut futura ſunt, Neque ſecundò, cùm ne quidem futura contingentia abſoluta, & verè futura eo cognoſci poſſint à Deo, propter rationem, quam habet S. Thom. ibidem. *Quicunque enim*, inquit, *effectum contingentem cognoſcit tantùm in ſua cauſa, non habet de eo, niſi conjecturalem aliquam cognitionem, cùm cauſa contingens ex ſe, & ante ſuam determinationem actualem ſe habeat ad oppoſita.* Omnis autem conjecturalis cognitio à Deo remouenda eſt, quia dubia, incerta, eique falſum ſubeſſe poteſt; ac ſi eſt practica, Dei prouidentiam vanam, cæcam, & temerariam efficere, mundi gubernationem perturbare, rectumque rerum omnium ad ſuum finem ordinem peruertere poteſt. Quòd ſi Deus, ne quidem futura contingentia abſoluta, in ſua cauſa certò cognoſcere poteſt eſſe futura, vt probat Sanctus Thom. ibi, multò minùs nunquam futura contingentia conditionata, eſſe futura in ſuis cauſis, etiam in his,

Futura conditionata cognoſci nequeunt.

In ſe.

Nec in ſua cauſa.

Digitized by Google

his, vel illis conditionibus conſtitutis, certò ſcire, & cognoſcere poterit. Nam ejuſmodi conditionibus millies poſitis, & à quouis, etiam à Deo viſis & cognitis, & ipſâ etiam cauſâ in illis poſitâ, & clarè cognitâ, ſi eſt libera (& aliud nihil ſit) eam determinatè operaturam eſſe, ne Deus quidem ipſe certò ſcire, & judicare poteſt: cùm illis poſitis ex ſe potens ſit non agere, & ſæpe etiam fiat, vt actu non agat in ejuſmodi circumſtantijs, & conditionibus. Illud autem aliud, quod requiritur, vt Deus certò ſciat cauſam liberam in his, vel illis circumſtantijs operaturam, eſt ipſa actualis determinatio ejuſdem, & productio ſui actus, ſuæque operationis. Vnde Deus voluntatem noſtram ideo ſcit eſſe operaturam, quia videt actu illam operantem, & hoc facientem, quod aliorum reſpectu eſt futurum, & vt docet Sanctus Thomas ſupra, contingentia nobis futura Deus certò nouit, quia ſunt illi præſentia, & vt præſentia videt. Igitur futura conditionata à Deo vllâ ſcientiâ mediâ cognoſci prorſus impoſſibile eſt.

9. SECVNDÒ, Nulla cognitio, nullaque ſcientia in ſuo conceptu eſſentiali imperfectionem inuoluens Deo tribuenda eſt: talis autem eſt omnis cognitio conditionata: igitur Deo tribuenda non eſt. Major certiſſima eſt. Minor probatur, quia omnis ſcientia conditionata conceptuum, & terminorum multitudinem, compoſitionem, connexionem vnius cum alio, ſucceſſionem, & illationem Antecedentis & Conſequentis, aliaſque ejuſmodi imperfectiones Deo planè repugnantes intrinſecè, & eſſentialiter includit, vt manifeſtè patet inductione, ac etiam ex eo quòd particula conditionalis *(ſi)* ex ſua vi, & natura ſit conjunctio, eaque illatiua, & nota conjunctionis, & illationis mentalis: Igitur ſi propter prædictas imperfectiones ſcientia enunciatiua, & diſcurſiua à Deo remouenda eſt, etiam conditionata. *2. Argumentum.* *Scientia conditionata dicit imperfectionem.*

DICENT fortè, qui prædictam ſcientiam tuentur, nolle ſe propterea Deum vllam enunciationem formare, aut illationem inferre; ſed ſolùm id cognoſcere, quod nos noſtris enunciationibus, & illationibus conditionatis cognoſcimus. Sed contra: hoc non eſt ponere ſcientiam conditionatam in Deo, niſi impropriè, extrinſecè, & denominatiuè: quò fit, *Reſponſio.* *Refellitur.*

Digitized by Google

vt ſcientia Dei non magis dici debeat conditionata, quàm enunciatiua, diſcurſiua, & demonſtratiua. Nam res conditionatè cognoſcibiles non ſunt, niſi per ordinem ad noſtrum intellectum, & prout de illis poteſt formare propoſitiones conditionatas. Igitur ſicut Deus videndo noſtras enunciationes, noſtroſque diſcurſus veros, vel falſos abſolutos, & res omnes, prout eis ſubſunt, non propterea diſcurrit, nec dicitur habere ſcientiam diſcurſiuam: Ita licet noſtras omnes enunciationes, & ratiocinationes conditionatas, tam mentales, quàm vocales, & ſcriptas, & res omnes, prout illis objiciuntur, clariſſimè videat: non propterea rectè dicetur habere ſcientiam Conditionatam; ſed vt materialia immaterialiter, multa vnitè, ſeu vno ſimplici conceptu: Ita complexa incomplexè, & conditionata nouit abſolutè, ac ſine conditione, & ſine vllo *Si.*

3 Argumentum. 10. PROBATVR tertiò, Si cognitio conditionata eſt in Deo, vel vt vera, vel vt falſa: neutro modo in Deo eſſe poteſt. Non vt falſa, vt patet. Nec etiam vt vera: quia veritas cognitionis conditionatæ in ſola connexione, & ſequela Conſequentis ab Antecedente conſiſtit: ideoque vt notat S. Thomas 1. part. quæſt. 25. art. 3. ad 2. quamuis Antecedens, & Conſequens, vt abſolutè, & ſeorſim ſumpta falſa, & impoſſibilia fuerint; ſi tamen vnum ex alio in mente noſtra rectè, ac neceſſariò ſequatur, vera nihilominus erit propoſitio conditionata, vt ſi *equus volat*, *habet alas*: & contra: falſa erit propoſitio conditionalis, ſi Antecedens, & Conſequens tametſi abſolutè, & ſeorſim vera, nullam habeant connexionem neceſſariam, vt ſi *capra ſaltat, arbor floret.* Nulla autem Dei cognitio ejuſmodi veritate connexionis & conſequentiæ vera eſſe poteſt, cùm nulla Dei cognitio conſtet Antecedente, & Conſequente.

4. Argum. 11. QVARTÒ, Nihil cauſæ eſſe videtur, cur tertium in Deo genus ſcientiæ conſtituant potiùs pro futuris conditionatis, quàm pro præſentibus, aut præteritis conditionatis. De his enim æquè fiunt propoſitiones conditionatæ, ac de futuris. Vnde & ipſi exempla proferunt de præteritis, ad probandum de futuris, quale eſt illud Chriſti Math. 11. adeò celebre, & tam ſæpe ab ijs inculcatum. Si *in Tyro & Sidone*

Digitized by Google

facta eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in Capharnaum, olim in cilicio, & cinere pænitentiam egiſſent. Et 4. Regum 13. ſi Ioas Rex Iſraël terram jaculo quinquies, ſexies, aut ſepties percuſſiſſet, Syriã funditus deleuiſſet, & ſimilia. Nulla item ratio eſt, cur illa ſcientia ſit potius de futuris conditionatis liberis, quàm de neceſſarijs. Vtraque enim nobis futura ſunt; vtraque Deus certò, & æquè clarè videt, ſiue futura, ſiue poſſibilia tantùm; & nos de ijs omnibus formare poſſumus enunciationes conditionales. Cur denique illa ſcientia conditionata ſit potiùs ad futura conditionata, quæ nunquam erunt, vt volunt nonnulli prædictæ ſcientiæ defenſores, quàm ad ea, quæ erunt, aut fuerunt.

12. QVINTÒ. Non ſunt in Deo multiplicandæ ſcientiæ etiam ſecundùm rationem, ſine neceſſitate: hæc autem media non eſt neceſſaria; ſed otioſa, & planè ſuperflua. Etenim quæ per eam cognoſci dicuntur futura conditionata, ea cum ſua conditione in rerum natura, vel aliquando ponenda ſunt, vel nunquam ſunt ponenda. Si primum, omnino cognoſcuntur à Deo ſcientiâ abſolutâ, eâque viſionis. Sunt enim abſolutè futura. Si ſecundùm, cognoſcuntur etiam ſcientiâ abſolutâ, nempe ſimplicis intelligentiæ. Sunt enim omnino poſſibilia, poſſibilitate oppoſitâ, & impoſſibili, & actuali, & abſolutè non erunt. Nam cùm ſcientia diuina in ſe, & ex parte Dei ſit vna, & ſimplex; omnis ejus & multitudo, & diuiſio, ac diſtinctio peti ſolùm debet ex parte objecti, noſtrique intelligendi modi. Omne autem ſcientiæ objectum reducitur ad hæc duo membra contradictoriè oppoſita, ſcilicet, quæ ſunt, fuerunt, & erunt: & quæ nec ſunt, nec fuerunt, nec erunt. Igitur futura conditionata ad ſcientiam, vel ſimplicis intelligentiæ, vel viſionis, quam poſtea rerum omniũ cauſam eſſe, ijſque priorem demonſtrabimus, ſpectabunt: proindeque ſcientia media in Deo planè ſuperflua eſt. Deinde ponitur hæc in Deo ſcientia ad diuinæ prouidentiæ, & prædeſtinationis certitudinem, & efficacis gratiæ vim, & naturam cum hominis in agendo libertate conciliandam: Ad hoc autem ſufficit ſcientia viſionis, cum decreto abſoluto, & efficaci ita concurrendi cum voluntate noſtra, vt eam relinquat liberam; hoc eſt, ita agentem, vt poſſit non facere, quod facit; in quo præ- *5. Argum.*

Digitized by Google

ciſè conſiſtit libertas, moduſque agendi oppoſitus neceſſitati.

6. *Argum.* 13. SEXTÒ. Falſum eſt quod dicunt, ſcientiam illam mediam priorem eſſe ſcientiâ viſionis. Etenim quâ prioritate? Non *durationis*, cùm omnis ſcientia diuina ſit æterna. Neque *cauſalitatis*. Nullus enim Dei actus, ſiue intellectus, ſiue voluntatis ab alio pendet. Neque *rationis* & *conſequentiæ*. Non enim neceſſe eſt, id, quod à Deo cognoſcitur, prius ratione cognoſci conditionatè, quàm abſolutè. Deinde nō valet conſequentia, *Res eſt à Deo cognita abſolutè, vel vt abſolutè futura, Ergo ab eo priùs conditionatè cognita eſt.* vel contra. *Conditionatè cognita eſt, ergo eſt futura vel cognita, vt abſolutè futura.*

7. *Argum.* 14. SEPTIMÒ. Nos quidem multarum rerum, & maximè futurarum ignari, de his interdum hypothetica & judicia, & decreta formamus priùs, quàm abſoluta, & nemo tamen hactenus ita deſipuit, vt judicia, & decreta hypothetica ſimul cum abſolutis conciperet de eadem re. Quis enim lucentem cernens lunam dixerit; ſi luceret luna, eam aſpicerem: aut breuiarium tenens, ac legens dixerit; ſi haberem breuiarium, illud legerem? at Deus, cui nuda ſunt, & aperta omnia, ejuſque æternitati præſentia, habet abſoluta ab æterno & judicia, & decreta de rebus omnibus, quæ ab eo fieri poſſunt, ſtatuitque abſolutè ea fore, quæ ſunt, fuerunt, & erunt, ſiue libera, ſiue neceſſaria; & nunquam fore, quæ nec ſunt, nec fuerunt, nec erunt vnquam. Igitur de ijſdem ſimul ſcientiam, & voluntatem tribuere hypotheticam, & abſolutam, indignè eſt de eo ſentire. V. g. cùm ſtatuerit ab æterno Paulum per preces Stephani conuertere, quid opus eſt, eum priùs etiam ratione ab æterno hypotheticè judicaſſe, & voluiſſe, quòd ſi Stephanus oret pro Paulo, conuertetur? præſertim cùm neque nos quæcumque abſolutè volumus, priùs hypotheticè cogitemus, & decernamus: & qui hoc faceret, ſtultitiæ ab omnibus argueretur. His enim hypotheticis judicijs, & decretis vtimur ſolùm, cum res aliqua nobis eſt vel dubia, vel impoſſibilis.

8. *Argum.* 15. OCTAVO Ex futuris conditionatis, quæ in medium proferunt plurima, cùm nec ipſa, nec eorum conditio vnquam ponenda ſint, futura non ſunt: ideoque rectè Auguſt. lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 12. & 13. ea appellat

Digitized by Google

futura, non futura. Igitur à Deo vt futura cognoſci nequeunt. Anteced. probatur. Tum quia omne futurum reſpectu alicujus præſentis, aut præteriti futurum dicitur: futura autem conditionata, de quibus agitur, nullius præſentis, aut præteriti reſpectu futura dici poſſunt: Tum quia omne, quod verè eſt, & dicitur futurum, erit aliquando præſens, aut præteritum: futura autem conditionata, quæ aduerſarij ex Scripturis proferunt, nunquam erunt præſentia, aut præterita. Igitur non magis ſunt futura, quam erunt aliquando præſentia, aut præterita. Quare ſunt tantùm poſſibilia, vt poſſibile opponitur impoſſibili, & actuali. Rectè igitur ea appellat Auguſtinus non futura: & S. Proſper Epiſt. ad Auguſt. loquens de paruulis in ætate infantili mortuis, quibus dicebant Maſſilienſes, dari gloriam ex meritis, quæ habuiſſent, ſi diutius vixiſſent. *In tantùm,* inquit, *quibuſdam commentitijs meritis electionem Dei ſubijciunt, vt quia præterita non extant, futura, quæ non ſunt futura, confingant, nouoque apud illos abſurditatis genere, & non agenda præſcita ſint, & præſcita non acta ſint.*

16. Nono, Scientiâ illâ conditionatâ Deum cognoſcere dicunt, quid ſit futurum in his vel illis circumſtantijs: hoc autem tali ſcientiâ cognoſci impoſſibile eſt: Tum propter rationem primo argumento propoſitam: Tum quia conditionata ſcientia nihil ex ſe ponit, tollit; nihil affirmat, aut negat futurum; ſed ſolùm ſignificat connexionem, & conſequentiam in mente noſtra neceſſariam, aut probabilem inter futuritionem conditionis, & futuritionem rei ſub illa conditione. Ideo conditionatæ propoſitiones de futuro in materia impoſſibili, vt dictum eſt, non minùs ſunt veræ, quàm in materia poſſibili: Tum quia, cùm nihil ferè cogitari, & enuntiari poſſit abſolutè, quod non etiam hypotheticè, conditionata de rebus omnibus ſcientia, eaque prior abſolutâ, Deo tribuenda erit, quod eſt abſurdiſſimum. Tum quia Deus futurum ſiue abſolutum, ſiue etiam conditionatũ certò cognoſcere nequit, niſi cognoſcat cauſas omnes à quibus futurum illud pendere poteſt, omneſque ejus habitudines ad illas cauſas: Has autem omnes illâ non nouit ſcientiâ, cùm decretum ſuæ voluntatis, ſine quo nullus effectus eſſe poteſt eâ, nullum norit. Nã ſi quod eſt ab eo illâ ſcientiâ notum, vel eſt abſolutum, vel

9. Argum.

Scientia cõditionata nihil cognoſci poteſt.

Digitized by Google

conditionatum. Non abſolutum: quia tale decretum abſolutum etiam ab Aduerſarijs dicitur eſſe poſterius illâ, cùmque hæc ſcientia eſt, vel à nobis concipitur, decretum abſolutũ nondum à Deo eſt conſtitutum. Neque conditionatum: Tum quia nullum tale in Deo eſſe poteſt, vt oſtendimus ſupra Cap. 21. & plerique etiam de Aduerſarijs fatentur: Tum quia illud deberet eſſe prius ejuſmodi ſcientiâ conditionatâ ex principijs Aduerſariorum, quia eſſet ejus objectum. Igitur impoſſibile eſt Deum cognoſcere futura ſub conditione, antequam ſuo decreto aliquo abſoluto ſtatuat eſſe futura.

Reſponſio Suaru. 17. Dicere autem cum Suare lib. 2. de Scientia futurorum contingentium, cap. 8. num. 3. 6. & ſequentibus ſuum de illo effectu decretum abſolutum Deum noſſe, vt futurum, vel abſolutè, vel conditionatè, eſt in actibus diuinis, qui æterni ſunt, *Reijcitur.* ſucceſſionem ponere, ſaltem noſtro concipiendi modo, quod æternitatis conceptum eſſentialem planè deſtruit. Deinde pari jure ponet quis inter actus intellectus, aut voluntatis diuinæ ordinem præſentis, aut futuri ad præteritum, vel præteriti ad futurum. Præterea quemadmodum decretum Dei in ſe vnum, aut ſimplex nullam, niſi noſtro intelligendi modo, multitudinem, nullumque in illa multitudine ordinem recipit, niſi extrinſecum, vt à nobis concipitur, per reſpectum ad diuerſas creaturas: Ita futurum, aut præteritum dici, ac denominari non poteſt, niſi extrinſecè, & per reſpectum ad terminum futurum, aut præteritum: At ſcientiâ illâ conditionatâ præciſè nullum volunt in rerum naturâ concipi, & poni terminum: ergo nec vllum futurum, præteritum, aut præſens ſuum decretum per eam Deus concipere poteſt.

Ratio Suaris. 18. Adde quòd rationes, quibus Suarez nititur, leuiſſimæ ſunt. Prima, quòd decretum aliquod in Deo eſſe potuerit, quod non fuit, v. g. ſi voluiſſet Mundum hunc non creare, vel alium creare: Igitur decretum vnum eſt, vel ſaltem concipi poteſt, vt futurum reſpectu alterius. Conceſſo enim Antecedente, negatur Conſequentia. *Diſſoluitur.* Nam ne quidem in rebus creatis valet, Hæc res, vt Sol v. g. ſine Luna eſſe, & concipi poteſt: Ergo Luna eſt futura reſpectu Solis. Æquè enim inferre poſſet, Solem eſſe futurum re-

Digitized by Google

ſpectu Lunæ. Præterea ſi valeret, omne Dei decretum reſpectu alterius eſſet, vel concipi poſſet vt futurum, cùm vnum ſine alio eſſe, & concipi poſſit.

19. Secvnda item ratio, quam habet num. 8. nihil melior eſt. *Prius*, inquit, *ratione, quàm Deus habeat ſcientiam conditionatam de creaturis, habet ſcientiam ſimpliciter neceſſariam, quæ eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ de omnibus, quæ poſſunt creaturæ conuenire.* Antecedens enim falſum eſt, niſi intelligatur de ſcientia, quam præciſionis nominauimus, cùm ſcientia ſimplicis intelligentiæ, vt condiſtincta à ſcientia viſionis, ſit etiam libera, vtpote conjuncta cum libera nolitione creaturarum, quæ nunquam erunt, aut fuerunt. *2. Ratio. rejicitur.*

Mitto quòd, dato Antecedente, Conſequentia nulla eſt. Quæ enim hæc Conſequentia? *Animal prius ratione eſt, & concipitur, quàm homo: ergo homo eſt futurus reſpectu animalis*; vel *eſſentia rei concipitur, ſine ſuis proprietatibus: ergo proprietates reſpectu eſſentiæ ſunt futuræ?* Committitur enim æquiuocatio, & tranſitus ab vno Ordinis, & Prioris genere ad aliud; cùm prius, & poſterius, quod dicunt præteritum, & futurum, ſpectent ad ordinem temporis, & durationis. Prioritas verò animalis ad ordinem naturæ ſecundùm rationem, modumque noſtrum intelligendi.

20. Decimo, Minùs probandus videtur aliorum loquendi modus, dicentium Deum ſcientiâ mediâ cognoſcere, quid factura eſſet noſtra voluntas, in his, vel illis circumſtantijs, ſi ſe ſola agere poſſet. Tum quia Deum ejuſmodi hypotheſes impoſſibiles facere, aut ad dirigenda ſua decreta, temperandumque ſuum cum cauſa libera concurſum, ne ejus libertatem lædat, eis vti, quid abſurdius dici poteſt? Nos quidem eas facimus, quando ex abſurdo, & impoſſibili nobis notiori, quod conſequitur ex Antecedente, aliud abſurdnm nobis vel omnino ignotum, vel ſaltem minùs cognitum inferimus: Deo autem omnia æquè nota ſunt, nec vnum ex alio infert, nulliuſque rei poſſibilitatem ex alterius impoſſibilitate dijudicare poteſt. Tum quia quid factura eſſet voluntas, ſi ſe ſola ageret, idem eſt ac dicere, ſi voluntas noſtra Deus eſſet, quid factura eſſet. Huic enim ſoli independenter ab omni alio agere conuenit. Quid facturus autem *Hypotheſis impoſſibilis nihil juuat ſcientiam mediam.*

Digitized by Google

eſſet Deus in talibus circumſtantijs, quærere, prorſus ineptum, & à ratione alienum eſt. Nam ex impoſſibili non niſi impoſſibile accidit, ex Philoſopho lib. 1. de Cœlo text. 119.

TVM denique, quia admiſsâ hâc hypotheſi impoſſibili, & tam circumſtantijs illis, quàm ipsâ voluntate, ejuſque vi actiuá à Deo prorſus independentibus, quid factura ſit, vel non factura, Deus, non ſcientiâ mediá, ſed abſolutá, eo, quo nunc, cùm ab eo pendet, modo, cognoſcet. Voluntas enim ſe ſolâ actiua, & in illis circumſtantijs poſita, vel factura eſt aliquid, ſuumque conſenſum elicitura, vel nihil factura eſt, nullumque actum editura. Si primum, hoc Deus ſcientiâ viſionis, quæ eſt rerum omnium præſentium, præteritarum, & futurarum, cognoſcet. Si ſecundum, ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ. Mitto quòd Deo, ejuſque ſcientiæ æternæ nihil eſt futurum, ſed omnia ſunt præſentia, tum objectiuè, tum etiam realiter, vt probatum eſt ſupra Cap. 18. & 19.

Expenditur, & refellitur doctrina Ludouici Molinæ de Scientia Media.

CAPVT XXVI.

1. VT quæ hactenus contra ſcientiam mediam diximus, firmiùs conſtent, ſimulque magis appareat, quid & nouitatis, & falſitatis hæc ſcientia habeat, erit operæ pretium, quædam hîc referre, & examinare, quæ primus ejus author & inuentor Ludouicus Molina de ea tradit, citatâ diſp. 13. vbi ita loquitur:

Molinæ doctrina. *Triplicem ſcientiam oportet diſtinguamus in Deo, niſi periculosè in concilianda libertate arbitrij noſtri, & contingentia rerum cum diuina præſcientia hallucinari velimus. Vnam merè naturalem, quæ proinde nullâ ratione potuit eſſe aliter in Deo, per quam omnia ea cognouit, ad quæ diuina potentia, ſiue immediatè, ſiue interuentu cauſarum ſecundarum ſe ſe extendit, tum quoad naturas ſingulorum, & complectiones eorum neceſſarias, tum etiam quoad contingentes: non quidem, quòd futuræ eſſent, vel non eſſent determinatè,*

Digitized by Google

minatè, ſed quòd indifferenter eſſe, & non eſſe poſſent; quod eis neceſſariò competit, atque adeo ſub ſcientiam Dei naturalem etiam cadit. Aliam merè liberam, quâ Deus poſt liberum actum ſuæ voluntatis abſque hypotheſi, & conditione aliqua, cognouit abſolutè, & determinatè ex complexionibus omnibus contingentibus, quanam re ipſa eſſent futura, quæ non item. Tertiam denique mediam ſcientiam, quâ ex altiſsima, & inſcrutabili comprehenſione cujuſque liberi arbitrij in ſua eſſentia intuitus eſt, quid pro ſua innata libertate, ſi in hoc, vel illo, vel etiam infinitis rerum ordinibus collocaretur, acturum eſſet, cùm tamen poſſet, ſi vellet, facere reipſa oppoſitum.

2. IN qua Molinæ doctrina multa occurrunt improbanda. Ac primùm, id periculi in concilianda, ſine ejus diſtinctione, noſtra libertate cum præſcientia diuina, quo minùs cautos, minùſque intelligentes terrere ſe putat, non ego ſolus non video, ſed nec vlli ante eum Doctores Scholaſtici, aut SS. Patres animaduerterunt. Quaſi verò Dei cum cauſis, ſiue liberis, ſiue neceſſarijs agendi modus ex noſtra mente, noſtriſque cogitandi, fingendi, & diſtinguendi modis pendeat. Nam ſi voluntas creata in eo ſtatu, in quo ſcientiâ mediâ videri dicitur, ideo eſt libera, quia in eo, ſi vellet, reipſa poſſet facere oppoſitum ejus, quod pro innata ſua libertate factura dicitur: cùm in eo etiam ſtatu, in quo per ſcientiam viſionis videtur, pro ſua eadem libertate, poſſit etiam, ſi velit, non facere quod facit; vel oppoſitum facere, quidni ſine addita, vel cogitata vlla ſcientia media, aut alia conditione poſita, verè & perfectè fuerit libera? *Sine ſcientia media ſaluatur libertas.*

3. ADDE quòd in ſcientia ſecundo loco poſita, quam vocat *liberam*, duas inuoluat, ſimulque confundat Dei ſcientias, cùm ait, ***Deum illâ cognoſcere ex complexionibus contingentibus, quæ re ipſa ſunt futura***, quod pertinet ad ſcientiam viſionis, & ***quæ non erunt***, quod eſt proprium ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ. Non probatur etiam quod ait, per ſecundam illam ſcientiam Deum cognoſcere res abſolutè tantùm, & abſque vlla hypotheſi, & conditione. Quaſi verò, quæ abſolutè futura ſunt, non ſint etiam ex hypotheſi, & conditione aliqua futura, & quæ item ſunt non futura, defectu, & abſentia alicujus cauſæ, & conditionis, non ſint non futura. *Confundit duas ſcientias ſimul.*

Digitized by Google

4. Iam verò in ſua ſcientia media definienda multa peccat. *Primò*, cùm in ejus definitione meminit, *altißima, & inſcrutabilis comprehenſionis diuinæ, & intuitus Dei in ſua eſſentia*, vt alibi ſæpe, *acuminis, præſtantiæ, eminentiæ, & ſummæ perfectionis intellectus diuini.* Perinde ac ſi in verbis illis lateat aliquid ſingulare, & excellens, quod non ſit in alijs Dei ſcientijs, quas antè definiuit. An non idem eſt acumen intellectus, eadem mentis præſtantia, & eadem altitudo, & eminentia comprehenſionis in qualibet alia Dei ſcientia? Imò quodammodo major rei comprehenſio videtur eſſe in ſcientia viſionis, aut ſimplicis intelligentiæ, quòd illâ res cognoſcatur à Deo, non ſolùm ſecundùm ſuam eſſentiam, ſed ſecundùm ſuum eſſe reale actuale, & cum habitudine ad decretum Dei: hâc autem cognoſcatur ſub non eſſe actuale: neutrum verò cognoſcit per illam ſcientiam mediam.

Improbatur ejus locutio.

5. Secundò, Æquiuoce vtitur verbo, *Intuitus*, vt & alibi verbis, *videre, præuidere, cernere, contemplari.* Licet enim extra hanc diſputationem ejuſmodi verba accipiantur pro eodem, ac *ſcire, noſſe, cognoſcere, intelligere*: In hac tamen materia à Theologis ſcientiam viſionis, & intuitiuam à ſcientia ſimplicis intelligentiæ diſtinguentibus, doctrinæ, & perſpicuitatis cauſâ ſumuntur ſtrictius, ſolique ſcientiæ viſionis per accommodationem tribuuntur.

6. Tertiò, Cùm innata libertas liberi arbitrij creati, ſicut & quælibet alia res creata in quocunque rerum ordine collocetur, à Deo, Deique ſcientia, & voluntate, & in eſſendo, & in agendo pendeat eſſentialiter; impoſſibile eſt eã cõprehendi, aut ſcire, quid actura ſit in his, vel illis circumſtantijs, niſi etiam cognoſcatur habitudo, quam & ipſa, & id quod actura dicitur, habet ad ſcientiam, & voluntatem diuinam. Igitur in illa comprehenſione, & ſcientia media comprehendi debet, non ſolùm innata libertas arbitrij, ſed maximè ſcientia, & volitio Dei circa ejus actionem. Etenim ſcientiâ illâ mediâ, voluntatem, ſi in ijs, aut illis occaſionibus conſtituatur, Deus videt aliquid determinatè facturam ſine ſuo concurſu, aut cum eo. Non primum: quia falſum, & impoſſibile. Nullum enim ens creatum ab vllo vnquam factum eſt, aut fiet, aut etiam poſſibile eſt fieri ſine Dei

Per ſcientiâ mediam non cognoſcitur quid ſit actura voluntas.

Digitized by Google

cooperatione, & concurſu. Si ſecundum: cùm hic Dei concurſus ſit ab aliqua Dei ſcientia, & voluntatis decreto, admittenda erit alia Dei ſcientia prior, aliudue decretum prius ſcientiâ mediâ. At quænam erit illa ſcientia? Non præciſionis. Hâc enim cognoſcuntur res tantùm ſecundùm eſſe poſſibile, non ſecundùm futurum, præſens, aut præteritum. Neque erit ſimplicis intelligentiæ, cùm ſit tantùm eorum, quæ nec ſunt, nec fuerunt, nec erunt: ex futuris autem conditionatis plurima, vel ſint, vel fuerint, vel actu futura ſunt. Nec denique viſionis erit. Hanc enim volunt ſuâ ſcientiâ mediâ poſteriorem eſſe. Idem dicendum de decreto voluntatis diuinæ, quod illam ſcientiam mediam debet antecedere. Neque erit conditionatum, quia in Deo nullum eſt ex aduerſariorum ſententia. Neque abſolutum, quia poſterius eſt ſcientiâ mediâ. Igitur impoſſibile eſt Deum ſcientiâ mediâ cognoſcere, quid voluntas, vel abſolutè, vel conditionatè factura ſit.

7. QVARTÒ, Illa conditio, illud *(Si)* illeque *ordo*, ex infinitis, in quibus innata, & creata libertas collocata aliquid actura eſſet, vel eſt actu ponendus in rerum naturâ, vel non eſt, vel eſt tantùm poſſibilis poſſibilitate præciſionis. Si primum, ejus cognitio ad ſcientiam viſionis: ſi ſecundum, ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ: ſi tertium, ad ſcientiam naturalem & præciſionis ſpectat. Nam & ipſe Author paulò poſt fatetur, ſuam illam ſcientiam mediam habere conditionem partim ſcientiæ naturalis, & neceſſariæ, quatenus *prauenit actum liberum voluntatis diuina*: meliùs dixiſſet, quatenus, *praſcindit ab eo*; partim liberæ, quatenus eſt vnius partis potiùs, quàm alterius. Igitur ſuperflua eſt omnis alia ſcientia, ſiue media, ſiue extrema, ſiue conditionata, ſiue abſoluta. *Conditio pertinet ad aliam ſcientiam.*

8. QVINTÒ, videat ipſe ne in concilianda liberi arbitrij noſtri libertate cum diuina præſcientia hallucinetur, cùm ait, *non prouenire ex praſcientia Dei, quòd liberum arbitrium in vnam potiùs partem, quàm in alteram ſe flectat, ſed ex eo quòd noſtra voluntas liberè id velit facere: & Deum ideo praſcire quid futurum ſit, quia res libero arbitrio pradita idipſum liberè factura eſt.* Si enim illud, *ideo*, & illud *quia*, ſunt tantùm conſequentiæ, & illationis, omnino vera ſunt. Rectè enim ſequitur,

quòd ſi hoc futurum eſt, Deus illud ſcit, & præſcit: At ſunt falſa, ſi ſint *ideo* & *quia* rei. Scientia enim, & volitio Dei à nullo ſuo objecto pendent: ſed contra, ab vtraque res omnes & liberæ, & neceſſariæ pendent eſſentialiter. Et illâ ipsâ voluntatis noſtræ libertate quantumuis innatâ, eoque ipſo, quod in his, vel illis circumſtantijs eſt factura, vel non factura, à Deo ſcientiâ viſionis, ſi eſt factura, vel ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ, ſi non eſt factura, priùs & æternitate, & cauſalitate cognitum eſt, quàm ſit hoc factura, vel non factura, quamque voluntáti vlla ſit innata libertas. Hæc enim omnia ſunt in æterna Dei ſcientia, voluntate, & omnipotentia, tanquam in ſua cauſa: omnis autem cauſa ſuo effectu prior eſt. Itaque non rectè ab eodem Authore dictum videtur in ſolutione ad 2. Deum ex acumine, & ſumma perfectione ſui intellectus certò ſcire, quid ſit futurum, *dependenter tamen* ab eo, quod ita per arbitrium ipſum futurum eſſet. Illa enim dependentia imperfectionem ponit in ſcientia diuina.

Quomodo verum ſit, ideo Deum præſcire, quia volun tas factura eſt.

9. Sextò, cùm omnis ſcientiæ diuinæ diuiſio, & diſtinctio nihil aliud ſit, quàm diuerſi noſtri conceptus inadæquati, quibus eam à parte rei vnam, ſimplicem, & infinitam concipimus diuerſimodè, per ordinem ad creaturas à nobis variè item conſideratas. (Cùm enim eam ad res poſſibiles, ſeu vt indifferentes ad eſſe, & non eſſe, & ab vtroque præciſas determinatam concipimus, ſcientiam *naturalem, neceſſariam*, vel *præciſionis*: cùm ad eaſdem vt actu ſunt, fuerunt, vel erunt, ſcientiam *viſionis*; vt verò actu, nec fuerunt, nec vnquam erunt, ſcientiam *ſimplicis intelligentiæ* appellamus, & vtramque ſub nomine ſcientiæ liberæ comprehendimus.) Ex hoc noſtro finito, imperfecto, & inadæquato infinitam Dei ſcientiam concipiendi modo, qui nihil à parte rei vel ponit, vel tollit (cùm abſtrahentium, & præſcindentium non ſit mendacium) definire modum, quo Deus à parte rei cognoſcit, vult, agit, intelligit, & operatur; & exiſtimare talem eſſe à parte rei diuinæ præſcientiæ, voluntatis, & concurſus cum noſtra libertate concordiam, & ſuauitatem, qualem nos concipimus, non ſatis Theologicum videtur; eſtque de Deo, Deique ſcientia, & præſtanti agendi modo parum dignè ſen-

Scientia diuina diſtinctio a nobis pendet.

Digitized by Google

tire, & loqui. Quaſi verò vt nos animal ſine homine, & bruto; aut numerum ſine paritate, aut imparitate; & vniuerſim eſſentiam ſine proprietatibus concipimus: ita Deus à parte rei illa cōcipiat, aut velit, vel faciat animal, quod nec ſit homo, nec brutum; aut numerum ſine paritate, vel imparitate. Aut quia nos res, vel vniuerſaliter, abſtractè, & inadæquatè; vel cōponendo, aut diuidendo; vel per diſcurſum, & illationem cōcipimus: Ita Deus in ſe concipiat, ita velit, & decernat. Licet enim omnes iſtos noſtros conceptus ſimplices, & compoſitos, vniuerſales, & particulares, abſolutos, & conditionatos, affirmatiuos, & negatiuos norit perfectiſſimè: res tamen à nobis ſic cognitas illo modo, & ordine apud ſe cogitare, velle, ac decernere à diuinæ mentis perfectione alieniſſimū eſt.

10. SEPTIMÒ, Valde nouum & perabſurdum videtur, quod ait Molina diſp. 18. membro 1. inter futurum & non futurum abſolutè dari medium, nempe futurum conditonatū. Etenim pari jure dixerit, inter hominem & non hominem dari medium ſcilicet, hominem doctum, vel hominem mortuum; inter album & non album, medium eſſe album lacteū, vel non album durum. Igitur ſicut homo doctus ſub altero contradictionis extremo, ſcilicet, homine, & homo mortuus ſub non homine, & album lacteum ſub albo, non album durum ſub non albo ſimpliciter continetur, nec eſt quid mediū inter vtrumque: ita futurum hypotheticum nullo modo eſt quid medium, inter futurum & non futurum; ſed ſub horum altero continetur. Cùm enim ex futuris conditionatis quædam verè, & abſolutè ſint futura, vt omnes actus liberi, ad quorum libertatem tuendam, ſcientiam mediam dicunt eſſe neceſſariam: alia abſolutè non futura, vt conuerſio Tyriorum, & Sidoniorum, & ſimilia, quæ afferunt; ſicut primi generis conditionata ad futurum abſolutum, vnum ex extremis oppoſitionis contradictoriæ; ſic ad non futurum abſolutè, alterum oppoſitionis extremum, ſecundi generis futura conditionata pertinent. Verè enim futura non ſunt. Quare inter futurum & non futurum dari futurum conditionatum tanquam quid medium, à communi Philoſophorum, & Theologorū ſenſu valde abhorret.

Inter futurum & non futurū abſolutè, non mediat futurum conditionatum.

NAM quod futurum conditionatum dicitur, vel ipſum,

Digitized by Google

ſimulque ejus conditio ſunt aliquando abſolutè futura; vel neutrum eſt abſolutè futurũ; vel conditio quidem eſt futura, ipſum verò contingens non eſt futurum; aut contra: ipſum eſt futurum, conditio verò non futura. Cùm enim nullam habeant connexionem neceſſariam, quodlibet ex his diuiſionis membris contingere poteſt. Quodcunque ex his dicatur inter futurum, vel non futurum nullum planè medium excogitari poteſt; atque adeo nec inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiam viſionis vlla media. Primum enim allatæ diuiſionis membrum totum ad ſcientiam viſionis; ſecundum, totum ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; tertium & quartum ad vtramque, ſed ex parte pertinent. Quâ enim conditio, vel effectus eſt futurus, ad ſcientiam viſionis; quâ non ſunt futuri, ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ pertinent. Igitur nullus eſt vel ſcientiæ mediæ, vel futuro conditionato locus medius; ideoque futurum conditionatum, quod nunquam eſt ponendum, rectè & eleganter Auguſt. lib. de prædeſt. Sanctorum cap. 12. & 13. vocat *futurum non futurum*. Eſt enim ſolùm nomine tenus, noſtroque tantùm communi res conditionatè concipiendi, & loquendi modo futurum. Quia potuit eſſe futurum, & eſſent cauſæ aliquæ ad ejus productionem, & futuritionem diſpoſitæ: non ſecus ac præterita conditionata, quæ nunquã fuerunt, dicuntur præterita, quòd videlicet & eſſe, & præterita eſſe potuerint, eſſentque cauſæ aliquæ ad ea efficienda valde præparatæ.

11. AT inquit Ruiz de Scientia Dei diſp. 76. ſect. 3. num. 3. conditionaliter futurum actualitatis plus habet, quã merè poſſibile, & minus, quàm abſolutè futurum: Et præterea infinita merè poſſibilia nec conditionaliter, nec abſolutè futura ſunt, igitur futurum conditionatum eſt quid medium. *Obiectio.*

VTRVMQVE Antecedens eſt falſum. Primum quidem, eò quòd propoſitio conditionata per ſe nihil dicit, vel actualitatis, vel poſſibilitatis ſuorum extremorum, & ſiue ſit de præſenti, ſiue de futuro, ſiue de præterito, non dicit aliquid eſſe, fuiſſe, aut fore, neque non eſſe, non fuiſſe, nec non fore: ſed ſolùm indicat connexionem, & conſequentiam inter Antecedens & Conſequens, ſiue quodlibet horum per *Reſponſio.*

ſe, & abſolutè ſit, fuerit, aut erit; ſiue non ſit, nec fuerit, nec erit. Vnde etiam de impoſſibilibus propoſitiones conditionatæ de tempore futuro ſunt veræ, v. g. ſi equus habuerit alas, volabit; ſi tria ſunt quatuor, proportio octo ad tria erit dupla: Igitur actualitatis, vel poſſibilitatis nihil, proindeque de vna magis, quàm de altera nihil dicunt futura conditionata. Ad ſummum, cùm aliquid dicitur conditionatè futurum, quod reuera futurum non eſt, hoc loquendi modo innuitur major quædam in re, & cauſa aliqua diſpoſitio, & inclinatio ad futuritionem rei, quàm ad contrariam partem, vt pleniùs explicabitur ſequenti Capite.

SECVNDVM item eſt falſum. Vel enim vnum proferat merè poſſibile, quod non ſit, aut poſſit eſſe, vel abſolutè, vel conditionatè futurum: præſertim certâ aliquâ conditione poſitâ, vt ſi Deus velit, aut ſciat eſſe futurum.

12. OCTAVÒ non probatur, quòd ſuam illam ſcientiam mediam Molina duabus alijs, viſionis ſcilicet, & ſimplicis intelligentiæ faciat priorem. Nam vt dicebamus Capite præcedenti, quâ prioritate? non temporis, aut ſucceſſionis, cùm quidquid in Deo eſt, ſit æternum: neque naturæ, & cauſalitatis. Cujus enim eſt cauſa? an vtriuſque? an vnius tantum? & cujus?

8. Argum.

Male appellatur ſciẽtia media.

DEINDE, ſi eſt cauſa alicujus, vel ex parte Dei, vel tantùm ratione objecti: non ex parte Dei. Nihil enim in eo eſt cauſatum, & ab alio pendens: & præterea ſi datur hæc ſcientia, realiter eadem eſt cum alijs duabus. Neque item ex parte objecti. Objectum enim conditionatum non eſt cauſa abſoluti, cùm ſit vnum & idem realiter. Imo ipſæ res, ſiue liberæ, ſiue neceſſariæ, vt ſint vel non ſint, ab illa ſcientia conditionata nullo modo pendent. De liberis negabunt forte aduerſarij. Sed contra, cur liberæ potius ab ea, quàm neceſſariæ pendeant? Deinde ſi de neceſſarijs Deus ſcientiam habet conditionatam, cùm ad illarum productionem nihil conferat, fruſtra in Deo erit. Quid enim proderit? Denique cùm ſcientia illa conditionata dicatur media inter vtramque abſolutam, quomodo illis ratione prior erit? præſertim cùm ſit veluti media per compoſitionem vtriuſque extremæ, eò quòd, vt volunt, de vtriuſque conditione participet.

Digitized by Google

Præmittuntur nonnulla monita, ad Scripturæ de futuris conditionatis intelligentiam, & argumentorum, quæ ex ea ducuntur, ſolutionem neceſſaria.

CAPVT XXVII.

Diuina Scientia & Reuelatio quib⁹ differant.

1. PRIMVM eſt. Inter ſcientiam diuinam, & reuelationem à Deo factam magnum, imò infinitum eſſe diſcrimen. Illa enim res eſt increata, Deo interna, imò Deus ipſe; hæc res creata, Deo extrinſeca: illa eſt ſimplex, hæc compoſita, ſiue fiat ſolâ interiori mentis cogitatione, ſiue etiam voce, aut ſcriptura, alioue ſigno exteriori, vel etiam factis, ac rebus: Illa ad res ſcitas, & cognitas nullam habet habitudinem præteriti, aut futuri, ſed præſentis ſolùm; hæc verò finita eſt, in tempore facta, & ad rem reuelatam habitudinem habens, vel præteriti ad futurum, vt reuelatio de aduentu Antichriſti; vel præſentis ad præteritum, vt quæ facta eſt Moyſi de creatione mundi, de peccato Adami, & ſimilibus: vel præſentis ad præſens ſecundùm tempus, vt Chriſti, ad Chananæam, *O mulier, magna eſt fides tua:* Et Matth. 9. ad Scribas, Vt *quid cogitatis mala in cordibus veſtris*, & ſimiles. Quare non ſequitur, quòd ſi Deus loquatur nobis hypotheticè, cogitet hypotheticè. Sicut nec quòd cognoſcat enunciatiuè, aut diſcurſiuè, ex eo quòd Scriptura ſacra enunciationibus, & ſyllogiſmis tota ſit contexta, aut quod ignoret aliquid, v. g. mortem Abelis, ex eo quòd Cain interrogando, dixerit, *Vbi eſt Abel frater tuus?* Geneſ. 4.

Quid ſit enunciatio hypothetica.

2. SECVNDVM eſt. Enunciationem hypotheticam, quæ eſt oratio conſtans Antecedente, & Conſequente, coniunctione conditionali, *Si*, copulatis, illationem magis eſſe, quàm enunciationem. Ratio eſt, quia nihil propriè affirmat, aut negat, nec dicit aliquid à parte rei non eſſe, vel eſſe. Cùm enim dico, *Si Sol lucet, dies eſt: ſi Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus:* Solem lucere, diem eſſe, Chriſtum reſurre-

xiſſe

Digitized by Google

xiſſe, & nos reſurrecturos : tali oratione, nec affirmamus, nec negamus, ſed solùm ſignificamus connexionem aliquam, & illationem Conſequentis ex Antecedente. Vnde conjunctio, *Si*, Antecedentis, & Conſequentis ſenſum, vt loquuntur, ſuſpendit. Itaque ad tertiam mentis operationem proximè accedit. A qua tamē differt, quòd nihil propriè affirmet, vel neget, nihil abſolutè inferat eſſe, vel non eſſe à parte rei.

DEINDE non magis eſt enunciatio, quàm ſyllogiſmus hypotheticus eſt ſyllogiſmus: hic autem propriè ſyllogiſmus non eſt, vt notat Iulius Pacius ad cap. 24. lib. 1. Prior. particula 12. Tùm quia non eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis, aliud à poſitis neceſſe eſt ſequi, eò quòd hæc ſint. Nihil enim propriè probat eſſe, aut non eſſe: vnde æquè fieri poteſt in materia falſa, & impoſſibili; ac in vera, v. g. Si Angelus eſt homo, eſt ſentiens : ſi ſentiens, eſt mortalis: igitur ſi Angelus eſt homo, eſt mortalis. Tum quia in nulla eſt figura, nulloque modo figurarum, vt inductione conſtat: Tum quia ex pluribus ſæpe, quàm tribus terminis componitur, & vno interdum ſexies repetito, vt, ſi Petrus eſt homo, Petrus eſt animal : ſi Petrus eſt animal, Petrus eſt ſubſtantia: ergo ſi Petrus eſt homo, Petrus eſt ſubſtantia. Igitur propriè ſyllogiſmus non eſt. Quæ forſan cauſa eſt, cur Ariſtoteles ſua in Logica omnibus numeris abſolutiſſima, de propoſitionibus, aut ſyllogiſmis hypotheticis nihil præceperit. Eſt tamen ejuſmodi enuntiatio hypothetica, ſimplex quædam conſequentia, eaque interdum vera, & bona; interdum mala, & falſa. Bona eſt, quando Antecedentis cum Cōſequente connexio, & illatio eſt vel neceſſaria, vel probabilis; quod accidit, quando in Antecedente Conſequentis cauſa, vel effectus, vel ſignum, aut aliud attributum neceſſarium, aut probabile continetur. Exemplis declaratur. *Si ſol lucet, dies eſt* ; *ſi eſt fumus, eſt ignis* : *ſi mater, diligit filium* ; *ſi homo, eſt animal* : Antecedens in prima, cauſam; in ſecunda, effectum; in tertia, ſignum probabile; in quarta attributum Conſequentis continetur in attributo Antecedentis. Hinc eſt quòd ejuſmodi enunciationes in materia impoſſibili, & falſa fieri poſſint, vt notat Sanctus Thomas quæſt. de Potentia art. 6. ad 3. Si duo ſunt tria, binarius eſt numerus impar. Ter-

Hypotheticus non eſt verus ſyllogiſmus.

Enunciatio conditionalis quando vera

narius enim neceſſariam habet connexionem cum imparitate. Mala autem, & neganda propoſitio hypothetica, quando inter Antecedens, & Conſequens connexio, ac conſequutio nulla eſt, ſuntque res planè diſparatæ, vt ſi Petrus ludit, equus currit; vel eſt impoſſibilis, ſi Petrus ſedet, idem currit; vel rarò contingens, ſi fodit terram, inueniet theſaurum. Licet enim id aliquando eueniat, quia tamen rarum eſt, propterea talis conſequentia, habetur pro non bona, & vera, niſi quando à Deo reuelata fuerit.

Quando falſa & mala.

Illatio ſolùm eſt in mente noſtra.

3. TERTIVM eſt. Quòd ſicut in ſyllogiſmo illatio, & conſequentia conjunctionibus *ergo, igitur,* & ſimilibus ſignificata, à parte rei non eſt, ſed ſolùm in mente noſtra; ita illatio, & conſequentia propoſitionis conditionalis, per conjunctionem *ſi* ſignificata, ſolùm eſt in mente noſtra, non autem à parte rei, hocque totum opus, & negotium eſt noſtri intellectus. Ex quo ſequitur in eo intellectu, in quo nulla eſt compoſitio, nulla illatio, vt in diuino, nullam eſſe poſſe cognitionem, & ſcientiam hypotheticam. Vnde ſicut quæ enunciatiuè, aut illatiuè, & per diſcurſum nouimus, Deus intellectione ſimplici, & ſine vlla compoſitione perfectiſſimè nouit: ſic quæ nos conditionatè, ea Deus abſolutè nouit.

4. QVARTVM eſt. Quòd ſicut in communi loquendi conſuetudine nos ſine mendacio, & falſitate, aliud interdum ſignificamus, quàm verba ipſa præ ſe ferant, v. g. cùm ad exprimendam quorumdam petulantiam, & objurgandam intemperantiam dicimus, *ſi Turcæ eſſent, modeſtiùs & temperantiùs ſe gererent*, quod tamen hoc loquendi modo ſignificare nolumus; ſed ſolùm eos, quos objurgamus, eſſe admodum petulantes: vt ſimiliter nonnunquam dicimus aliquod futurum eſſe, quod reuera futurum ſignificare nolumus, vt commonentes aliquem periculi, quod eſt in via, ei dicimus, *ſi hanc viam tenueris, incides in latrones*; vel cùm medicus alicui dicit, *ſi hoc vſus fueris cibo, ægrotabis.* Id enim certò futurum aſſerere nolumus etiam conditione poſitâ, cùm qui ſic loquuntur, aliter euenire poſſe ſatis ſciant, nec euenturum certò credant, aut etiam credi velint: ſed ita loquuntur, vt id factu eſſe perfacilè innuant, & eum, cui loquuntur, admoneant periculi, deterreantque ab illo cibo, & itinere. Ita

Digitized by Google

Deus in Scripturis ſacris nonnunquam nobis loquitur. Cùm enim hominibus loquatur, humano more, & conſuetis inter homines loquendi modis, ac figuris loquatur neceſſe eſt: Alioqui à nobis intelligi non poſſet, vt ſcitè notauit Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 12. *Nullo*, inquit, *genere locutionis loquuntur Scripturæ, quod in conſuetudine humana non inueniatur, quia vtique hominibus loquuntur.* Idque multis exemplis declarat ibidem. Et apertiùs libro contra mendacium Capite 10. *Iacob*, inquit, *quod matre fecit authore, vt patrem fallere videretur, ſi diligenter, & fideliter attendatur, non eſt mendacium, ſed myſterium; quæ ſi mendacia dixerimus, omnes etiam parabolæ, ac figuræ ſignificandarum quarumcunque rerum, quæ non per proprietatem accipiendæ ſunt, ſed in ijs aliud ex alio eſt intelligendum, dicentur mendacia; quod abſit omnino. Nam qui hoc putat, tropicis etiam tam multis locutionibus poteſt hanc importare calumniam. Ita vt hæc ipſa, quæ appellatur metaphora, hoc eſt, de re propria ad rem non propriam verbi alicujus vſurpata tranſlatio, poſſit iſtâ ratione mendacium nuncupari.* Similiter Hieronymus in illud Ieremiæ 26. *Noli ſubtrahere verbum, ſi fortè audiant*, hæc habet, *Verbum ambiguum* forſitan *Majeſtati Domini non poteſt conuenire, ſed noſtro loquitur affectu, vt liberum hominis ſeruetur arbitrium.*

Auguſtinus.

Hieronymus.

QVANDONAM autem Scriptura propriè, & quando figuratè accipienda ſit, vnumque dicens aliud intelligi velit, tum ex rei, de qua agitur, natura, euentu, conditione, alijſque circumſtantijs: tum ex Sanctorum Patrum, ac Interpretum ſenſu communi, & expoſitione, necnon ex certis Theologiæ principijs, ac rationibus dijudicandum eſt.

5. QVINTVM eſt. Iuxta prædictam regulam, cùm aliquid in Scriptura ſacra abſolutè, vel hypotheticè dicitur eſſe futurum, quod reuera futurum non eſt, nec fuit vnquam, Deum aliud ſignificare velle, ac intendere, quàm illius rei futuritionem, proindeque id, quod futurum dicitur, nomine tenus eſſe futurum, ſeu, vt loquitur Auguſtinus, *eſſe futurum non futurum*, idemque, licet tantùm poſſibile ſit, futurum nominari, quòd aliquæ ejus cauſæ, ſiue naturales, ſiue morales, ad illud in rerum natura ponendum magis inclinent, ac propendeant, quàm ad contrarium; licet alijs ſuperuenien-

Digitized by Google

tibus cauſis talis effectus impediatur. Nam quemadmodum nos vrbem ab hoſtibus valde prementibus obſeſſam, non modò capiendam, ſed captam; & graui morbo laborantem non ſolùm moriturum, ſed mortuum communi ſermone ſine mendacio per ampliationem, vel diſtractionem, vt loquuntur Logici, dicimus, extremum diſcrimen in quo ſunt, illa deditionis, hic mortis, exprimere tantùm volentes. Periculum enim eſt malum propinquum, vel *appropinquatio rei metuendæ*, vt ait Philoſophus lib. 2. Rhet. cap. 5. Quod autem, vt idem monet lib. 2. Phyſic. text. 56. *Parum abeſt, tanquam præſens, & jam adeſſet intellectus accipit. Quod enim parum, tanquam nihil diſtare videtur.* Ita quod habitâ ratione cauſæ alicujus proximum eſt vt eueniat, id ſine mendacio tanquam futurum, vel etiam factum Deus pronuntiat: licet interdum non eueniat, eò quòd hanc illius cauſæ ad effectum illum valde inclinantis diſpoſitionem, vt prima rerum omnium cauſa, vel ſolus, vel per alias intermedias potentiores cauſas impediat, ne in actum exeat, efficiatque id, ad quod propendet. Hoc autem vt obiter dicam ex Auicenna libro de viribus cordis, differt Potentia à Diſpoſitione, quòd potentia planè indifferens ſit, & æquè reſpiciat vtrumque oppoſitionis extremum: Diſpoſitio verò magis vergat, & inclinet ad vnum oppoſitum, quàm ad alterum.

Quo ſenſu non futura dicantur interdum futura.

Quomodo Potētia differat à diſpoſitione.

6. Hic autem loquendi modus, quò Deus dicit, vel abſolutè, vel hypotheticè malum aliquod v. g. futurum, quod non euenit, vel ſolùm *comminatio* quædam eſt, vt metu talis mali ad ipſum conuertamur per pœnitentiam, quâ fit vt malum illud nobis non contingat: vt cum Ezechiæ per Iſaiam cap. 28. dixit, *Morieris tu, & non viues*, Et Niniuitis per Ionam cap. 3. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.* Cùm enim neutrum euenerit, ſignum eſt Deum aliud voluiſſe, imò vtrumque dixiſſe, eſſe futurum, ne eueniret. Vel eſt *admonitio periculi* ad illud euitandum, vt cùm Dauidi, 1. Reg. c. 23. ipſum conſulenti, venturuſne eſſet Saül, & an tradendus illi à Ceilitis, reſpondit, *veniet, & tradent*, quæ verba futura, non rem verè futuram, ſed mentis, & voluntatis in Saüle, & Ceilitis ad veniendum, & tradendum diſpoſitionem indicabant: ſignificabantque Dauidi, in magno

Interdū eſt ſolùm comminatio.

Interdum admonitio.

Digitized by Google

ſe verſari periculo, vt fugâ ſibi conſuleret, quod fecit: Vel eſt *objurgatio* quædam, vt illa Chriſti verba Matth. 11. & Luc. 10. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaïda, quia ſi in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egiſſent*: Vel denique aliquid aliud Deus intendit, quàm rei futuritionem. Quò fit, vt nullum ſit in verbo Dei mendacium, cùm dicit aliquid futurum, quod non euenit: nulla item in ejus ſcientia ignorantia, nullus error, cùm certò ſciat, id quod dicit eſſe futurum, nõ eſſe futurum. **Aut obiurgatio.**

7. ATQVE hæc eſt expreſſa, ac diſerta S. Thom. doctrina 1. parte quæſt. 19. art. 7. ad 2. *Voluntas Dei, cùm ſit cauſa prima, & vniuerſalis, non excludit cauſas medias, in quarum virtute eſt, vt aliqui effectus producantur. Sed quia omnes cauſæ mediæ non adæquant virtutem cauſæ primæ, multa ſunt in virtute, & ſcientia, & voluntate diuina, quæ non continentur ſub ordine cauſarum inferiorum, ſicut reſuſcitatio Lazari. Vnde aliquis reſpiciens ad cauſas inferiores dicere poterat,* Lazarus non reſurget, *reſpiciens verò ad cauſam primam diuinam, poterat dicere,* Lazarus reſurget. *Et vtrumque horum Deus vult, ſcilicet, quòd aliquid quandoque ſit futurum, ſecundùm cauſam inferiorem, quod tamen futurum non ſit, ſecundùm cauſam ſuperiorem, vel è conuerſo. Sic ergo dicendum eſt, quòd Deus aliquando pronuntiat aliquid futurum ſecundùm quod continetur in ordine cauſarum inferiorum, vt puta, ſecundùm diſpoſitionem naturæ, vel meritorum; quod tamen non fit, quia aliter eſt in cauſa ſuperiori diuina: ſicut cùm prædixit Ezechiæ,* Diſpone domui tuæ, quia morieris, & non viues, *vt habetur Iſaiæ* 38. *Neque tamen ita euenit, quia ab æterno aliter fuit in ſcientiâ, & voluntate diuinâ, quæ immutabilis eſt.* Et ſecunda ſecundæ quæſt. 171. art. 6. *Diuina præſcientia reſpicit futura ſecundùm duo, ſcilicet, ſecundùm quod ſunt in ſeipſis, in quantum ſcilicet, ipſa præſentialiter intuetur; & ſecundùm quod ſunt in ſuis cauſis, in quantum ſcilicet, videt ordinem cauſarum ad effectus. Et quamuis contingentia futura, prout ſunt in ſeipſis, ſint determinata ad vnũ, tamen prout ſunt in ſuis cauſis, non ſunt ita determinata, quin poſſint aliter euenire. Et quamuis iſta duplex cognitio ſemper in intellectu diuino conjungatur, non tamen conjungitur ſemper in reuelatione propheticâ: quia impreſſio agentis non ſemper adæquat ejus virtutem. Vnde quandoque reuelatio prophetica eſt impreſſa quædam* **D Thomas.**

Digitized by Google

ſimilitudo diuinæ præſcientiæ, prout reſpicit ipſa futura contingentia in ſeipſis, & talia ſic eueniunt ſicut prophetantur, ſecundùm illud Iſaiæ 7. Ecce Virgo concipiet &c. *Quandoque verò prophetica reuelatio eſt impreſſa ſimilitudo diuinæ præſcientiæ, prout ſcilicet, cognoſcit ordinem cauſarum ad effectus: & tunc quandoque aliter euenit, quàm prophetetur: Nec tamen prophetiæ ſubeſt falſum. Nam ſenſus prophetiæ eſt, quòd inferiorum cauſarum diſpoſitio, ſiue naturalium, ſiue humanorum actuum hoc habet, vt talis effectus eueniat. Et ſecundùm hoc intelligitur verbum Iſaiæ dicentis*, Morieris, & non viues, *id eſt, diſpoſitio corporis tui ad mortem ordinatur, & quod dicitur Ionæ* 3. Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur; *id eſt, hoc merita ejus exigunt, vt ſubuertatur.* Et ibidem quæſt. 174. art. 10. *futurum eſt in diuinâ cognitione dupliciter: vno modo prout eſt in ſuâ causâ, & ſic accipitur prophetia comminationis, quæ non ſemper impletur: id eſt, per eam prænuntiatur ordo cauſæ ad effectus, qui quandoque aliis ſuperuenientibus impeditur. Alio modo præcognoſcit Deus aliqua in ſeipſis, vel vt fienda ab ipſo, & horum eſt prophetia prædeſtinationis.*

Auguſtinus. 8. Est etiam doctrina S. Auguſt. lib. de Prædeſtinat. Sanctorum cap. 14. vbi illud Sapientiæ 4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus*, exponens, hæc habet. *Dictum eſt ſecundùm pericula vitæ hujus, non ſecundùm præſcientiam Dei, qui hoc præſciuit, quod futurum erat, non quod futurum non erat. Id eſt, quòd ei mortem immaturam fuerat largiturus, vt tentationum ſubtraheretur incerto; non quòd peccaturus eſſet, qui manſurus in tentatione non eſſet.* Ac paulò poſt, allatâ authoritate B. Cypriani, id à ſcriptura dictum eſſe ait, *vt celerioris mortis beneficium commendaret, & à peccatorum periculis eos eripi, qui hanc vitam finiunt, in qua peccari poteſt.*

Reſpōſio Aduerſariorum Nec eſt, quòd dicant Aduerſarij, Auguſtinum ibi refellere quoſdam Maſſilienſes, dicentes nonnullos à Deo præmio donari, propter bona opera, & alios pœnâ affici, propter mala, quæ præſciebat illos eſſe facturos, ſi vixiſſent diutiùs: eundemque Sanctum Doctorem negare tantùm præſcientiam Dei abſolutam, non autem conditionatam. Nam reuera quidem Maſſilienſes impugnat, ſed vt id efficaciter faciat, *impugnatur* diſertè & ſimpliciter negat, vllam eſſe præſcientiam circa ea, quæ nunquam ſunt futura, cùm omnis præſcientia tantùm

Digitized by Google

ſit rei futuræ. Præclarè enim Damaſcenus Dialogo aduerſus Manichæos: *Ejus, quod non omnino futurum ſit, præſcientia, non præſcientia, ſed impoſtura eſt.* Et poſtea. *Prænotio earum rerum eſt, quæ certò ſunt futuræ.* Præterea nullum eſſet Auguſtini argumentum, illudque Maſſilienſes diſtinctione Aduerſariorum facilè eluderent, dicentes, quæ fuiſſent paruulorum, & juſtorum citò vitâ functorum merita, aut demerita, ſi diutiùs vixiſſent, à Deo præſcita eſſe præſcientiâ conditionatâ. Denique non tantùm negat Auguſt. juſtum raptum eſſe ex hac vita, propter merita, vel demerita præſcita, aut conditionaliter futura, & conditionaliter præſcita: ſed affirmat raptum eſſe, propter pericula, & occaſiones peccandi, quæ hac in vita verè magnæ ſunt, & frequentes; quaſque Deus videt, & nouit ſcientiâ abſolutâ.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta ex Scriptura, pro ſcientia media, & conditionata.

CAPVT XXVIII.

1. PLVRIMA ex Scripturis Sacris Aduerſarij congerunt teſtimonia, ad prædictam in Deo Scientiam aſſerendam, & defendendam. Primò verba Chriſti Math. 11. & Luc 10. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egiſſent.* Secundò illud Eliſei ad Ioam Regem Iſraël, 4. Reg. cap. 13. *Si percuſſiſſes* (ſuple jaculo) *terrã quinquies, aut ſexies, aut ſepties percuſſiſſes Syriam vſque ad conſumptionem: nunc autem tribus vicibus percuties eam.* Tertiò id 1. Regum cap. 23. quod Deus reſpondit Dauidi ipſum conſulenti, an venienti Saüli Ceilani ipſum traderent: *Domine Deus Iſraël*, inquit Dauid, *indica ſeruo tuo, ſi tradent me viri Ceilæ, & viros qui ſunt mecum in manus Saül, & dixit Dominus, tradent.* Quartò illud Sap. 4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Et plurima alia ejuſmodi Scripturæ loca, quibus Deus futura conditionata, quæ non euenerunt præ-

Varia Scriptura loca.

Digitized by Google

1. Argumentum. dicit. Vnde ſic formant argumentum. Prædicta futura conditionata Deo certò & infallibiliter cognita ſunt: alioqui ea reuelare nō poſſet. Ea autē non nouit ſciētiâ abſolutâ viſionis, quia nec ſunt, nec fuerunt, nec erunt vnquā: Neque ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ, quia nō ſunt purè poſſibilia: Ergo aliâ ſcientiâ, nempe conditionata: igitur ea in Deo admittēda eſt.

Reſponſio 1. 2. Ad hoc reſpondebitur, primò in vniuerſum, & in communi, ad omnia, quæ ejus generis afferri poſſunt, Scripturæ loca. Deinde in particulari ad ſingula, quæ propoſita ſunt. Ergo Duplex eſt in communi reſponſio. Prima, aliam eſſe rationem ſcientiæ diuinæ, aliam reuelationis diuinæ, vt monuimus cap. præcedenti. Vnde ſicut ex eo, quòd in Scriptura contineantur multæ enunciationes abſolutæ, & multi diſcurſus, non propterea rectè infertur in Deo eſſe ſcientiam enunciatiuam, & diſcurſiuam: ita ex eo, quòd in eadem Scriptura habeantur propoſitiones, & reuelationes conditionatæ, non bene colligitur in Deo eſſe ſcientiam mediam, & conditionatam. Licet omnes noſtras & abſolutas, & hypotheticas enunciationes, quæque illis nobis ſignificantur, quiduè falſi, aut veri, aut probabilis habeant, perfectiſſimè norit.

Reſponſio 2. 3. Secunda Reſponſio generalis concedit, quod veriſſimum eſt, Deum certò, & infallibiliter noſſe omnia, quæ futura cōditionata dicuntur: At negat ea cognoſci vllâ ſcientiâ mediâ, & conditionatâ; ſed ſolùm abſolutâ vel viſionis, vel ſimplicis intelligentiæ: illâ quidem, ſi ſunt aliquando futura, hâc verò, ſi nunquam ſint futura. Cùmque inſtant, hæc non eſſe purè poſſibilia, ſed futura conditionata: reſpondendum, hæc futura conditionata ſolùm nomine tenus eſſe futura, & ſolo noſtro conditionatè concipiendi, & enunciandi modo differre ab abſolutè non futuris, & purè poſſibilibus. Cùmque à Deo dicuntur futura, Deum aliud, quàm eorum futuritionem ſignificare velle: vt pluribus explicatum eſt Capite præcedenti. Quòd autem ſint purè poſſibilia patet, quia nec ſunt, nec fuerunt, nec erunt vnquam, cùm tamen poſſint eſſe: at quid hoc eſt, quàm eſſe purè poſſibilia? Nam ex eo quòd quædam ſint cauſæ inclinantes, & diſpoſitæ ad ea in rerum natura producenda, hoc ea nō extrahit extra ſtatum puræ poſſibilitatis. Multa enim ſunt purè poſſibilia, quorum

Digitized by Google

quarum cauſæ actu exiſtunt, & ex purè poſſibilibus nullum eſt, quod conditionatè futurum dici non poſſit, ſi hæ vel illæ cauſæ, aut conditiones ponerentur.

4. NVNC vt ad ſingula in objectione propoſita veniamus. Ad primum, vt omittam eum eſſe de conditionatis non futuris, ſed præteritis, reſpondeo primò, Chriſtum iſto loquendi modo inter homines ſatis vſitato aliud nihil voluiſſe, quàm Iudæorum in credendo cordis duritiem, & in infidelitate obſtinationem increpare, per comparationem ad Tyrios, & Sidonios Ethnicos homines; dicendo eos ad fidem ſuſcipiendam, & pœnitentiam agendam longè meliùs eſſe diſpoſitos, quàm Iudæos, odio ſcilicet, in Chriſtum, vel inuidiâ, ingratitudine, alijſque animi vitijs à fide complectenda impeditos. Id enim ſatis erat ad ſcopum, & ad intentionem Chriſti. Quod apertè declarant verba illa Matthæi, *Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes ejus, quia non egiſſent pœnitentiam.* *Exponitur primus Scripturæ locus.*

RESPONDEO ſecundò, In Chriſto homine ſcientiâ ſuâ, ſiue infuſâ, ſiue acquiſitâ, & experimentali vtente, conditionalem ſcientiam potuiſſe eſſe, & in ejus mente Tyriorum in cilicio, & cinere pœnitentiam præteritam, aut futuram, cum ejus miraculis apud eos factis moralem, & probabilem habuiſſe connexionem; fuiſſeque ei valde probabile Tyrios, & Sidonios, ſi non omnes, ſaltem plurimos viſis ſuis miraculis ad fidem, & pœnitentiam conuerſum iri. At non propterea ſequitur, talem ſcientiam in Deo fuiſſe. *2. Expoſitio.*

RESPONDENT alij, Chriſtum Tyrum, & Sidonem oppoſuiſſe Corozaim, & Bethſaida, vicinas, & maximè notas ciuitates, illaſque gentiles, idololatras, auaritiæ, & lucris deditas, delitijs, omnique improbitatum, & voluptatum genere corruptiſſimas, ſuis nihilominus miraculis, ſi apud eas facta fuiſſent *olim*, id eſt, citò, & quamprimùm conuertendas, per exaggerationem dixiſſe, ad vehementiorem, increpationem, & exprobationem incredulitatis Iudæorum: perinde ac cùm amico, rem aliquam, aut officium nobis poſtulantibus deneganti, exprobrando dicimus; *ſi hoc ab alieniſſimo, & inimico petiſſem ſtatim conceſſiſſet*, proindeque Chriſtum nihil minus, quàm de Tyriorum, & Sidoniorum con- *3. Expoſitio.*

uerſione, & pœnitentia, præſertim ſcientiâ conditionatâ cognitis cogitaſſe, aut Iudæos admonere voluiſſe: tametſi de Tyrijs, & Sidonijs ad Chriſti miracula conuertendos aliquos eſſet probabiliſſimum. Sed & hîc admonendum, quòd, cùm Chriſtus ibidem Capharnaum per apoſtrophem alloquens, de Sodomis dicit, quòd *fortè vſque in hanc diem manſiſſent, ſi in eis facta eſſent virtutes, quæ ſunt facta Capharnaum*, aduerbium illud *fortè* nullam in Deo arguit dubitationem de Sodomitarum pœnitentia, & conuerſione ad Chriſti miracula, vel eorum diſpoſitione ad fidem, & ad pœnitentiam; ſed eorum inſinuat libertatem ad pœnitendum, vel non pœnitendum, quòdque in eorũ pleriſque ea non eſſent impedimenta, quæ Capharnaitas à fide complectenda auertebant.

4. Expoſitio. DICI etiam poteſt, locutum Chriſtum vſu communi hominum, præſertim Sapientum, & Senum, qui, vt notat Ariſtoteles lib. 2. Rhet. cap. 13. rerum humanarum malitiam, & inconſtantiam ſæpius experti, de ijs non admodum affirmatè & aſſeueranter loquuntur; ſed dicunt *fortè hoc erit, forſan non ita eſt, fortaſſe non ita factum*, vel quòd modeſtioris ingenij ſit dubitanter loqui, etiam cùm non dubitat.

Exponitur 2. locus. 5. AD ſecundum locum, qui etiam habet conditionem de præterito, dicendum eſt, verè quidem in Propheta fuiſſe ſcientiam, & veritatem conditionalem: non autem in Deo. Cùm enim Deus Eliſæo in genere reuelaſſet, quòd toties Ioas Syriam vaſtaret, quoties terram jaculo percuteret, ex hac reuelatione abſoluta integram perditionem Syriæ, ſi Ioas quinquies, ſexies, aut ſepties terram jaculo ferijſſet, Propheta conditionatè probabiliter, & rectè intulit; vel hoc loquendi modo ſignificare tantùm voluit, diſplicuiſſe ſibi, quòd Ioas à ferienda jaculo terra, tam citò deſijſſet. Nam ibi legitur, quòd propterea iratus in eum fuerit. Atque vt Prophetæ hæc conditionata à Deo immediatè reuelata fuerit, non propterea Deus vllam habuit cognitionem illatiuam, & conditionalem, cùm ſciret ſcientiâ viſionis trinam tantùm futuram, & terræ percuſſionem, & Syriæ vaſtationem; quintam autem, ſextam, & ſeptimam percuſſionem terræ, & integram Syriæ vaſtationem nunquam fore, ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ cognoſceret.

Digitized by Google

6. Ad tertium dicendum, Deum reſponſione datâ Dauidi, ſignificare noluiſſe, Saülem reuera venturum: Neque item, quòd Ceilitæ ipſum tráderent, aut haberent actu voluntatem ipſum tradendi Saüli; ſed ſolùm voluiſſe eum admonere periculi, in quo erat, & tali admonitione efficere, vt inde recederet, quod prudenter fecit. Itaque verba illa Dei reſpondentis, *Veniet*, *Tradent*, aliud nihil ſignificant, quàm conſideratis loci, temporis, & perſonarum, tam Saülis, quàm Ceilitarum animi diſpoſitionibus, eſſe factu facillimum, vt Saül veniret, eique traderetur à Ceilitis; ideoque cùm in magno eſſet vitæ periculo, ſaluti ſuæ quàm primùm fugâ conſulendum. *Exponitur 3. locus.*

Ad quartum reſpondeo, eo Scripturæ loco ſignificari, acceleratam juſto mortem, vitæque breuitatem magnum illi à Deo fuiſſe beneficium, & juſtos, non ſine juſtitiæ amittendæ periculo, in hoc mundo verſari, noſque hanc cognitionem, & enunciationem conditionalem, vt bonam, & moraliter certam poſſe formare, *futurum eſſe, vt juſtus aliquis, ſi diu viuat, non perſeueret in juſtitia*, propter probabilem, & moraliter certam connexionem deceptionis, & mutationis mentis de bono in malum cum diuturnitate vitæ, in tot, tantiſque mundi periculis, & frequentiſſimis peccandi occaſionibus: tantùmque abeſt, vt particula *(ne)* vllam arguat in Deo ſcientiam conditionatam mutationis, & deceptionis juſti conditionaliter futuræ, vt potius declaret, ejus raptum ex hac vita in juuentute in cauſa fuiſſe, cur actu futura non eſſet illa ejus mutatio mentis, & deceptio animæ; ideoque à Deo cognita tantùm ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ, & vt non futura. *4. Loci Expoſitio.*

7. At exclamant, ac vociferantur Aduerſarij: Nimis libera eſt hæc Scripturarum expoſitio; prophetiarum veritati, & certitudini non parum derogat; ipſa verba Chriſti eneruat, peruertit, & corrumpit: ſi ſemel admittatur, nihil in Scripturis fixum, & certum erit; eique obſtat generalis regula interpretandi Scripturas cum proprietate verborum, ſi fieri poteſt, aliaque ſimilia opponunt. Verùm declamatoria hæc, & ſine veritate, ac fundamento inſtantia, in feruore quidem diſputationis ſurdis auribus prætermitti, aut hoc vno diſſyl- *Obiectio Aduerſariorum*

Digitized by Google

Soluitur. ſolo verbo, Nego, ſiſti, ac penitus infringi poſſet: at ſedato animo litteris ac typis commendata, & à Suare lib. 2. de Scientia contingentium cap. 1. paſſim inculcata longiorem aliquam meretur reſponſionem. Negamus ergo verba futuri temporis, in prædictis, & ſimilibus Scripturæ locis, quibus dicuntur aliqua futura, ſiue abſolutè, ſiue conditionatè, quæ reuera non erunt, nec vnquam fuêre, in verbi, ac ſermonis proprietate poſſe accipi: dicimuſque allatæ à nobis Scripturarum expoſitionis reprehenſionem objurgatoriam nimis liberam, & parum veriſſimilem eſſe; cùm noſtra hæc expoſitio ſit S. Thomæ, vt conſtat ex Capite præcedenti, nec alia data à SS. PP. & Expoſitoribus Eccleſiaſticis, & à Doctoribus Scholaſticis, ante excogitatam ſcientiam mediam. Quaſi verò nullæ ſint in Scriptura hyperbolæ, nullæ metaphoræ, nullæ aliæ dicendi figuræ, & in proprietate ſermonis ſumendum ſit, quod ait Deus, Ierem. 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem ei.* Qui Chriſti verba, quibus Matthæi 9. cæcis à ſe ſanatis comminatus eſt, ne cui dicerent, quomodo, & à quo viſum recepiſſent, prout ſonant acceperit, is cæcos illos, cùm factum Chriſti poſtea diſſeminarunt, grauiter peccaſſe dixerit; cùm tamen reuera pietatis, & gratitudinis fuerit, acceptum à Chriſto beneficium prædicare, & ipſi facilè intellexerint, Chriſtum non niſi modeſtiæ, & documenti cauſâ, ne ex noſtris bonis operibus gloriam hominum quæreremus, ita loquutum eſſe.

Scriptura nō ſemper in proprietate ſermonis ſumi debet.

Literalis ſenſus Scripturæ duplex

8. Qvasi verò Scripturæ ſacræ verba eadem, eædemque phraſes, eodem vbique modo ſint accipiendæ. An non omnes Sancti Patres, Doctoreſque Scholaſtici, & ſacræ Scripturæ Interpretes, vno ore, communique conſenſu docent, Scripturæ ſacræ ſenſum literalem eſſe duplicem, vnũ *ſimplicem*, verbis, & phraſi in ſua propria ſignificatione acceptis. Alterũ *figuratum*, verbis impropriè, figuratè, & à propria ſignificatione ad aliam tranſlatis; vtrumque à Spiritu Sancto Scripturarum authore intentum? Imo verò omnis perit Scripturæ authoritas, ejuſque certitudo nulla erit, ſi vbique in ſermonis proprietate ſumatur. Scribit Lucas cap. 23. eos, qui Chriſtum ducebant ad mortem, Simoni Cyrenenſi impoſuiſſe

Simplex.

Et figuratus

Digitized by Google

Crucem portare poſt IESVM. Idem autem, cap. 9. refert Chriſtum dicentem, *qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.* Si hæc eodem ſenſu, & modo de cruce lignea, vt in priore loco accipiantur, vt accipiebant nonnulli Monachi apud Caſſianum, Collat. 8. cap. 3. *Qui hoc*, inquit, *habentes quidem Zelum Dei, ſed non ſecundùm ſcientiam, ſimpliciter intelligentes, fecerunt ſibi cruces ligneas, eaſque jugiter humeris circumferentes, non ædificationem, ſed riſum videntibus attulerunt.* Quis non videt, quàm abſurdè id dictum fuerit? Vide plura exempla apud Caſſianum loco citato. Vt igitur portare crucem, hoc poſteriore loco, alio ſenſu ſumitur, nempe pro cruce ſpiritali, & interna affectuum mortificatione, promptaque voluntate ad mortem, & omnem afflictionem pro Chriſti nomine, Deique gloria ſubeundam; cùm in primo, pro cruce materiali, & lignea ſumatur: ſic verba futuri temporis, quibus res in ſcriptura futura, vel ſimpliciter, vel conditionatè dicitur, non ſemper pro eo, quod verè eſt futurum, aut etiam eſſet conditione poſitâ, accipi debent; præſertim cùm conſtat, rem non euenîſſe eo tempore, quo futura dicebatur: ſed futura dicta eſt, quòd quædam ejus cauſæ proximæ eſſent valde diſpoſitæ, magiſque inclinatæ ad illius futuritionem, quàm ad oppoſitum: quod ſufficit ad id, quod Spiritus Sanctus intendebat.

Verba futuri tēporis non ſemper rem futuram ſignificant.

9. FATEMVR igitur omnia ſcripturæ verba in proprietate ſermonis accipienda eſſe, ſi fieri poſſit: negamus autem fieri poſſe, vt ſic accipiantur ea ſcripturæ verba, quibus dicuntur futura aliqua, quæ nec ſunt, nec fuerunt, aut erunt vnquam.

Ex his patet ſcientiam conditionatam non maximum, vt ait Suarez lib. 2. de Scientia futur. cont. cap. 1. ſed planè nullum in Scripturis habere fundamentum. Et certè mirabile planè eſt, Scripturam ejuſmodi propoſitionibus conditionatis refertam, vnde Aduerſarij ſuam eliciunt opinionem, neque ab Interpretibus ſecundùm eorum mentem vnquam fuiſſe explicatam, neque ab ijs hactenus ejuſmodi ſcientiam conditionatam vllibi inſinuatam fuiſſe.

Digitized by Google

Proponuntur, & ſoluuntur alia Argumenta, ab auctoritate SS. Patrum, pro eadem ſcientia conditionata.

CAPVT XXIX.

1. Argum ab authoritate SS. PP.

1. AB authoritate SS. Patrum pro ſcientia conditionata ſic argumentantur. SS. Patres quærentes, cur Deus Saülem elegerit, quem ſciebat à ſe receſſurum, & cur Angelos malos, vel etiam Adamum, aut Iudam, alioſque homines improbos, & peccatores crearit, quos ante quàm crearet, ſciebat peccaturos; reſpondent, id factum eſſe bonitate Dei, quæ ſuam præſcientiam vicit: ejuſmodi autem quæſtiones, & reſponſiones, ſcientiā conditionatam eorum, quæ futura ſunt, in Deo præſupponunt. Igitur ea de mente SS. Patrum admittenda eſt.

Reſponſio.

2. CONCESSA Majore (verè enim dicunt SS. Patres, Deum id feciſſe, quia bonitatis eſt, & clementiæ ineffabilis, quæ benefacit etiam ijs, qui de ſe malè promeriti ſunt; quia præuidit de malis factis malorum, quid boni eſſet facturus; & vt collatione malorum juſti fierent clariores; quia propter mala præuiſa, & futura, non tenetur à bonis, rebuſque creandis abſtinere, aliaſque ſimiles cauſas reddunt quæſtioni propoſitæ) Minor abſolutè neganda eſt. In illis enim omnibus eorum teſtimonijs, quæ plurima refert Didacus Ruiz de Scientia Dei diſp. 63. ſect. 1. 2. 3. Ne verbulum quidem inuenies ſcientiæ, aut præſcientiæ cōditionatæ; nec eā vllo modo ſupponunt, aut attingunt. Vocabulis quidem *præſcientia*, *præſcij*, *præſcientis*, *præſcire*, & ſimilibus vtuntur paſſim: ſed hæc ex eorū mente, & ex communi Theologorum ſenſu, non dicuntur niſi de Scientia Dei abſoluta, & reſpectu eorum, quæ reuera, & abſolutè futura ſunt, non autem quæ tantùm conditionatè. Falsò igitur & planè contra SS. Patrum mentem, Aduerſarij, vt Suarez lib. 2. de Scient. fut. cont. cap. 2. & Petrus à Sancto Ioſeph ſup. num. 2. ea interpretantur de ſua ſcientia

Digitized by Google

media; & præſcientia conditionata creandi Angelos, & homines, quam volunt præcedere ratione abſolutum decretum eos creandi,& permittendi lapſum in peccatum.

NEQVE ſatis mirari poſſum Suarem ibidem num. 2. dicentem, optimum pro ſcientia conditionata teſtimonium eſſe, reſponſionem D. Hieronymi, Dialogo 3. contra Pelagianos, vbi ad argumentum Marcionis dicentis, Quòd ſi Deus præſciuit hominem in Paradiſo poſitum ejus mandatum tranſgreſſurum, non peccauit, quia non potuit diuinæ ſcientiæ reſiſtere, reſpondet, *Deum præſciuiſſe, & hominem peccaſſe, quia ita præſciuit, vt eum in ſua libertate reliquerit.* Quæ reſponſio optima eſt, & veriſſima. At quod ibi veſtigium, vel tenuis vmbra ſcientiæ conditionatæ? An non abſoluta Dei ſcientia cum voluntate permittendi peccatũ conjuncta, quæ vera præſcientia eſt, hominem in ſua libertate reliquit? *Hieronym.*

3. AT, inquit Petrus à Sancto Ioſeph ſupra, SS. PP. loquuntur de Scientia directiua decreti diuini. Omnino. Hæc autem ſcientia eſt conditionata. Negatur. Eſt enim ſolùm ſcientia præciſionis, vel poſſibilium, quâ Deus nouit, quid vel ſolus, vel cũ hac, aut illa voluntate creata poſſit facere: quod ſufficit, vt hoc, vel illud eligat, & decernat, eamque ſuo decreto præſcientiam, ſeu viſionis ſcientiam, rerumque cauſam efficiat. Nam & nobis ad prudenter eligendum, & efficaciter agendum ſufficit, ſi quod eſt in noſtra poteſtate abſolutâ ſcientiâ cognoſcentes, illud ſimpliciter eligamus, & facere decernamus. Itaque cum in prædictis quæſtionibus, & reſponſionibus SS. Patrum, fiat tantùm comparatio externæ productionis rerum in tempore, cum æterna, & interna Dei ſcientia, & præſcientia abſoluta, quam habet de peccatis malorum, deque ordine rerum omnium, qui eſt, & à parte rei futurus eſt, nulla in eis ſupponitur, vel ſubintelligitur ſcientia media, aut præſcientia conditionata, quâ Deus cognoſcat futura ſub conditione, antequàm decreto aliquo ſtatuat ea eſſe futura.

4. SECVNDÒ, Permulta referunt, & objiciunt SS. Patrum teſtimonia, quibus affirmant, non ideo res futuras eſſe, quia Deus illas præſcit: ſed contra; idcirco illas præſcire, quia ſunt futuræ: hoc autem verum eſſe non poteſt, niſi intelligatur de Scientia Dei media, quâ Deus nouit, quid *2. Argum.*

Digitized by Google

voluntas in his, vel illis circumſtantijs ſit factura. Ejuſmodi autem teſtimonia multa refert Didacus Ruiz, tomo de Scientia Dei, diſp. 33. ſect. 4. Iuſtini ſcilicet, in libro Quæſtionum quæſt. 58. *Nec eſt prænotio*, inquit, *cauſa ejus, quod futurum erat; ſed quod futurum erat, cauſa eſt prænotionis. Non enim prænotionem ſequitur res futura, ſed rem futuram prænotio; Nec vllo pacto, qui prænoſcit, cauſa eſt rei futuræ. Itaque non Chriſtus cauſa eſt proditionis, ſed proditio cauſa eſt prænotionis Domini.* Eadem habet Origenes lib. 7. in cap. 8. ad Rom. *Non propterea erit aliquid, quia id ſcit Deus futurum, ſed quia futurum eſt, ſcitur à Deo.* Et poſt pauca. *Non quia Prophetæ dixerant, idcirco prodidit Iudas; ſed quia futurus eſſet proditor, ea, quæ ille ex nequitiæ ſuæ propoſito geſturus erat, prædixerunt Prophetæ.* Idem ſentit Hieronymus Dialogo 3. aduerſus Pelagianos. *Nec enim*, inquit, *ideo peccauit Adam, quia Deus hoc futurum nouerat, ſed præſciuit Deus quaſi Deus, quod ille erat propriâ voluntate facturus.* Et ad illa verba Ieremiæ 26. *Noli ſubtrahere verbum, ſi forte audiant.* Vt *liberum*, inquit, *homini ſeruet arbitrium, ne ex præſcientia ejus, quaſi ex neceſſitate facere aliquid, vel non facere cogatur. Non enim ex eo quòd ſcit futurum aliquid, idcirco futurum eſt; ſed quia futurum eſt, Dominus nouit quaſi præſcius futurorum.* Et Athanaſius Sermone de Paſſione, & Cruce Domini. *Illud*, inquit, *quod Ioannes dixit, euentum ſuum hodie ſortitum eſt, & omnia, quæ priùs ſcripta erant, adimpleta ſunt. Non enim eò quòd ſcripta erant, ideo euenerunt; ſed quia erant futura omnino, ideo certò prædicta ſunt.*

Iuſtinus. *Origenes.* *Hieronym.* *Athanaſius.*

Chryſoſt. CHRYSOSTOMVS homil. 60. in Matthæum. *Non quia futura ſcandala prædixit, idcirco veniunt; ſed quoniam omnino ventura erant, idcirco prædixit.* Similia refert idem author ex Cyrillo Alexandrino, ex Damaſceno, Leone Magno, alijſque Patribus, quæ apud ipſum legi poſſunt.

1. Reſponſio. 5. AD quæ omnia teſtimonia reſpondetur primò, Scientiæ mediæ patronos, in eis proferendis, & exponendis inter ſe non ſatis conuenire. Quidam enim ea de ſcientia media, alij de ſcientia viſionis, quam rebus ipſis poſteriorem eſſe exiſtimant, intelligi volunt.

2. Reſponſio. SECVNDÒ, in ijs SS. PP. teſtimonijs, ac locis, quibus

Digitized by Google

bus negant res eſſe futuras, quia Deus eas præſcit, vel affirmant Deum eas præſcire, quia futuræ ſunt, ipſum nomen cauſæ, aliaſque particulas cauſales *ideo*, *idcirco*, *quia*, & ſimiles, quas vſurpant, non adeo premendas, & rigidè ſumendas eſſe: cùm ne ipſi quidem Aduerſarij, qui ejuſmodi teſtimonia proferunt, eas auderent ita rigidè ſumere, & dicere, res futuras eſſe cauſas ſcientiæ diuinæ. Alioqui manifeſtè repugnarent, non ſolùm Auguſtino, & Gregorio, alijſque Patribus, quorum verba referemus infra Cap. 54. ſed etiam Scripturis ſacris, ipſique rationi naturali: cùm fide diuinâ certum ſit, Deum ſcientiâ ſuâ, & præſcientiâ verè eſſe cauſam rerum omnium. *Omnia* enim *per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Ioan. 1. & Act. 17. *Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo ſunt.* Ad Rom. 11. *Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Qui dicit *omnia*, nihil excipit. Igitur & ſubſtantiæ, & accidentia omnia præterita, præſentia, futura, omneſque actus primi, & ſecundi creaturarum, omnes earum operationes, tam liberæ, quàm neceſſariæ; tam naturales, quàm ſupernaturales, ſunt à Deo. Deus autem, vt etiam ratio naturalis demonſtrat, eſt agens per intellectum; ergo per ſcientiam, & præſcientiam, & etiam per voluntatem. Scientia enim Dei non agit, niſi determinata ab ejus voluntate, & vtraque ſimul eſt cauſa rerum. Itaque ſi voluntas Dei libertati noſtræ nihil officit, ſed contra potiùs eam ponit, conſeruat, perficit, datque nobis non ſolùm poſſe agere, & non agere; ſed etiam liberè agere, cùm operamur: multò minùs eidem noſtræ libertati præjudicabit ſcientia, & præſcientia diuina, quæcunque illa ſit, ſiue naturalis & neceſſaria, ſiue libera, ſiue viſionis, aut ſimplicis intelligentiæ.

Quomodo intelligendi SS PP.

Scientia ei eſt cauſa rerum.

Nec tamen præiudicat noſtræ libertati.

6. Deinde quis rectè, & philoſophicè dixerit, Deum creaturum eſſe Mundum, quia Mundus eſt creandus? aut creare, quia eſt creatus? vel etiam in rebus naturalibus ſolem v. g. illuminare aërem, quia dies eſt, & lumen in aëre? aut ignem calefacere aquam, quia calor eſt in aqua? An non potiùs dicendum eſſet, lumen in aëre eſſe, quia Sol illuminat, & vniuerſim effectum eſſe in rerum natura, quia eſt cauſa, à qua ſit? Cùm igitur Deus ſit cauſa per ſe rerum

Digitized by Google

omnium præſentium, præteritarum, & futurarum, liberarum, & neceſſariarum per ſuam ſcientiam cum voluntate conjunctam: an non potius dicendum illas tales eſſe, quia Deus ſcit, & vult tales eſſe, quàm è contra? Scit, inquam, & præſcit ſcientiâ, non mediâ, ſed viſionis, vt oſtendemus poſtea, & conuerſo ad Deum ſermone, cum Auguſtino Capite extremo ſuarum Confeſſionum, ſic loquendum. *Nos iſta quæ feciſti, videmus, quia ſunt: Tu autem, quia vides, ea ſunt.*

7. ITAQVE alij SS. Patres, & Scriptores Catholici, cùm negant propterea aliquid futurum, quia illud Deus ſcit, aut præſcit; aut affirmant Deum illud præſcire, quia eſt futurum, omnino intelligendi, & exponendi ſunt, cum S. Thoma 1. part. quæſt. 14. art. 8. ad 1. de cauſa *conſequentiæ, & illationis*, non autem de *cauſa rei*: Rectè nimirum ſequi eas, ſi futuræ ſunt, à Deo præſciri. Cùmque negant ſcientiam Dei eſſe cauſam rerum, hoc dicunt, inquit S. Thom. ibidem, *Attendentes ſolam rationem ſcientiæ, cui non competit ratio cauſalitatis, niſi adjunctâ voluntate*, vt declarat in corpore articuli.

1. Expoſitio.

PRÆTEREA loquuntur ſæpius de futuris peccatis, & malis actibus, quâ formaliter mali ſunt, quorum ſcilicet, vt ſic, Dei præſcientia, & voluntas nullo modo ſunt cauſa, vt manifeſtè patet exemplis, quæ ipſi ſubjiciunt. Nonnulli etiam, vt manifeſtè conſtat ex eorum verbis, non de præſcientia Dei, ſed de *prænuntiatione, & prædictione* rerum futurarum loquuntur: quæ prædictio futurorum euentuum nullo modo cauſa eſt, cùm futuri eſſent, licet à Chriſto, vel Prophetis, non eſſent prædicti, & reuelati. Interdum ijdem Patres populariter locuti declarare ſolùm volunt, Deum ſcientiâ, & præſcientiâ ſuâ nihil noſtram lædere libertatem, nec majorem ei vim, & neceſſitatem afferre, quàm ſcribenti afferat, qui eum cernit ſcribentem. Dici etiam poſſet, eos tantùm velle, non poſſe à nobis concipi præſcientiam, quam Deus habet de rebus futuris, niſi verè ſint futuræ, qui reſpectus ſcientiæ diuinæ ad futura, cùm rationis tantùm ſit, ipſaſque res futuras, vt ſcientiæ diuinæ terminum includat, nullum à parte rei dicit *quia*, nullam rationem cauſæ; ſed ſolùm effectus præſcientiæ diuinæ. Lectori autem facillimum erit,

Altera expoſitio. *3. Expoſitio.* *4. Expoſitio.* *5 Expoſitio.*

vnicuique ex recitatis SS. PP. teſtimonijs, vel quibuſlibet afferendis, quam volet ex his, & quæ cuique commoda erit, expoſitionem applicare. Denique incumbit Aduerſarijs probare, prædicta omnia SS. Patrum loca, & ſimilia intelligenda eſſe de ſcientia media, quod euincent nunquam, cùm reuera de ſcientia abſoluta, eaque viſionis intelligi debeant; vt oſtendemus poſtea.

8. QVEM autem locum ex Auguſt. lib. de Correptione, & Gratia, cap. 8. refert Alarçon de Scientia Dei, tractatu 2. diſput. 4. cap. 3. hunc vel non legiſſe, vel non intellexiſſe videtur, nec ſatis fideliter eum refert. Manifeſtè enim Auguſtinus loquitur de ijs, qui cùm bene cœpiſſent, malè finierunt, & in peccato mortui ſunt; atque adeo de rebus abſolutè futuris. Verba Auguſtini ſunt. *De his diſſerimus, qui perſeuerantiam bonitatis non habent, ſed ex bono in malum deficiente bonâ voluntate moriuntur. Reſpondeant, ſi poſſunt, cur illos Deus, cùm fideliter, & piè viuerent, non tunc de vita hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum? Vtrum hoc in poteſtate non habuit? An eorum mala futura neſciuit? Nempe nihil horum, niſi peruerſiſſimè, atque inſaniſſimè dicitur.* Vbi hîc ſcientia conditionata? Nonne disertè loquitur de malis verè futuris eorum, qui à gratia in peccatum cadentes, in eo mortui ſunt, quorum mala opera, quis niſi peruerſus, & inſanus Deum neſciuiſſe, & ſcientiâ viſionis, aut vt alij volunt ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ non cognouiſſe dixerit? *Auguſtinus exponitur.*

Proponuntur, & ſoluuntur Argumenta ducta ex ratione, pro eadem Scientia media.

CAPVT XXX.

1. DISSIDENTIVM à nobis argumentum potiſſimum ducitur à comparatione modi noſtri cogitandi, volendi, & operandi, cum diuino, vt videre eſt apud Ruiz de Scientia Dei diſp. 69. ſect. 1. apud Suarem lib. 2. de Prædeſt. cap. 7. num. 15. &

Digitized by Google

lib. 2. de Scientia futurorum contingentium, cap. 4. & Petrum à Sancto Ioſeph in ſua Concordia diſp. 4. ſect. 1. num. 4. Artifices, inquiunt, opus, quod moliuntur; gubernatores Reip. belli, paciſque rationes, vniuerſamque ſuam adminiſtrationem; & quilibet vir prudens media ad finem, quem intendit, vtilia, & poſſibilia, & ſic alij attentè *prius* cogitant, conſiderant, exquirunt, & præſciunt; quàm ſuum opus, ſuumque finem abſolutè, & efficaciter velint, & opus aggrediantur. Nam ſi horum eſſent neſcij, vel dubij, aut media ad finem idonea ignorarent, imprudenter omnino, ac temerè rem aggrederentur, ſæpiuſque exorbitarent à fine, eumque non niſi rarò, caſu, ac fortunâ conſequerentur. Vt igitur Deus Mundum vniuerſum ſapientiſſimè diſponat, prouidentiâ ſuâ rectè gubernet, & quæ in eo ſunt omnia, ac ſingula ad fines ſuos particulares certiſſimè perducat, & potiſſimùm, vt cum noſtra voluntate ad ſuos actus liberos, ſine vlla ſuæ libertatis offenſione ſuauiter, & efficaciter cooperetur, ſcientiâ, eâque conditionatâ *prius* certò ſcire debet, quid in hoc, vel illo rerum ordine, his, aut illis, tam internis conditionibus, quàm externis circumſtantijs voluntas noſtra pro innata libertate factura ſit, quàm abſolutè decernat, ſtatuatque hoc, vel illud cum ea facere.

Argumentum Aduerſariorum.

Soluitur.

2. RESPONDEO conceſsâ Majore, negandam eſſe Minorem. Nulla enim homines indigent ſcientiâ conditionatâ, vt prudenter aliquid ſtatuant, eligant, & decernant, vt ſapienter regant, imperent, & operentur; cùm ad id ſufficiat abſoluta ſcientia, cognitio, & judicium de rerum agendarum natura, poſſibilitate, vel impoſſibilitate, deque mediorum ad finem obtinendum idoneitate, facilitate, vel difficultate, prælucens voluntati, vt quod ex eis illi placuerit, eligat, decernat, & operetur. Multò minùs ſcientia conditionata ad quiduis eligendum, decernendum, & operandum Deo neceſſaria erit; quòd & ſufficiat ſcientia abſoluta, quam *præciſionis* nominauimus, quâ res omnes poſſibiles, omnes earum ad inuicem ordines poſſibiles, omneſque modos poſſibiles agendi, & concurrendi cum cauſis, tam neceſſarijs, quàm liberis, illæſâ earum libertate, pleniſſimè, clariſſimè, & diſtinctiſſimè nouit; vt eâ prælucente voluntati velit, eli-

Digitized by Google

gat, & decernat quodcunque voluerit, ſuâque illâ electione, & decreto cum prædicta ſcientia conjuncto, illam ſimul, & præſcientiam, & viſionis ſcientiam, & rerum cognitarum, ac electarum, ſi bonæ ſunt, cauſam efficiat. Eſt enim Dei ſcientia cum ejus abſoluta voluntate, & decreto conjuncta, ſemper efficaciſſima, & ſermo Dei poteſtate plenus.

Hvivs reſponſionis veritas manifeſtis, & quotidianis comprobatur experientijs. Experimur enim quotidie nos, viroſque alios prudentes, quod volunt, & intendunt facere, non ſemper conditionatè cogitare, aut velle priùs, quàm abſolutè, idque ſæpius facere hominis eſſet admodum imprudentis, nec ſatis conſiderati. Quando enim res ſunt obuiæ, & media ad finem neceſſaria, vel vtilia ſunt nobis euidenter cognita, & in oculis, ac manibus poſita, quis de ijs conditionatè eligendis, vel adhibendis cogitet? Famet aliquis, videt paratum prandium, nulloque alio ſe negotio tardari, manus lauat, menſæ benedicit, accumbit, mantile explicat, gladio panem ſecat, ori admouet, dentibus molit, & in ſtomachum tranſmittit; an hæc omnia conditionatè prius cogitat, aut eligit, quàm abſolutè? & ſic de alijs. Propterea namque nonnunquam de rebus agendis conditionatè priùs, & judicant, & decernunt, quòd abſolutè nequeant, neſcientes an conditiones ſub quibus judicant, aut media, quæ ijs occurrunt ſint in eorum poteſtate; aut quia vtiliora, & efficaciora quærunt media. Deus autem, cùm norit, & poſſit omnia, nullâ indiget ſcientiâ conditionatâ. *Cōfirmatur experientia.*

3. Id ſolùm, quod ad rem præſentem attinet, inter nos & Deum, noſtramque ſcientiam, & diuinam, eſt diſcriminis, quòd mens noſtra, quia finita eſt, & exiguæ admodum lucis, ac virtutis, non modo non omnia ſimul, ſed ne multa quidē clarè, aut diſtinctè cogitare, aut velle poteſt; & circa diuerſa objecta, multas, eaſque realiter diuerſas exercet intellectiones, & volitiones, non ſolùm ſibi inuicem ſuccedentes, ſed etiam quarum aliæ ab alijs dependeant, vel *intrinſecè*, & ex parte ipſius intellectus. Nam judicium ab apprehenſionibus ſimplicibus, & in diſcurſu Concluſio à Præmiſſis pendet, & tanquam à cauſa materiali ratione terminorum, quibus conſtat ex Philoſopho 2. Phyſic. text. 31. *Cur ordo ſit in actibus noſtri intellectus.*

Digitized by Google

& tanquam ab efficiente. Præmiſſæ enim ſunt cauſa illationis concluſionis, & ſcire eſt rem per cauſam, id eſt, per cognitionem cauſæ cognoſcere, & ex Alenſi in textum 3. lib. 5. Metaph. Antecedens habet quandam efficientiam reſpectu Conſequentis. Vel etiam *extrinſecè*, & ex parte objecti. Cùm enim noſtræ cogitationes ab objectis pendeant, ſi inter ipſa objecta eſt aliquis ordo dependentiæ, ratione cujus vnum pendet ab alio, etiam cogitatio vnius diceetur aliquo modo pendere à cogitatione alterius. Pari modo in actibus noſtræ voluntatis, eſt realis actuum, & multitudo, & diuerſitas, & ordo, ac ſucceſſio, & dependentia. Volitio enim finis eſt cauſa volitionis mediorum, interdum etiam mediorum opportunitas mouet nos ad finem volendum. Propterea in intellectus, & voluntatis noſtræ actibus ordo, & prius ac poſterius temporis, & cauſalitatis, & rationis ſecundùm exiſtendi conſequentiam reperiuntur. Inter diuinam autem ſcientiam, & voluntatem, quia ſunt æternæ, quia re idem, & quia independentes ab objectis, nulla eſt ſucceſſio, nulla cauſalitas, nullus ordo, nullaque prioritas rationis, niſi ſecundùm conſequentiam exiſtendi, quâ ſcientia voluntate prior eſt. Si enim Deus vult, ac decernit aliquid, illud nouit: at ſi nouit, non propterea vult, aut decernit. Et certè in ea intellectus, & voluntatis diuinæ actuum multitudine, & varietate, quam pro diuerſorum objectorum multitudine, noſtrique cogitandi, & volendi modi conditione in Deo apprehendimus, ordinem præſertim ſucceſſiuum prioris, & poſterioris deſignare nihil eſt neceſſe, cùm multò meliùs, & perfectiùs, ſine vllo ordine, ſine vllo priori, & poſteriori intelligi poſſit, Deum, quæ vult, & intelligit, ſimul & ſemper velle, & intelligere.

Et voluntatis.

4. Ego certè longè meliùs cum Sancto Thom. concipio, quomodo Deus ſimul velit, & intelligat omnia, quæ in creaturis operatur, eorumque in Deo rationes faciliùs concipio ſine vllo in ejus actibus ordine, & ſine vlla prioritate, aut poſterioritate, quàm aliter. Rectè intelligo, quomodo Deus velit vnum eſſe prius alio, nec tamen priùs velit vnum, quàm aliud. Rectè item capio, quomodo Deus ex parte objecti ordinatè, imò ordinatiſſimè velit omnia, cùm ſit ſapientiſſimus,

Digitized by Google

& omnia in ſapientia fecerit. Pſal. 103. velit finem, & media, cauſam, & effectum, partes in toto quàm aptiſſimè eſſe diſpoſitas; ſine vllo in ejus ſapientia, & decretis, aut actibus intellectus, & voluntatis ordine: non modo, quia nulla reuera in eo actuum multitudo eſt ſecundùm prius, & poſterius diſpoſita; ſed quia longè perfectiùs eſt, omnia ſimul intelligere, & velle, quàm vnum poſt aliud. Itaque omnis ordo, omniſque prioritas, quæ verbis præſcientiæ, prouidentiæ, præordinationis, & ſimilibus importatur, non eſt ipſorum actuum diuinorum inter ſe, ſed ſolùm eſt eorum ad ipſas creaturas extra Deum, quibus æternitate, naturâ, & cauſalitate priores ſunt.

5. NEQVE verò ad eandem ſcientiam mediam ſtabiliendam potentiores ſunt rationes, quas à varijs illius ſcientiæ patronis collegit Ludouicus à Dola ſupra: quarum prima eſt, quod ſine hac ſcientia, gratiæ efficacis & natura, & diſtinctio à ſufficienti gratia, aliaque nonnulla fidei noſtræ myſteria explicari non poſſint. Id enim à nobis tam facilè, & longè veriùs negatur, quàm aſſeritur; cùm Theologi omnes, ante recens excogitatam ſcientiam mediam, prædicta omnia commodè, & ſufficienter declararint. *1. Ratio Ludouici à Dola.* *Soluitur.*

6. SECVNDA. Deum nulli peccatum aliquod ſuum futurum reuelare poſſe. Et hoc item negatur. Quid enim obſtat? Si enim alicui Deus bonum aliquod ſuum opus futurum, ſaluâ ejus libertate, reuelare poteſt: cur non & prauum? Semper enim integrum ei erit peccare, vel non peccare, cùm reuelatio nihil ei de ſua peccandi, vel non peccandi potentia detrahat. *2. Ratio.* *Soluitur.*

NEQVE dixeris, quòd ſi poteſt non peccare, poterit etiã diuinam & præſcientiam, & reuelationem falſam, Deumque fallacem reddere. Idem enim tibi dicendum erit de futuri boni operis reuelatione facta eidem. Poterit enim illud non facere. Itaque ſoluenda inſtantia hâc diſtinctione. Duobus modis intelligi poteſt eum, cui facta à Deo eſt reuelatio de ſuo futuro peccato, poſſe non peccare. Primò, in ſenſu diuiſo, abſolutè, & ſecundùm ſe ſpectatâ ejus agendi potentiâ. Secundò, in ſenſu compoſito, ex hypotheſi, & ſecundùm ejus potentiam conditionatam; id eſt, conjunctam cum reuelatione *Inſtantia.* *Retorquetur.* *Soluitur.*

Digitized by Google

diuina de ſuo illo peccato futuro, atque adeo cum ipſo peccato futuro. Primò ſenſu verè poterit non peccare, hæcque potentia optimè ſtat cum ſuo peccato futuro, & cum reuelatione diuina ei facta de illo; nec inde ſequitur, hanc ab illo falſificari poſſe. Secundo verò ſenſu nempe compoſito, hoc eſt, ejus voluntate cum diuina reuelatione de peccato ſuo futuro, ipſoque peccato conjunctâ poterit non peccare, falſum eſt: proindeque falſum, quòd reuelationem diuinam poſſit falſificare. Quomodo autem neceſſitas ſeu impoſſibilitas conditionata non lædat libertatem, vide S. Thom. 1. part. quæſt. 23. art. 3. ad 3. & art. 6. ad 2. & ad 3. Vbi docet, quomodo prædeſtinatum ſaluari, & reprobum non ſaluari neceſſe ſit, ſaluâ vtriuſque libertate; & quomodo Deus in ſenſu compoſito non poſſit non prædeſtinare, quem prædeſtinauit.

D. Thomas.

7. BREVITER dico, quòd cùm ex poſſibili in actu poſito nullum ſequatur impoſſibile, ex potentia autem non peccandi actu, hoc eſt, ex non peccato cum prædicta hypotheſi reuelationis diuinæ, actu pòſito, duo ſequantur impoſſibilia, ſcilicet, in eodem ſimul eſſe peccatum, & non peccatum, & Deum dixiſſe verum, & dixiſſe falſum; propterea impoſſibile eſt cum prædicta reuelatione de peccato futuro, ſtare potentiam non peccandi actu, ſeu actualem peccati negationem; atque adeo falſificari reuelationem diuinam. Aliunde verò, quia in prædicta hypotheſi, & conditione reuelationis diuinæ de peccato futuro, includitur peccatum, atque adeo libertas, (peccatum enim omne eſt voluntarium) idcirco prædicta peccandi neceſſitas, ſeu impoſſibilitas conditionata non peccandi actu, non deſtruit libertatem: hæcque duo ſtant ſimul *Poſſe peccare*, & *poſſe non peccare*, vel etiam *peccare actu cum potentia non peccandi*, non autem peccare actu cum negatione actuali peccati. Nam vt notat Ariſtoteles lib. 1. de Cœlo text. 119. *Sedendi & ſtandi ſimul quis habet potentiam, quia quando habet illam, & alteram: ſed non ſic, vt ſimul ſedeat, & ſtet, ſed alio tempore.* Ita peccandi, & non peccandi ſimul quis habet potentiam, non tamen ita vt ſimul peccet, & non peccet; ſed alio tempore, alia occaſione, vel ſub alia hypotheſi.

Quomodo neceſſitas hypothetica non tollat libertatem.

Ariſtoteles.

3. Ratio.

8. TERTIA ratio prædicti Authoris eſt, ſublatâ ſcientiâ mediâ, Deum quæſtionibus innumeris, ad prudentem vitæ humanæ

Digitized by Google

manæ gubernationem neceſſarijs, v. g. An rex victoriâ potiturus ſit, ſi cum hoſte confligat, alijſque ſimilibus, reſpondere, non poſſe.

NEGATVR, vt manifeſtè patet in allato exemplo. Etenim vel erit pugna illa, vel non erit. Si non eſt futura, cùm id ſciat Deus ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ, quæ eorum eſt, quæ nec ſunt, nec fuerunt, nec erunt vnquam, reſpondebit Deus abſolutè, quod nec pugna, nec victoria erit. Si verò futura eſt pugna, & committendum prælium, illud Regis victoria vel ſequetur, vel non. Si prælium ſecutura eſt victoria, cùm vtrumque Deus longè ante norit ſcientiâ viſionis, quæ eſt eorum quæ ſunt, fuerunt, aut erunt, reſpondebit abſolutè, & affirmatiuè, Rex victor erit. Si prælium non ſecutura ſit victoria, & illud ſcientiâ viſionis, hanc ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ nouerit Deus, reſpondebit, ſi volet, pugnabit Rex, at non vincet. *Quomodo poſſit Deus reſpõdere interrogationibus conditionalibus.*

9. NEGANDVM ſimiliter ex eadem ſcientia media rejecta, ſequi ea omnia alia incommoda, quæ idem Author refert ibidem, videlicet, *Nos non teneri certò credere, quòd Deus dixerit: Deum à nobis interrogatum quæſtionibus hypotheticis, & conditionalibus coactum iri dicere ſe neſcire, vel tacere. Earum non majorem quàm nos, habere certitudinem: In tota æternitate manſurum de ijs incertum: In mundi gubernatione cæco modo, aut conjecturali tantùm ſcientiâ procedere, nec perfectiſſimam habere prouidentiam de rebus humanis.* Negandum item, quod ait poſtea, ejuſmodi ſcientiam mediam, *nullam dicere imperfectionem, eſſe perfectionem ſimpliciter ſimplicem, nullam in Deo implicare contradictionem*: quorum omnium falſitas ex antedictis manifeſta eſt.

2. PORRO quod ait, conditionem appoſitam propoſitioni abſolutæ nihil ei de veritate adimere, ſed ſolùm futuritionem abſolutam mutare in conditionatam, ex quo infert, quòd ſi propoſitio abſoluta habet veritatem determinatam, etiam conditionata habebit; id quidem verum eſt, quando conditionata vim habet abſolutæ, vt *ſi Petrus rogetur ab ancilla, negabit Chriſtum,* quæ huic æquiualet, *Petrus ab ancilla de Chriſto interrogatus, eum negabit.* At vniuersè, & in rigore falſum eſt. Conditio enim tollit, vel ſuſpendit ſenſum ab- *Conditio Si tollit ſenſum abſolutum propoſitionis.*

Digitized by Google

ſolutum Antecedentis, & Conſequentis, ſiue ſit de præterito, ſiue de præſenti, ſiue de futuro; facitque, vt tota propoſitio hypothetica aliud nihil ſignificet, quàm connexionem, & conſequentiam Conſequentis ab Antecedente, ideoque, vt jam dictum eſt, Antecedente & Conſequente falſis, & impoſſibilibus, hypothetica nihilominus vera eſt, *ſi agnus ſit lupus, oues comedet.*

Alia Argumenta pro eadem Scientia media ſoluuntur.

CAPVT XXXI.

1\. TANDEM pro eadem ſcientia Dei media, & conditionata, non pugnat validiùs Petrus à Sancto Ioſeph, cùm diſputatione 2. ſuæ defenſionis Sancti Thomæ ſect. 10. n. 1. ita argumentatur. Deus certiſſimè cognoſcit Petrum v. g. conuertendum: id autem non poteſt certò cognoſcere in decreto abſoluto, & prædeterminante ipſum actum conuerſionis Petri. Igitur per ſcientiam aliquam mediam. Major eſt certiſſima; Minorem autem probat. Primò, quia ſæpe inculcat Sanctus Thomas effectum contingentem, & liberum in ſuis cauſis, ne quidem ab intellectu diuino certò cognoſci poſſe. Secundò, quia ejuſmodi decretum prædeterminans eriperet libertatem Petro. Eſſet enim antecedens reſpectu conuerſionis Petri, & illo poſito fieri non poſſet, quin Petrus conuertatur. Tertiò, quia in decreto illo prædeterminante conuerſionem Petri, Deus ei præparat media ineluctabilia, & quæ ſingula effectum ſunt habitura: hoc autem repugnat Sancto Thomæ, qui docet Deum ad ſalutem prædeſtinati præparare media, ex ſe quidem defectibilia, quorum tamen aliqua alijs deficientibus effectum ſint habitura. Ex quo infert, in ſententia Sancti Thomæ admittendam eſſe ſcientiam mediam, quâ Deus certò cognoſcat, quænam ex medijs illis præparatis effectum habitura ſint, & quâ Deus dirigatur ad ea tribuenda, cùm opus fuerit.

Argumenta Petri à Sancto Ioſeph.

Digitized by Google

2. Concessa Majori propoſitione argumenti, Minor abſolutè negatur. Et ad primam ejus confirmationem concedo, Sanctum Thomam verè quidem, & rectè negare effectus liberi v. g. conuerſionis Petri futuritionem, non poſſe cognoſci, per ſolam cognitionem cauſæ contingentis proximæ, vt habet 1. part. quæſt. 14. art. 3. ad 1. cùm talis cauſa nempe voluntas Petri ex ſe indifferens ſit ad vtrumlibet; id eſt, ad eam producendam, vel non producendam. At inde nullo modo ſequitur Sanctum Doctorem velle cognoſci à Deo per ſcientiam mediam; cùm, vt ſupra Cap. 20. docuimus, velit, quæ nobis futura ſunt, ea ab illo cognoſci, vt ſibi præſentia, atque adeo vt videt cauſas omnes determinatas ad illud futurum contingens producendum, & vt eſt extra illas. Quarum cauſarum vna, eaque prima, & immutabilis eſt ejus decretum abſolutum de illa producenda, cujus æternitati, non ſecus, ac diuinæ, & æternæ Dei ſcientiæ, præſens eſt conuerſio Petri. *Reſponſio.*

3. Ad ſecundam confirmationem negandum eſt, ejuſmodi Dei decretum, quod appellat prædeterminans, eripere libertatem. Negandum item illud eſſe antecedens ad conuerſionem Petri, quaſi non includat liberam Petri cooperationem. Quare æternitate ſolùm, & etiam cauſalitate, atque adeo prioritate naturæ eam antecedit. *Reſponſio ad ſecundam confirmationem.*

4. Qvod vt clarè cognoſcatur, aduerte diſtinctionem decreti, & voluntatis diuinæ, in Antecedentem & Conſequentem, quæ eſt Damaſceni lib. 2. de Fide orthodoxa cap. 29. quæque, vt notat S. Thom. 1. part. quæſt. 19. artic. 6. ad 1. eſt, non ex parte voluntatis diuinæ (in ea enim nihil eſt prius, & poſterius) ſed ſolùm ex parte volitorum, aliter accipi, quantùm ego cognoſcere potui, à nonnullis Theologis Recentioribus, quàm à Sancto Thoma, alijſque veteribus. Recentiores enim nomine decreti antecedentis intelligunt, illam Dei voluntatem, quâ abſolutè, & efficaciter, nulloque habito reſpectu ad liberam voluntatis noſtræ cooperationem, aliquid vult, & decernit. Decretum verò conſequens illud eſſe volunt, quo præſuppoſitâ ſcientiâ mediâ, & cognitione cooperationis noſtræ conditionatè futuræ, efficaciter vult nobiſcum operari, & gratiam efficacem tribuere. *Decretum Dei antecedens apud Recentiores quid ſit.* *Conſequens quid ſit.*

Digitized by Google

Aliter expo- nit S. Thom.

5. Apvd Diuum Thomam verò ſupra, & Antiquos, *voluntas Dei antecedens* ea eſt, quâ res ex prima, abſoluta, & ſimplici ſui conſideratione, nec ſpectatis omnibus, & ſingulis ejus conditionibus particularibus, à Deo volita eſt. *Voluntas* autem *conſequens* ea, quâ res non ſola, nuda, & prima ſui conſideratione, ſed etiam ſpectatis omnibus ejus cauſis, & circumſtantijs particularibus eſt à Deo volita.. Quæ quidem eſt voluntas ſimpliciter, & ſemper efficax, cum Antecedens ſit tantùm voluntas ſecundùm quid, & vt ait Armandus de Bello viſu, in ſuo tractatu de Terminis, cap. 139. quaſi *ſpeculatiua, & velleitas potiùs, quàm voluntas*, inquit S. Thom. ſupra, eademque ſæpe inefficax, cùm non ſemper impleatur. Eâ enim Deus vult omnes homines ſaluos fieri, primæ ad Timoth. 2 cùm tamen non omnes ſaluentur. Nam vt ait S. Thom. ſupra, *Id quod antecedenter volumus, non ſimpliciter volumus, ſed ſecundùm quid, quia voluntas comparatur ad res ſecundùm quod in ſeipſis ſunt: in ſeipſis autem ſunt in particulari. Vnde ſimpliciter volumus aliquid, ſecundùm quod volumus illud conſideratis omnibus circumſtantijs particularibus, quod eſt conſequenter velle. Ideoque dici poteſt quod judex juſtus ſimpliciter vult homicidam ſuſpendi, ſed ſecundùm quid vellet eum viuere*, ſcilicet, in quantum homo, &c.

Decretum prædetermi nans, non eſt antecedens.

6. Ex quibus perſpicuum eſt, decretum Dei prædeterminans conuerſionem Petri, non eſſe antecedens, tam ſecundùm doctrinam antiquorum, quia eſt decretum efficax, & ſimpliciter, ac de objecto ſuis omnibus circumſtantijs particularibus veſtito, quàm ſecundùm Recentiores, quia non eſt ſine reſpectu ad liberam Petri cooperationem, proindeque eſt decretum abſolutè conſequens, nec libertatem conuerſionis Petri vllo modo eripit, ſed contra, eam in actu ſecundò ponit.

Reſponſio ad tertiam.

7. Ad tertiam confimationem neganda eſt ſequela, ſcilicet, quòd ſi Deus videt Petrum conuertendum, in decreto illo prædeterminante ejus conuerſionem, præparat ad eam media Petro ineluctabilia. Ijs enim omnibus medijs, quæ Deus præparat, Petrus poteſt non vti, ideoque omnia eluctabilia quidem ſunt, non tamen omnia eluctanda. Aliud autem eſt eſſe *ineluctabile*, aliud non *eluctandum*. Illud enim di-

Digitized by Google

cit neceſſitatem, & impoſſibilitatem eluctationis, hoc non dicit; ſed ſolùm medium habiturum effectum, an liberè, an neceſſatio, non exprimit. Quare malè confundit Petrus à S. Ioſeph ineluctabile cum non eluctando, & eo, quod eſt habiturum effectum. Longè meliùs & rectiùs S. Thom. quem refert, media à Deo ad ſalutem prædeſtinati præparata, quæque ait omnia eſſe *defectibilia*, diſtinguit in ea, quæ actu deficiunt, nec ſunt effectum habitura, & in ea, quæ ſunt effectum habitura, ſaluâ nihilominus ſemper voluntatis noſtræ libertate. *Deo enim volenti ſaluum facere*, inquit, Auguſt. lib. de Correptione, & gratia cap. 14. *nullum hominis reſiſtit liberum arbitrium. Sic enim velle, & nolle in nolentis aut volentis eſt poteſtate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.* Et certè Deus, qui pro infinita ſua ſapientia, voluntatis noſtræ vim perfectè comprehendit, penituſque cognoſcit cujuſque hominis ingenium, mores, & tum animi, tum corporis habitus, & diſpoſitiones; ita voluntatem noſtram mouet, & determinat ad agendum, vt ipſa etiam ſeſe determinet; ita eam mouet, & inclinat ad vnam contradictionis partem, vt ipſa nihilominus ad eam ſe ſe etiam inclinet, manente potentiâ ſe ſe in alteram inflectendi. *Auguſtinus.*

NEQVE *Compulſionis, tractionis, coactionis* aliaque ſimilia nomina, quibus nonnunquam Scriptura ſacra vtitur, Lucæ 14. *compelle intrare*, Ioan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum.* Act. 28. *Coactus ſum appellare Cæſarem*, vllam voluntatis violentiam, & libertatis diminutionem à Deo, vel hominibus illatæ deſignant, cùm iiſdem verbis, in actionibus planè liberis, alibi eadem Scriptura vtatur, Leuitici 15. *Si paupertate compulſus vendiderit ſe tibi frater tuus*: Prouerb. 30. *egeſtate compulſus jurem, & perjurem nomen Domini.* Lucæ 24. *Coëgerunt illum, dicentes, mane nobiſcum Domine*, ſed prædictæ locutiones rationum ſuadentium efficaciam indicant, & cauſarum vim ad voluntatem eorum, de quibus agitur, mouendam, ſolitò maiorem præ ſe ferunt.

EST etiam, qui pro hac ſcientia media ſic argumentetur. Vis intelligendi infinita Deo ineſt, nullaque eum latet veritas. Agens autem liberum, ex hypotheſi quòd ponatur in his, vel illis circumſtantijs, diuinæ gratiæ conſenſurum, in his alij *Alia objectio.*

Digitized by Google

non conſenſurum, veritates quædã ſunt. Igitur Deo cognitæ: at non aliâ ſcientiâ, quàm mediâ, & conditionatâ. Igitur hæc in Deo neceſſariò admittenda eſt.

1. Reſponſio. OCCVRRVNT duæ ad hoc argumentum reſponſiones. Prima concedit Majorem, intellectam tamen de Scientia Dei in ſe, & vt eſt parte rei. Verè enim Deo ineſt intelligendi vis infinita, nullaque eum latet veritas. Nam à parte modi noſtri intelligendi, & ſub ea præciſione, quâ Scientia Dei à nobis inadæquatè concipitur, non eſt infinita, quia vt Deus à nobis concipitur ſciens ſcientiâ vel præciſionis, vel ſimplicis intelligentiæ, vel viſionis tantùm, aut etiam ipsâ ſcientiâ mediâ, ſi datur, quâlibet non ſcit omnia. Nihilominus conceſsâ, vt dictum eſt, ſimpliciter prædictâ Majore, Minor diſtinguenda eſt. Agens enim liberum conſenſurum, vel non conſenſurum intelligitur de ejus conſenſu, aut non conſenſu comparatè, vel ad res alias creatas in tempore exiſtentes, vel ad Deum, Deique ſcientiam æternam. Si primum, cùm conſenſus, vel non conſenſus agentis liberi habitudinem ad eas habeant præteriti, vel præſentis, vel futuri, conſenſiſſe, conſentire, & conſenſurum rectè dicitur. Liberi enim arbitrij conſenſus, aut non conſenſus has temporis differentias, & habitudines ad res alias in tempore exiſtentes admittit, quas habitudines Deus certiſſimè nouit, videtque clariſſimè, quia ejus æternitati præſentes ſunt. Si verò ſecundum, cùm ille agentis liberi conſenſus, aut non conſenſus æternæ Dei ſcientiæ comparatus ei ſit, non futurus, neque præteritus, ſed præſens, propterea Deus ſimpliciter non videt agens liberum conſenſurum, & non conſenſurum, ſed actu conſentire, vel non conſentire in his, aut illis circumſtantijs poſitum.

2. Reſponſio. SECVNDA Reſponſio, Dato, & conceſſo ſimpliciter toto priore ſyllogiſmo, eſſe nimirum, quæ proponuntur veritates Deo notiſſimas, negat eas illi ſcientiâ mediâ notas eſſe, quia conditionatus ille conſenſus, ſi verè futurus eſt, ſcientiâ viſionis; ſi futurus non eſt, ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ à Deo cognoſcitur; non autem ſcientiâ mediâ, quæ in Deo nulla eſt, & quâ ſolâ ex ipſis Aduerſariorum principijs, quidquam ſiue præſens, ſiue præteritum, ſiue futurum, abſolutum, aut conditionatum à Deo cognoſci impoſſibile eſt.

Digitized by Google

Nihil enim præteritum, præſens, aut futurum eſſe poteſt ſine abſoluto aliquo, aut conditionato Dei decreto: nullum autem Dei decretum volunt Aduerſarij cognoſci à Deo per ſcientiam mediam, quòd hæc quouis Dei decreto prior ſit.

Scientiam mediam nihil habere commercij cum Pelagianiſmo.

CAPVT XXXII.

1. SENTENTIÆ de ſcientia media, & propter eam Molinæ, necnon alijs Theologis, qui cum eo ſentiunt, nonnulli ſunt adeo infenſi, vt propterea Pelagianiſmi eos inſimulare, & palam criminari non dubitent. At quàm id falsò, & quantùm hæc opinio ab hæreſi Pelagiana ſit remota pluribus rectè docent Leſſius diſp. de Gratia cap. 10. & Petrus à S. Ioſeph in ſua Concordia diſp. 4. ſect. 4. num. 4. & 6. ſub finem, & ex his paucis prudenti, & æquo rerum, ac opinionum æſtimatori facile erit intelligere. Pelagij hæreſis fuit, Poſſe hominem ſolis naturæ, & liberi arbitrij viribus, ac ſine Dei gratia, ſiue præueniente, ſiue adjuuante, fidei donum, ac juſtificationis gratiam à Deo obtinere; de condigno mereri; Legem totam obſeruare; in juſtitia perſeuerare, ac etiam vitam æternam conſequi; & ad hæc omnia gratiam Dei vtilem quidem eſſe, non tamen abſolutè neceſſariam. *Errores Pelagij.*

2. SEMIPELAGIANORVM verò, vt Iuliani, Caſſiani, & quorumdam Clericorum Maſſilienſium error fuit, ad prædicta omnia gratiam Chriſti, non ſolùm externæ prædicationis, ſed etiam inſpirationis internæ eſſe neceſſariam, in quo rectè, & orthodoxè ſentiebant: at (quod erroneum eſt) contendebant ex nobis ſolis, & naturalibus noſtri liberi arbitrij viribus, & abſque Chriſti gratia interiùs nos mouente, exoriri in nobis initium quoddam fidei, bonarumque actionum ad vitam æternam; quarum tamen complementum, & perfectio daretur nobis gratiâ Chriſti, proindeque *Errores Semipelagianorum.*

Digitized by Google

& fidei, & obedientiæ Legi diuinæ, & ſalutis noſtræ initium ex nobis, atque ex ſolis viribus noſtri liberi arbitrij eſſe: gratiam verò diuinam non niſi pediſſequam noſtræ voluntatis eſſe, eique tantùm ad bonum inchoatum perficiendum manum adjutricem præbere. Addebant aliqui infantes, qui moriuntur, prædeſtinatos eſſe ad præmium, vel ad pœnam pro ratione vitæ, quam quiſque acturus erat, ſi ad adultam ætatem perueniſſet.

Opinio de ſcientia media nihil habet affine.

3. AT de ſcientia media opinio, neque reipſa, neque verbis, modoque loquendi quicquam affinitatis habet cum prædictis erroribus; nec eorum vllus ex ea deduci poteſt. Dicere enim Deum priuſquàm aliquid abſolutè decernat circa liberas hominum actiones, ſcientiâ conditionatâ ſcire, & cognoſcere, quid voluntas, pro innata ſua libertate in his, vel illis circumſtantijs factura ſit, nullo modo eſt affirmare, voluntatem ſine Dei gratia, ſoliſque ſuis viribus naturalibus, poſſe bonum aliquod opus meritorium vitæ æternæ, vel perficere, vel inchoare.

4. ETENIM inter has, & illas circumſtantias, in quibus voluntas poſita hoc, vel illud factura dicitur, diuinæ gratiæ & præuenientis, & adjuuantis auxilia, ad opus bonum inchoandum, & perficiendum neceſſaria, omnino comprehenduntur. Cùm enim ſcientiæ mediæ patroni vniuersè loquãtur, & naturales, & ſupernaturales omnes circumſtantias, ac omnia principia operis boni, ſaltem vt poſſibilia includunt. Igitur hæc eorum locutio, non niſi falsò, & inuidiosè ad ſolas circumſtantias externas, vireſque naturales voluntatis, reſtringi poteſt.

NEQVE item verba hæc *(pro innata libertate)* gratiam Dei excludunt, ſolamque ſignificant voluntatem hoc, aut illud, quod Deus conditionatè præuidet, facturam, aut inchoaturam; ſed dumtaxat indicant hominem hoc, aut illud liberè, & ſine neceſſitate facturum, & quidem, ſi opus bonum fuerit, vtique non niſi diuinâ gratiâ adjutum illud liberè eſſe facturum: hoc autem nihil prorſus olet Pelagianiſmi.

5. PRÆTEREA, cùm dicunt Deum priùs cognoſcere, quid conditionatè factura ſit voluntas humana, quàm abſolutè id decernat,

Digitized by Google

decernat, nullam inſtituunt comparationem concurſus diuini cum humano, nullumque inter eos ordinem deſignant; ſed ſolùm ordinem ponunt inter ſcientiam Dei conditionatam, & ejus decretum abſolutum, in quo ordine illam priùs, noſtro, ſcilicet, concipiendi modo, conſtituunt: quod etſi falſum ſit, vt ante oſtendimus, non tamen eſt Pelagianum. Et vt comparatio fieret concurſus voluntatis noſtræ cum diuino, cùm vtrumque dicant eſſe ſimul, reprehendi non poſſunt, quaſi dicerent voluntatem ſuis viribus naturalibus ad actum bonum concurrere priùs, quàm Deus concurrat. Nam Dei concurſum dicere ſimultaneum cum noſtro, tantùm abeſt, vt nos ſolis naturæ viribus bonum aliquod opus perficere, vel inchoare poſſe, vt planè contrarium hic loquendi modus inſinuet. Nam ſi dictio *(ſolus)* concurſus, & gratiæ diuinæ excluſiua eſt, vox *(concurſus)* contra, Dei influxum cum noſtro importat.

6. IMÒ verò, etiamſi dicerent concurſum diuinum noſtro poſteriorem eſſe, quamuis id verum non ſit, non tamen propterea affirmarent, nos ſolis naturæ viribus opera bona, & ad ſalutem neceſſaria efficere, aut inchoare poſſe. Intelligerent enim naturâ tantùm, non tempore poſteriorem eſſe. Vnde ſicut cùm dicimus Deum priùs naturâ concurrere ad noſtros actus, quàm nos, nolumus Deum ſolum, excluſo noſtro concurſu, vllum opus noſtrum inchoare: ſic qui diceret Dei concurſum noſtro poſteriorem eſſe, non propterea cenſendus eſſet affirmare, nos ſolis naturæ viribus opera ad ſalutem neceſſaria perficere, aut inchoare poſſe.

7. DENIQVE, cùm prædictæ ſententiæ defenſores ejuſmodi ſcientiam conditionatam in Deo ponant, vt diuinæ gratiæ efficacitatem ſuo modo exponant, dicantque ejuſmodi ſcientiam ad id neceſſariam eſſe; cùm tam ſæpe, tamque disertè doceant, excitantis, & liberum noſtræ voluntatis conſenſum præuenientis gratiæ diuinæ auxilium, conſiſtere in mentis noſtræ à Deo illuſtrationibus, & in ſubitis quibuſdam voluntatis noſtræ motionibus, ejus conſenſum, & concurſum ad actum bonum, non ſolùm naturâ, ſed ſæpe etiam tempore præcedentibus, quis ſanæ, vel mentis, vel conſcientiæ, erroris Pelagiani ſic ſentientes, & loquentes damnet?

Digitized by Google

8. Itaqve & nos ſcientiam mediam rejecimus, non vt erroneam, aut in fide periculoſam; ſed vt falſam, vt nouam, vt nullum ſolidum in Scriptura, in SS. Patribus, in S. Thoma, alijque vetuſtioribus Theologis fundamentum habentem, vt ſuperfluam ad ſacræ Scripturæ intelligentiam, vt inutilem ad humanam libertatem tuendam, aliaſque difficultates Theólogicas expediendas. Neque propterea defendimus aliorum opinionem de prædeterminatione, ſeu qualitate phyſica, & reali noſtræ voluntati injecta à Deo, quâ cum ea concurrat ad ejus actus eliciendos. Neque item cum Ludouico à Dola negamus immediatum Dei concurſum cum cauſis ſecundis, tam liberis, quàm neceſſarijs; ſed exiſtimamus, & ſine ſcientia media, & ſine prædeterminatione, cum immediato Dei ad omnes noſtras actiones concurſu ſaluam, & integram eſſe noſtram libertatem.

An ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſit prior ſcientiâ viſionis.

CAPVT XXXIII.

1. CVM ſcientiam ſimplicis intelligentiæ dupliciter accipi poſſe antea dictum ſit, videlicet pro ſcientia poſſibilium præcisè, vt poſſibile opponitur impoſſibili, dicitque rerum eſſentias, præſcindendo ab eo, quòd ſint actu, vel non ſint; & pro ſcientia poſſibilium, poſſibilitate oppoſitâ actualitati, quæque eſt veluti ſpecies illius alterius: ſi de ſcientia ſimplicis intelligentiæ primo modo ſumpta propoſita quæſtio intelligatur, perſpicuum eſt, eam priorem eſſe ſcientiâ viſionis, non quidem duratione, aut realiter, quia & illi identificatur realiter, & æquè eſt æterna: ſed ſolùm ratione, & ſecundùm noſtrum concipiendi, & inferendi modum. Noſtro enim intelligendi modo, eſt quid commune ad ſcientiam viſionis, & ſimplicis intelligentiæ propriè, & ſpecificè ſumptæ, & ad illas ſe habet, ſicut genus ad ſpecies: genus autem ſecundùm rationem prius eſt ſuis ſpeciebus, vt ſupra dictum

Quomodo ſcientia præciſionis prior ſit ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiâ viſionis.

Digitized by Google

eſt, cùm poſitâ quâlibet ſpecie ponatur genus, non contra, poſito genere ponatur quælibet ſpecies. Deinde à ſcientia viſionis ad ſcientiam præciſionis, ſeu neceſſariam valet exiſtendi conſequentia, non autem ab hac ad illam. Igitur hæc illá prior.

2. Si verò propoſita quæſtio comparationem inſtituat inter ſcientiam viſionis, & ſcientiam ſimplicis intelligentiæ propriè, & ſpecificè ſumptam, vt hæc eſt eorum, quæ nunquam ſunt, fuerunt, aut erunt, illa contra eorum, quæ ſunt, fuerunt, aut erunt; plerique Recentiores, vt Aluarez de auxilijs lib. 5. diſp. 37. quaſi pro certò ſupponunt, ſcientiam ſimplicis intelligentiæ priorem eſſe ſcientiâ viſionis.

3. At nullo id ſolido fundamento, nullâque firmâ ratione. *Primò* quia, quâ prioritate prior ſit, dici non poteſt. Non *duratione*, aut exiſtentiâ, quia vtraque eſt æterna. Neque cauſalitate, quia re idem ſunt, & quia in Deo nulla eſt cauſalitas, nulla realis dependentia vllius cogitationis, aut etiam volitionis ab alia. Neque ſecundùm *rationem* noſtram; quia vnius ad alteram nulla eſt exiſtendi conſequentia. Neque enim ſi Deus Mundum, qui nunc eſt, cernit ſcientiâ viſionis, ſequitur, quòd nouit alium ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ. Vtrumque enim noſſe potuit ſcientiâ viſionis, ſi vtrumque creaſſet; vel ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ, ſi neutrum condidiſſet. Objecta item habent planè diuerſa, & inter quæ nulla eſt dependentia, nullus ordo. Eorum enim, quæ non ſunt, nõ eſſe, ab eorum, quæ ſunt, exiſtentia, & eorum exiſtentia ab illorum non exiſtentia nullo modo pendet. Igitur nec vna ſcientia prior eſt alterâ. *Neutram alterá priorem eſſe.* *Probatio 1.*

4. Secundò. Differentiæ contrahentes aliquod genus ſunt ſimul natura, ſicut & ipſæ ſpecies, quas conſtituunt, vt dictum ſupra cap. 5. ex Philoſopho in Poſtprædicamentis cap. de modis ſimul: At ſimplicis intelligentiæ ſcientia, & ſcientia viſionis ſunt veluti duæ diuerſæ differentiæ, & ſpecies ſcientiæ diuinæ. Igitur &c. *2. Probatio.*

5. Tertiò. Neque ex parte Dei, neque ex parte objecti, neque ex parte noſtri modi intelligendi, ſcientia ſimplicis intelligentiæ prior eſt ſcientiâ viſionis. Non *ex parte Dei*, quia in Deo nihil eſt prius, aut poſterius, nec vllus diuini *3. Probatio.* *Non eſt prior ex parte Dei.*

intellectus, aut voluntatis actus alio prior eſt, cùm ſint omnes æterni, & independentes, imò omnes vna, & ſimplex eſſentia diuina. Neque *ex parte objecti*. Inter vtriuſque enim ſcientiæ objecta nullus eſt ordo, nulla dependentia, nulla cauſalitas. Nam eorum quæ non ſunt, nec vnquam erunt, non eſſe ab eorum, quæ ſunt, natura & exiſtentia, & horum natura, & exiſtentia ab illorum non exiſtentia, nullo modo pendet; & vt ens ab non ente, ſic non ens ab ente non pendet. Deinde rationes cauſæ, & effectus, prioris, & poſterioris, ſunt modi, & proprietates entis. Igitur non ens alio ſiue ente, ſiue non ente naturâ, aut etiam tempore prius, vel poſterius dici propriè non poteſt. Etſi enim priuatio, vel non eſſe rei dicatur præcedere tempore eſſe ejuſdem, hoc tamen propriè nō poteſt eſſe prius, ſed ſolùm eſt ſubjectum, ejuſque potentiã, vel tempus prius fuiſſe, in quo res non erat.

Nec ex parte objecti.

6. Neque *ex parte modi noſtri concipiendi, & agendi*. Nam ſcientia viſionis, cùm ſit rerum in aliqua temporis differentia exiſtentium, dicenda potiùs eſſet prior ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ, quia ens actu eſt primò cognitum objectum noſtri intellectus; non ens autem non niſi per ens, ac poſt ens, cujus eſt negatio, ſicut ens in potentia, non niſi per ens actu cognoſcitur.

Nec ex parte noſtra.

7. Præterea, vt non eſſe rei alicujus ejus eſſe præcederet tempore, non tamen in noſtra cognitione prior eſt, quia omnis affirmatio oppoſitâ negatione, omniſque forma priuatione, ſi non tempore, ſaltem perfectione, cognitione, ac definitione prior eſt: ideoque priuatio per formam, non eſſe per eſſe definitur, non contra. Neque enim bonum per malum, lumen per tenebras, viſum per cæcitatem; ſed contra, malum per bonum, tenebras per lumen, & vniuerſim priuationem omnem per formam ſibi oppoſitam cognoſcimus, ac definimus.

Obiectio 1.

8. Obiicies primò. Scientia ſimplicis intelligentiæ ſimplicior eſt ſcientiâ viſionis. Nam propterea intelligentiæ ſimplicis dicitur: & præterea ſcientia viſionis includit actum volitionis diuinæ ſibi conjunctum. Igitur illâ prior eſt.

Reſponſio 1.

Respondeo primò, diſtinguendo Antecedens. Dupliciter enim duæ illæ ſcientiæ conſiderari poſſunt, vel vt tantùm ſunt in Deo præciſè, vel conjunctim cum ſuis obje-

ctis. Primo modo æquè ſimplices ſunt, cum vtraque dicat actum intellectus, & aliquem etiam voluntatis; vna volitionis, altera nolitionis. At ſecundo modo, & conjunctim cum ſuis objectis, quia ſcientia viſionis dicit aliquid extra Deum, nempe creaturam exiſtentem, altera verò ſcientia nihil actu extra Deum inuoluit, propterea ſimplex dicitur, non tamen propterea prior eſt ſcientiâ viſionis.

RESPONDEO ſecundò, conceſſo Antecedente negando Conſequentiam. Simplex enim prius eſt compoſito, quod cõponit; non autem vniuerſim omni alio, quod non cõponit. At neque ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſcientiam viſionis, nec illius objectum hujus objectum componit, ſed ſunt planè diuerſa, ſeque mutuò excludunt. Igitur propter ſimplicitatẽ ſcientia intelligentiæ non eſt prior. 2. *Reſponſio.*

9. OBIICIES ſecundò illa ſcientia prior eſt, cujus objectum prius eſt; at objectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ prius eſt objecto ſcientiæ viſionis. Res enim non exiſtens prior eſt ſeipsâ exiſtente. Igitur ſcientia ſimplicis intelligentiæ prior eſt ſcientiâ viſionis. 2. *Objectio.*

DISTINGVENDA Major. Si ſcientia pendeat ab objecto, & hoc ſit cauſa, & menſura illius; Vera eſt Major. Si verò non pendeat, ſed contra objectum ab illa, falſa eſt: nulla autem Dei ſcientia ab objecto præſertim ſecundario, quales ſunt creaturæ, pendet; vnde ſcientia, quam habet Deus de creatura perfectiori, v. g. de Sole, Luna, aut homine, perfectior non eſt ſcientiâ, quam habet de Igne, Terra, lapide &c. 1. *Reſponſio.*

RESPONDERI etiam ſecundò poteſt, falſam eſſe Minorem, & ejus Confirmationem, vt conſtat ex cap. 8. ſupra: tum quia res exiſtens potiùs perfectior eſt ſeipsâ non exiſtente: tum quia non rectè fit comparatio rerum non exiſtentium ad exiſtentes, atque adeo objecti ſimplicis intelligentiæ cum objecto ſcientiæ viſionis. Quis enim rectè dixerit hominem purè poſſibilem perfectiorem eſſe Dauide, Salomone, aut alio homine exiſtente? 2. *Reſponſio.*

Digitized by Google

Scientiam Dei, quæ viſionis dicitur, eſſe cauſam rerum, ideoque priorem ſuo objecto.

CAPVT XXXIV.

Scientiã Dei eſſe cauſam rerum.

1\. DEVM ſuâ aliquâ ſcientiâ cauſam rerum omnium eſſe, Scriptura diſertè conteſtatur paſſim, vt Pſal. 103. *omnia in ſapientia feciſti* Pſal. 135. *qui fecit Cœlos in intellectu*, & Prouerbiorum 3. *Dominus ſapientiâ fundauit terram, & ſtabiliuit Cœlos prudentiâ*. Ieremiæ 10. & 51. *qui facit terram in fortitudine ſua, præparat orbem in ſapientia, & prouidentia ſua extendit Cœlos*, & alibi ſæpe. Idemque ratio naturalis ſuadet. Deus enim eſt agens, & mouens primum. Ergo agens per intellectũ, & cognitionem. Antecedens probat Philoſophus toto lib. 8. Phyſic. Conſequentia probatur, quia cùm duo ſint Agentium genera 2. Phyſic. text. 65. vnum per *naturam*, alterum per *intellectum*: hoc illo prius, ac præſtantius eſt; tum quia natura ab intellectu pendet, & ab eo determinatur ad agendum, ac dirigitur in ſuum finem: tum quia præſtantiſſima agendi ratio eſt ex ſcientia, & per intellectum agere, quòd intellectus ſenſu, & ſubſtantia immaterialis materiali præſtantior ſit.

Agens per intellectum prius eſt agente per naturam.

DEINDE, vt ſe habet ars & ſcientia artificis ad res arte factas: ſic ſcientia Dei ad res omnes creatas; ex S. Thom. 1. part. quæſt. 14. art. 8. ars autem verè & propriè cauſa eſt rerum artefactarum, *omneſque artes, & ſcientiæ factiuæ potentiæ quædam ſunt Principia enim tranſmutatiua in alio prout aliud eſt*, inquit Philoſophus 9. Metaphyſic. text. 3.

PRÆTEREA res inter ſe componere, rectéque ordinare, ac gubernare, non niſi ſapientis eſt 1. Metaphyſic. cap. 2. ejuſque qui rerum naturas, vires, & proprietates perfectè intelligit. Sunt autem opera Dei omnia aptiſſimè, congruenterque ordinata. Præclarè igitur Auguſt. lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 10. *Mundus iſte nobis notus eſſe non poſſet, niſi eſſet: Deo autem, niſi notus eſſet; eſſe non poſſet.*

CVM autem Scientia Dei non ſecus ac noſtra ſit vel ſpe-

culatiua, vel practica: quemadmodũ ſpeculatiua noſtra ſcientia, cùm nuda tantùm ſit ſui objecti notitia, & in ſola ejus contemplatione conſiſtat, nullius rei cauſa eſt effectiua. Sic contemplatiua Dei ſcientia, vt ſic, nullius rei cauſa eſt. Sola ergo Dei ſcientia practica rerum cauſa eſſe poteſt. *Speculatiua non eſt cauſa rerum.*

2. Sed obſeruandum Scientiam Dei, quæcunque illa ſit, non eſſe cauſam rerum, niſi ſecundùm quod adjunctam habet voluntatem diuinam, juxta illud Pauli ad Epheſios. *Operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ* Quod probat S. Thom. 1. part. quæſt. 14. art. 8. & quæſt. 2. de Veritate art. 4. ex eo quòd *ſicut forma naturalis, inquantum eſt forma manens in eo, cui dat eſſe, non nominat principium actionis, ſed ſecundùm quod habet inclinationem ad effectum: ſimiliter forma intelligibilis non nominat principium actionis, ſecundùm quod eſt tantùm in intelligente, niſi adjungatur ei inclinatio ad effectum, quæ eſt per voluntatem.* *Sciẽtia Dei eſt cauſa rerum adiunctá voluntate.* *Ex Scriptura.*

Deinde, vt habet ibidem, forma intelligibilis, cùm habeat ſe ad oppoſita, non producet effectum determinatum, niſi determinetur ad vnum per appetitum, & voluntatem. Nam vt docet Philoſophus 9. Metaphyſic. text. 3. & 10. hoc differunt potentiæ rationales à naturalibus, quòd *naturalis vna vnius tantùm factiua ſit, rationalis autem contrariorum: cùm autem vtrumque contrarium ſimul fieri, & eſſe impoſsibile ſit, neceſſe eſt aliud quoddam eſſe, quod dominetur.* Id eſt, quod indifferentiam illam potentiæ intellectiuæ, & rationalis determinet. *Dico autem ſiue appetitum, ſiue electionem. Quodcumque enim appetet principaliter, hoc faciet.* Cùm igitur Scientia diuina ſit potentia rationalis, *Vnius, & ejuſdem effectus etiam in nobis cauſa eſt,* inquit, S. Thom. quæſt. 19. art. 4. ad 4. *ſcientia dirigens, quâ concipitur forma operis, & voluntas vt imperans; quia forma, vt eſt in intellectu tantùm, non determinatur ad hoc, quòd ſit, vel non ſit in effectu, niſi per voluntatem; vnde intellectus ſpeculatiuus nihil dicit de operando.* *Ex Ariſtotele.* *Ex S. Thoma.*

Præterea, vt idem habet Opuſc. 15. cap. 9. *A quolibet agente procedit effectus ſecundùm modum ſui eſſe. Eſſe autem primi principij, eſt ejus intelligere, & velle. Procedit igitur vniuerſitas rerum à primo principio, ſicut ab intelligente, & volente.*

Ex quo infertur ſcientiam Dei naturalem, ſeu præciſionis, id eſt, quæ præſcindit ab omni actu voluntatis diuinæ,

Digitized by Google

Scientiam Dei, quæ viſionis dicitur, eſſe cauſam rerum, ideoque priorem ſuo obiecto.

CAPVT XXXIV.

Scientiâ Dei eſſe cauſam rerum.

DEVM ſuâ aliquâ ſcientiâ cauſam rerum omnium 1. eſſe, Scriptura diſertè conteſtatur paſſim, vt Pſal. 103. *omnia in ſapientia feciſti* Pſal. 135. *qui fecit Cœlos in intellectu*, & Prouerbiorum 3. *Dominus ſapientiâ fundauit terram, & ſtabiliuit Cœlos prudentiâ.* Ieremiæ 10. & 51. *qui facit terram in fortitudine ſua, præparat orbem in ſapientia, & prouidentia ſua extendit Cœlos*, & alibi ſæpe. Idemque ratio naturalis ſuadet. Deus enim eſt agens, & mouens primum. Ergo agens per intellectũ, & cognitionem. Antecedens probat Philoſophus toto lib. 8. Phyſic. Conſequentia probatur, quia cùm duo ſint Agentium genera 2. Phyſic. text. 65. vnum per *naturam*, alterum per *intellectum*: hoc illo prius, ac præſtantius eſt; tum quia natura ab intellectu pendet, & ab eo determinatur ad agendum, ac dirigitur in ſuum finem: tum quia præſtantiſſima agendi ratio eſt ex ſcientia, & per intellectum agere, quòd intellectus ſenſu, & ſubſtantia immaterialis materiali præſtantior ſit.

Agens per intellectum prius eſt agente per naturam.

DEINDE, vt ſe habet ars & ſcientia artificis ad res arte factas: ſic ſcientia Dei ad res omnes creatas; ex S. Thom. 1. part. quæſt. 14. art. 8. ars autem verè & propriè cauſa eſt rerum artefactarum, *omneſque artes, & ſcientiæ factiuæ potentiæ quædam ſunt Principia enim tranſmutatiua in alio prout aliud eſt*, inquit Philoſophus 9. Metaphyſic. text. 3.

PRÆTEREA res inter ſe componere, rectéque ordinare, ac gubernare, non niſi ſapientis eſt 1. Metaphyſic. cap. 2. ejuſque qui rerum naturas, vires, & proprietates perfectè intelligit. Sunt autem opera Dei omnia aptiſſimè, congruenterque ordinata. Præclarè igitur Auguſt. lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 10. *Mundus iſte nobis notus eſſe non poſſet, niſi eſſet: Deo autem, niſi notus eſſet; eſſe non poſſet.*

CVM autem Scientia Dei non ſecus ac noſtra ſit vel ſpe-

Digitized by Google

culatiua, vel practica: quemadmodũ ſpeculatiua noſtra ſcientia, cùm nuda tantùm ſit ſui objecti notitia, & in ſola ejus contemplatione conſiſtat, nullius rei cauſa eſt effectiua. Sic contemplatiua Dei ſcientia, vt ſic, nullius rei cauſa eſt. Sola ergo Dei ſcientia practica rerum cauſa eſſe poteſt. *Speculatiua non eſt cauſa rerum.*

2. SED obſeruandum Scientiam Dei, quæcunque illa ſit, non eſſe cauſam rerum, niſi ſecundùm quod adjunctam habet voluntatem diuinam, juxta illud Pauli ad Epheſios. *Operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ* Quod probat S. Thom. 1. part. quæſt. 14. art. 8. & quæſt. 2. de Veritate art. 4. ex eo quòd *ſicut forma naturalis, inquantum eſt forma manens in eo, cui dat eſſe, non nominat principium actionis, ſed ſecundùm quod habet inclinationem ad effectum: ſimiliter forma intelligibilis non nominat principium actionis, ſecundùm quod eſt tantùm in intelligente, niſi adjungatur ei inclinatio ad effectum, quæ eſt per voluntatem.* *Scitia Dei eſt cauſa rerum adiunctâ voluntate.* *Ex Scriptura.*

DEINDE, vt habet ibidem, forma intelligibilis, cùm habeat ſe ad oppoſita, non producet effectum determinatum, niſi determinetur ad vnum per appetitum, & voluntatem. Nam vt docet Philoſophus 9. Metaphyſic. text. 3. & 10. hoc differunt potentiæ rationales à naturalibus, quòd *naturalis vna vnius tantùm factiua ſit, rationalis autem contrariorum: cùm autem vtrumque contrarium ſimul fieri, & eſſe impoſsibile ſit, neceſſe eſt alıud quoddam eſſe, quod dominetur.* Id eſt, quod indifferentiam illam potentiæ intellectiuæ, & rationalis determinet. *Dico autem ſiue appetitum, ſiue electionem. Quodcumque enim appetet principaliter, hoc faciet.* Cùm igitur Scientia diuina ſit potentia rationalis, *Vnius, & ejuſdem effectus etiam in nobis cauſa eſt,* inquit, S. Thom. quæſt. 19. art. 4. ad 4. *ſcientia dirigens, quâ concipitur forma operis, & voluntas vt imperans; quia forma, vt eſt in intellectu tantùm, non determinatur ad hoc, quòd ſit, vel non ſit in effectu, niſi per voluntatem; vnde intellectus ſpeculatiuus nihil dicit de operando.* *Ex Ariſtotele.* *Ex S. Thoma.*

PRÆTEREA, vt idem habet Opuſc. 15. cap. 9. *A quolibet agente procedit effectus ſecundùm modum ſui eſſe. Eſſe autem primi principij, eſt ejus intelligere, & velle. Procedit igitur vniuerſitas rerum à primo principio, ſicut ab intelligente, & volente.*

Ex quo infertur ſcientiam Dei naturalem, ſeu præciſionis, id eſt, quæ præſcindit ab omni actu voluntatis diuinæ,

Digitized by Google

vt ſic, nullius rei cauſam eſſe. Igitur ſolùm erit cauſa, prout conjuncta cum voluntate id efficiet, quod repræſentat; ex qua conjunctione efficitur cauſa rerum, & ſcientia viſionis.

Sciẽtia Dei & voluntas ſunt cauſa prout ſunt eius potentia.

3. NOTANDVM præterea ex S. Thom. 1. part. quæſt. 25. art. 1. ad 4. quòd neque ſcientia, quâ præcisè ſcientia, nec voluntas, quâ præcisè voluntas ſunt cauſa vllius effectus, ſed ſolùm quatenus ſunt potentiæ. Sic enim conſtituunt attributum omnipotentiæ diuinæ ab intellectu, & voluntate diuina ratione diſtinctum. Nam primo modo ſcientia Dei aliud nihil eſt, quàm cognitio objecti; & volitio aliud nihil, quàm propenſio quædam voluntatis in ſuum objectum: quæ duæ rationes nullam, vt ſic, includunt rationem principij actiui ejus, quod eſt cognitum, & volitum. Igitur cauſæ, ac potentiæ effectiuæ erunt, vt ſunt principium effectiuum rei cognitæ, & volitæ; ſcientia quidem per modum dirigentis; voluntas per modum mouentis, & imperantis; vtraque per modum exequentis. Nam potentia executiua in Deo ab ejus ſcientia, & voluntate, non re, vt in nobis, ſed ratione tantùm differt; cùm Deus non niſi per intellectum, & voluntatem agat, non moraliter tantùm, ſed phyſicè, & realiter: non ſecus, ac calor cauſa eſt calefactionis.

4. HIS conſtitutis, controuerſia potiſſima eſt de ſcientia viſionis, & ſimplicis intelligentiæ, vtrâ Deus ſit cauſa

1. Sentẽtia. omnium rerum. Plerique recentiores Theologi totam rationem cauſandi, & efficiendi ſoli ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ aſcribunt. Ita Didacus Ruiz tomo de Scientia Dei diſp. 15. & alij apud eum. Alij verò exiſtimant ſcientiam,

2. Sentẽtia. quam viſionis appellant, eam eſſe, quâ Deus res omnes efficit. Ita non ſolum Zumel, Cabrera, Aluarez, Cabezudo, Suar. Nauarrete, Ledeſma apud Didacum Ruiz tomo de Scientia Dei diſp. 15. ſect. 3. ſed etiam antiqui Theologi Scholaſtici, Hugo Victorinus, Magiſter Sentent. Richardus, Sanctus Thomas, Alexander, Albertus, S. Bonauentura, Durandus, & alij plurimi apud eundem Ruiz ibidem: quos, cùm dicunt res eſſe futuras, quia ſciuntur à Deo, immeritò, & planè falsò negat, intelligendos eſſe de ſcientia viſionis, vt conſtabit ex ijs, quæ poſtea de S. Thoma afferemus. Loquuntur enim de ſcientia poſſibilium conjuncta

cum

Digitized by Google

cum beneplacito Dei, vt ipſe Ruiz confitetur. Hæc autem eſt ſcientia viſionis, vt mox demonſtrabitur. Quæ Antiquorum Theologorum ſententia, quidquid dicant Recentiores, veriſſima eſt. *Scientiam viſionis eſſe cauſam rerum.*

PROBATVR primò manifeſtis SS. Patrum teſtimonijs, vt Auguſtini vltimo capite ſuarum Confeſſionum. *Nos itaque*, inquit, *iſta, quæ feciſti videmus, quia ſunt. Tu autem, quia vides, ea ſunt. Et nos foris videmus, quia ſunt, & intus, quia bona ſunt. Tu autem vbi vidiſti facta, ibi vidiſti facienda.* Et lib. 6. de Trinitate cap. 10. *Non hæc, quæ creata ſunt, ideo ſciuntur à Deo, quia facta ſunt, ac non potiùs ideo facta ſunt, vel mutabilia, quia immutabiliter à Deo ſciuntur.* E lib. 15. cap. 13. *Vniuerſas creaturas ſuas ſpirituales, aut corporales, non quia ſunt ideo nouit, ſed ideo ſunt, quia nouit. Non enim neſciuit, quæ fuerat creaturus; quia ergo ſciuit, creauit, non quia creauit, ſciuit*, &c. *Authoritate SS. PP. Auguſtinus.*

GREGORIVS lib. 20. Moral. cap. 23. vel vt alij 24. *Quæ ſunt*, inquit, *non ab æternitate ejus ideo videntur, quia ſunt; ſed ideo ſunt, quia videntur.* Et lib. 32. cap. 6. *Non exiſtentia videndo creat, exiſtentia videndo continet. Quidquid ergo Creator non videt, eſſentiâ ſubſiſtendi caret.* Idem plerique alij SS. Patres. *Gregorius.*

5. QVORVM teſtimonijs non ſatisfacit, quod reſpondet Didacus Ruiz de Scientia Dei diſputatione 15. ſect. 6. num. 5. & 6. verbum *videre* à SS. PP. ſumi, non peculiariter pro ſcientia viſionis, ſed ſolùm, vt idem ſignificat, quod ſcire: & præterea eos loqui ſolùm de rebus neceſſarijs, & independentibus à libertate creata. Hæc enim reſponſio, & reſtrictio à SS. Patrum mente prorſus aliena eſt, eorumque verbis apertè repugnat. Nam Auguſtinus ſupra diſertè ait, *Vniuerſas creaturas, tam ſpirituales, quàm corporales eſſe, quia Deus nouit eas.* Deinde actionum liberarum, vel neceſſariarum, hac in parte eadem eſt ratio, cùm res à Deo, Deique ſcientia eſſentialiter pendeant. Itaque & hujus ſolutionis falſitas, & noſtræ ſententiæ veritas indidem comprobatur. *Reſponſio Ruiz. Refellitur.*

6. SECVNDÒ, probatur ratione planè demonſtratiuâ. Impoſſibile eſt ſcientiam vllam ejus rei eſſe cauſam, quam non cognoſcit, & cujus non eſt idea: at ſcientia ſimplicis *1. Argumentum.*

Digitized by Google

vt ſic, nullius rei cauſam eſſe. Igitur ſolùm erit cauſa, prout conjuncta cum voluntate id efficiet, quod repræſentat; ex qua conjunctione efficitur cauſa rerum, & ſcientia viſionis.

Sciẽtia Dei & voluntas ſunt cauſa prout ſunt eius potentia.

3. NOTANDVM præterea ex S. Thom. 1. part. quæſt. 25. art. 1. ad 4. quòd neque ſcientia, quâ præcisè ſcientia, nec voluntas, quâ præcisè voluntas ſunt cauſa vllius effectus, ſed ſolùm quatenus ſunt potentiæ. Sic enim conſtituunt attributum omnipotentiæ diuinæ ab intellectu, & voluntate diuina ratione diſtinctum. Nam primo modo ſcientia Dei aliud nihil eſt, quàm cognitio objecti; & volitio aliud nihil, quàm propenſio quædam voluntatis in ſuum objectum: quæ duæ rationes nullam, vt ſic, includunt rationem principij actiui ejus, quod eſt cognitum, & volitum. Igitur cauſæ, ac potentiæ effectiuæ erunt, vt ſunt principium effectiuum rei cognitæ, & volitæ; ſcientia quidem per modum dirigentis; voluntas per modum mouentis, & imperantis; vtraque per modum exequentis. Nam potentia executiua in Deo ab ejus ſcientia, & voluntate, non re, vt in nobis, ſed ratione tantùm differt; cùm Deus non niſi per intellectum, & voluntatem agat, non moraliter tantùm, ſed phyſicè, & realiter: non ſecus, ac calor cauſa eſt calefactionis.

4. HIS conſtitutis, controuerſia potiſſima eſt de ſcientia viſionis, & ſimplicis intelligentiæ, vtrâ Deus ſit cauſa omnium rerum. Plerique recentiores Theologi totam rationem cauſandi, & efficiendi ſoli ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ aſcribunt. Ita Didacus Ruiz tomo de Scientia Dei diſp. 15. & alij apud eum. Alij verò exiſtimant ſcientiam, quam viſionis appellant, eam eſſe, quâ Deus res omnes efficit. Ita non ſolum Zumel, Cabrera, Aluarez, Cabezudo, Suar. Nauarrete, Ledeſma apud Didacum Ruiz tomo de Scientia Dei diſp. 15. ſect. 3. ſed etiam antiqui Theologi Scholaſtici, Hugo Victorinus, Magiſter Sentent. Richardus, Sanctus Thomas, Alexander, Albertus, S. Bonauentura, Durandus, & alij plurimi apud eundem Ruiz ibidem: quos, cùm dicunt res eſſe futuras, quia ſciuntur à Deo, immeritò, & planè falsò negat, intelligendos eſſe de ſcientia viſionis, vt conſtabit ex ijs, quæ poſtea de S. Thoma afferemus. Loquuntur enim de ſcientia poſſibilium conjuncta

1. Sentẽtia.

2. Sentẽtia.

cum

Digitized by Google

cum beneplacito Dei, vt ipſe Ruiz confitetur. Hæc autem eſt ſcientia viſionis, vt mox demonſtrabitur. Quæ Antiquorum Theologorum ſententia, quidquid dicant Recentiores, veriſſima eſt. *Scientiam viſionis eſſe cauſam rerum.*

PROBATVR primò manifeſtis SS. Patrum teſtimonijs, vt Auguſtini vltimo capite ſuarum Confeſſionum. *Nos itaque*, inquit, *iſta, quæ feciſti videmus, quia ſunt. Tu autem, quia vides, ea ſunt. Et nos foris videmus, quia ſunt, & intus, quia bona ſunt. Tu autem vbi vidiſti facta, ibi vidiſti facienda.* Et lib. 6. de Trinitate cap. 10. *Non hæc, quæ creata ſunt, ideo ſciuntur à Deo, quia facta ſunt, ac non potiùs ideo facta ſunt, vel mutabilia, quia immutabiliter à Deo ſciuntur.* E lib. 15. cap. 13. *Vniuerſas creaturas ſuas ſpirituales, aut corporales, non quia ſunt ideo nouit, ſed ideo ſunt, quia nouit. Non enim neſciuit, quæ fuerat creaturus; quia ergo ſciuit, creauit, non quia creauit, ſciuit*, &c. *Authoritate SS. PP. Auguſtinus.*

GREGORIVS lib. 20. Moral. cap. 23. vel vt alij 24. *Quæ ſunt*, inquit, *non ab æternitate ejus ideo videntur, quia ſunt; ſed ideo ſunt, quia videntur.* Et lib. 32. cap. 6. *Non exiſtentia videndo creat, exiſtentia videndo continet. Quidquid ergo Creator non videt, eſſentiâ ſubſiſtendi caret.* Idem plerique alij SS. Patres. *Gregorius.*

5. QVORVM teſtimonijs non ſatisfacit, quod reſpondet Didacus Ruiz de Scientia Dei diſputatione 15. ſect. 6. num. 5. & 6. verbum *videre* à SS. PP. ſumi, non peculiariter pro ſcientia viſionis, ſed ſolùm, vt idem ſignificat, quod ſcire: & præterea eos loqui ſolùm de rebus neceſſarijs, & independentibus à libertate creata. Hæc enim reſponſio, & reſtrictio à SS. Patrum mente prorſus aliena eſt, eorumque verbis apertè repugnat. Nam Auguſtinus ſupra diſertè ait, *Vniuerſas creaturas, tam ſpirituales, quàm corporales eſſe, quia Deus nouit eas.* Deinde actionum liberarum, vel neceſſariarum, hac in parte eadem eſt ratio, cùm res à Deo, Deique ſcientia eſſentialiter pendeant. Itaque & hujus ſolutionis falſitas, & noſtræ ſententiæ veritas indidem comprobatur. *Reſponſio Ruiz. Refellitur.*

6. SECVNDÒ, probatur ratione planè demonſtratiuâ. Impoſſibile eſt ſcientiam vllam ejus rei eſſe cauſam, quam non cognoſcit, & cujus non eſt idea: at ſcientia ſimplicis *2. Argumentum.*

Digitized by Google

intelligentiæ nullius rei creatæ eſt idea, & ſimilitudo; ſed ſola ſcientia viſionis: igitur, &c. Major probatur, quia omnis ars, omniſque ſcientia factiua, ejus tantùm rei eſt factiua, quæ eſt illius objectum, ſeu cujus eſt idea. *Ars enim operis eſt ratio ab omni materia abjuncta*, inquit Philoſophus lib. 1. de part. Animalium cap. 1. *& ab arte fiunt, quorum forma in anima*, lib. 7. Metaphyſ. text. 23. & lib. 2. de Generatione Animalium cap. 1. *Ars eſt principium, & forma ejus, quod efficitur.* Vnde ſicut, inquiunt Medici, *quod ignorat Medicina non curat*, ſic quod ignorat ſcientia nullo modo cauſat.

Quid ſcientia ſimplicis intelligentia. Minor probatur ex vtriuſque ſcientiæ definitionibus à Theologis omnibus receptis, & à nobis relatis ſupra Cap. 23. Definitur enim ſcientia ſimplicis intelligentiæ, cognitio eorum, quæ nec ſunt, nec fuerunt, nec erunt vnquam, atque adeo quorum Deus, nec fuit, nec eſt, nec erit cauſa: Scientia autem viſionis eſt cognitio eorum, quæ ſunt, fuerunt, vel

Quid ſcientia viſionis. erunt, & quidem à Deo. Nam mala non ſunt ab eo. Igitur quemadmodum in homine plures artes, & ſcientias animo comprehendente, nec fabrilis calcei, nec ſutoria ſcamni, nec ſcribendi equitationis, aut equitandi ſcriptionis vllo modo cauſa eſſe poteſt: ſic in Deo ſcientia ſimplicis intelligētiæ nullius rei præſentis, præteritæ, aut futuræ, cauſa eſſe poteſt, quòd nulla res exiſtens ſit ejus objectum, ſed ſolius ſcientiæ viſionis. Ac licet ſcientia Dei præciſa à voluntate, & vt præit, ac prælucet ejus abſoluto decreto de opere aliquo efficiendo, non viſionis adhuc, ſed præciſionis tantùm ſit ſcientia, eo quòd, vt ſic, ſit tantùm rei purè poſſibilis cognitio: tamen, vt conjuncta cum voluntate, & ab ea determinata ad aliquid efficiendum, ſeu vt eſt actu directiua potentiæ diuinæ aliquid ad extra operantis, & exequentis, verè eſt ſcientia viſionis, non ſimplicis intelligentiæ.

3. Argum. 7. TERTIÒ. Quia diſtinctio duplicis illius ſcientiæ eſt ſolùm ex parte objecti, non ex parte Dei, vt notat Sanctus Thomas quæſt. 2. de Veritate art. 9. ad 2. Ferrarienſis in cap. 66. lib. 1. contra Gentes: at ſi ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt cauſa eorum, quæ ſunt, fuerunt, & erunt, idem erit objectum vtriuſque ſcientiæ.

4. Argum. QVARTÒ. Eâ ſcientiâ Deus res omnes facit, quâ illas

Digitized by Google

conſeruat, & tenet in eſſe, cùm conſeruatio aliud nihil ſit, quàm continua rei jam exiſtentis productio: at conſeruat eas per ſcientiam viſionis. Quid enim aliud præſtet, ne ſit otioſa? Igitur omnino ſunt à Deo eas cognoſcente ſcientiâ viſionis.

QVINTÒ. Scientia ſimplicis intelligentiæ nihil omnino facit. Quod enim nec eſt, nec erit, nec fuit vnquam, circa quod illa verſatur, à nullo fit, vnde etiam communiter ab Aduerſarijs appellatur *ſcientia poſſibilium*, vt ſcilicet, poſſibile opponitur actuali. Nam vt opponitur *impoſſibili* ſcientia viſionis eſt etiam ſcientia poſſibilium. *5. Argum.*

SEXTÒ, omnis ars, omniſque cognitio factiua prior eſt ſaltem naturâ eâ re quàm facit. *Deus*, inquit S. Thomas quæſt. 2. de Veritate art. 8. in corpore *habet cognitionem de rebus creatis per modum, quo artifex cognoſcit artificiata, qui eſt artificiatorum cauſa. Vnde in contraria habitudine habet ſe illa cognitio ad res cognitas, & noſtra cognitio. Noſtra enim cognitio, quia eſt à rebus accepta, naturaliter eſt poſterior rebus: Cognitio autem Creatoris de Creaturis, & artificis de artificiatis naturaliter præcedit res cognitas.* *6. Argum.*

AT ſcientia ſimplicis intelligentiæ nullo ſuo objecto propriè actu prior eſt. Cùm enim prius, & poſterius ſint relata, objectum illius ſcientiæ deberet eâ poſterius eſſe: quod autem nec eſt, nec fuit, nec erit, nullo poſterius eſt. Deinde quâ prioritate prior erit ſuo objecto? Non duratione, quia quod non eſt, nec fuit, nec erit, nec tempore, nec duratione vllâ poſterius quoquam dici poteſt. Nec cauſalitate, quia, vt dictum eſt, hæc ſcientia nihil facit, ejuſque objectum nunquam fit, aut factum eſt, aut fiet. Neque ratione, aut conſequentiâ prior eſt ſuo objecto. Hoc enim cum illa quodammodo reciprocatur. Vt enim hæc conſequentia, *ſi Deus hoc cognoſcit ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ, illud erit*, eſt falſa: Ita *id vel eſt, vel fuit, vel erit: ergo cognoſcitur ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ*, falſa eſt conſequentia.

8. SEPTIMÒ, Fatentur Aduerſarij ſcientiam diuinam conjunctam cum decreto abſoluto voluntatis diuinæ, de re aliqua facienda cauſam illius eſſe. At hæc ſcientia, alia non eſt, quàm viſionis. Nam ſcientia Dei, licet vt concipitur *7. Argum.*

Digitized by Google

à voluntate præciſa, ejuſque eſt directiua, vt ita dicam, in actu primo, ſit tantùm ſcientia præciſionis, ſeu poſſibilium, ſicque ratione prior decreto voluntatis; tamen vt cum voluntate conjuncta, ejuſque eſt directiua in actu ſecundo, & cum ea operatur omnia, ſcientia viſionis eſt, quia tunc eſt ſcientia eorum, quæ ſunt, fuerunt, & erunt. Sicut quando conjungitur cum decreto negatiuo, hoc eſt, cum nolitione producendi ea, quæ repræſentat, eſt, vt vel ipſi Aduerſarij docent, ſcientia ſimplicis intelligentiæ.

8. Argum. 9. Octavò. Si ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt cauſa rerum, fruſtra erit ſcientia viſionis. Cui enim vſui fuerit, aut quæ ejus neceſſitas? Quod enim ait Didacus Ruiz de Scientia Dei diſp. 15. ſect. 6. num. 13. ſcientiam viſionis eſſe ad aliquam partem diuinæ complacentiæ, quâ voluntas diuina complacet ſibi in omnibus bonis, tanquam præſentibus illâ ſcientiâ cognitis, & quâ videt cuncta, quæ fecit eſſe valde bona, lepidè id quidem, & eleganter: At parum Theologicè dictum videtur. Quaſi verò Deus in prima rerum molitione nullam, aut non ſatis magnam habuerit complacentiam in ſuis operibus: aut complacentia diuina partes habeat, quarum vna alteri poſt res conditas aduenerit, ac ſucceſſu temporis augeatur.

Refellitur reſponſio Ruiz.

10. Parvm abeſt quin dixerit cum Platone in Timæo, vt refert Auguſtinus lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 21. *Elatum eſſe*, ſcilicet, *Deum gaudio, Mundi vniuerſitate perfectâ.* Verùm, vt complacentiam, ſic nec ſcientiam ſuam Deus creatione Mundi auxit, aut duplicauit; ſed illâ eâdem, & ſcientiâ, & complacentiâ Mundum vidit, & amauit factum, quâ faciendum viderat, & amauerat: *Ibi*, inquit Auguſt. ſupra, *vidit bonum eſſe quod fecit, vbi bonum eſſe vidit, vt faceret, nec quia factum vidit, ſcientiam duplicauit, vel ex aliqua parte auxit.* At ſi ſcientia viſionis ſuperadditur ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ de eadem re, vt volunt Aduerſarij, omnino duplicatur, vel augetur ſcientia Dei, &c.

Auguſtinus.

Deinde, quid eſt illa complacentia, niſi diuinus amor rerum creatarum, aut voluntas faciendi, aut conſeruandi Mundum vniuerſum, quæ in Deo vna, & eadem æternitas eſt? Adde quòd, vt rei conſeruatio eadem eſt realiter cum

Digitized by Google

prima ejus productione : ſic nulla in Deo eſt noua complacentia, ex ſcientia viſionis orta, diuerſa ab ea, quam habuit in prima rerum productione.

Proponuntur, & ſoluuntur objectiones contrariæ.

CAPVT XXXV.

1. SED multa objicit Didacus Ruiz ſupra ſect. 4. & 5. *Primo*, Scientia viſionis in Deo ſupponit res eſſe priùs factas : Tum quia Geneſ. 1. id inſinuatur his verbis. *Dixit Deus, fiat lux, & facta eſt lux, & vidit Deus lucem, quòd eſſet bona.* Et poſtea. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona :* Tum quia id disertè ſignificant, tum Origenes lib. 7. in caput octauum ad Romanos ; *Non propterea*, inquit, *erit aliquid, quia id ſcit Deus futurum, ſed quia id futurum eſt, quod ſcitur à Deo:* Tum Hieronymus ad illa verba Ieremiæ 26. *Noli ſubtrahere verbum, ſi forte audiant.* Vbi ait, *Non ex eo quòd ſcit futurum aliquid, idcirco futurum eſt, ſed quia futurum eſt, Dominus præſcius futurorum nouit.* Idemque fere habet ad illa verba Ezechiëlis 2. *Si forte vel ipſi audiant, & ſi forte quieſcant.* Mitto plurimos alios, quos refert ibidem, & diſp. 33. ſect. 4. *1. Obiectio.*

2. RESPONDEO, Negando Antecedens. Cum enim ſcientia viſionis Dei ſit æterna, res autem factæ in tempore ſint, non ſupponuntur à ſcientia viſionis. Deinde ſcientia viſionis Dei eſt practica, & factiua ſui objecti, vt oſtendimus, ergo illud non ſupponit. Nam ſi viſio oculi mei lumen, aut colorem, quem videt, ex ſe funderet, vt Sol lumen ſuum, non ſupponeret colorem eſſe, ſed faceret, & quia faceret, eſſetque ejus cauſa, prior colore eſſet; ex S. Thoma 1. parte quæſt. 25. art. 1. ad 4. *Reſponſio.*

AD Scripturæ authoritatem dicendum, quòd cùm Deus ſit agens per intellectum, ejuſque potentia actiua alia non ſit, quàm ejus ſcientia, & voluntas, vt ſunt principium *Exponitur locutio Scripturæ.*

Digitized by Google

effectiuum rerum omnium, illa vt dirigens, hæc vt imperans, propterea ejus dicere, ac videre, idem eſt ac facere, & Deum vidiſſe lucem, & cuncta, quæ fecerat, eſſe bona, idem eſt ac dixiſſe, & feciſſe res bonas, viſione ſcilicet, ſeu ſcientiâ viſionis, quæ eas nullo modo ſupponit priùs factas. Præteritum autem illud pluſquam perfectum *fecerat* operum Dei abſolutionem, mundique perfectionem importat; non autem rerum factarum, vel durationis, vel cauſalitatis, vel naturæ anteceſſionem ad ſcientiam viſionis Dei, niſi valde impropriam, quatenus eſt conſeruatiua rerum à ſe antea primò productarum.

Explicantur dicta Patrum.

3. Ad Origenis autem, Hieronynimi, aliorumque SS. Patrum teſtimonia, jam reſpondimus ſupra Cap. 29. cum Sancto Thoma 1. part. quæſt. 14. art. 8. ad 1. eos locutos eſſe de Scientia, & Cognitione diuina, attendentes rationem ſcientiæ, cui, vt ſic, non competit ratio cauſalitatis: alioqui ſcientia, quam habet malorum, eſſet eorum cauſa. Et præterea hoc loquendi modo SS. Patres indicare tantùm voluiſſe, Dei ſcientiam nihil officere noſtræ libertati, nec plus neceſſitatis in ea, quæ homines libere faciunt, inducere, quàm viſus noſter influat in ea, quæ cernit, & intuetur. Cùmque dicunt Deum præſcire aliqua, quia ſunt futura, id intelligendum eſt ſecundùm rationem conſequentiæ, non ſecundùm rationem eſſendi. Si enim aliqua ſunt futura, ſequitur, quòd Deus ea præſcierit, non tamen res futuræ ſunt cauſa, cur Deus ſciat. Idem habet q. 2. de Veritate art. 14. ad 1. *Dicendum*, inquit, *eſt, quòd intentio Origenis eſt dicere, quòd ſcientia Dei non eſt cauſa, quæ inducit neceſſitatem in ſcito, vt ex hoc cogatur aliquid euenire, quia Deus illud ſcit. Quod autem dicit, quia futurum eſt, ideo ſcitur à Deo, non importatur cauſa eſſendi, ſed cauſa inferendi tantùm.* Et certè ſi quid probarent ejuſmodi authoritates, aliæque innumeræ, quas collegit Didacus Ruiz, ſuiſque tomis de Scientia, & Voluntate, de Prouidentia, & Prædeſtinatione paſſim inſeruit; æquè valerent contra ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quam dicunt Aduerſarij eſſe cauſam rerum. Illi enim SS. Patres dicunt ſimpliciter Deum, non ex eo, quòd ſcit aliquid futurum, idcirco futurum eſſe, ſed quia futurum eſt, hoc Deum noſſe.

D. Thomas.

Retorquentur in aduerſariorum dicta Patrum.

4. Obiicit ſecundò varia loca D. Thomæ, vt eum vel inuitum, & reluctantem in ſuam ſententiam pertrahat. Aç in primis ait eum citatâ quæſtione 14. art. 8. dicere *Scientiam Dei eſſe cauſam rerum, ſecundùm quòd habet voluntatem conjunctam.* Et nos hoc maximè volumus, & dicimus ſcientiam Dei cum voluntate conjunctam, eamque dirigentem non aliam eſſe, quàm viſionis. Nam ſcientia ſimplicis intelligentiæ, cùm tantùm ſit eorum, quæ nec ſunt, nec fuerunt, nec vnquam erunt, nihil dirigit, nihil voluntati, aut potentiæ exequenti faciendum proponit. Præterea cùm authoritates Patrum, quibus nituntur aduerſarij, Sanctus Doctor proponat, & diſſoluat, quis non videat ipſum ab eis ſtare nullo modo poſſe? ſimiliter cùm quæſt. 10. de Veritate art. 3. in Corp. ait *Praſcientiam Dei non importare vniuerſaliter habitudinem cauſæ reſpectu horum, quorum eſt*, vult ſolùm eam non eſſe cauſam malorum, quæ videt, ac præſcit: propterea addidit particulam *vniuerſaliter.* Vnde potius inferendum eſt, ejus præſcientiam eſſe cauſam aliquorum, nempe bonorum. Locus autem, quem affert ex art. 8. quæſt. 14. 1. part. probat ſolùm, Deum eſſe cauſam rerum per ſuam ſcientiam, ſecundùm quòd adjunctam habet voluntatem, & is, vt dictum eſt, de ſcientia viſionis intelligendus eſt. Nam quod ait ex Philoſopho 9. Metaphyſic. text. 10. *Eandem eſſe ſcientiam contrariorum, & formam intelligibilem ſe habere ad oppoſita*, ſi ſcientiæ diuinæ applicetur, de ea abſolutè & præcisè, tum à determinatione voluntatis, tum à ſcientia, & ſimplicis intelligentiæ, & viſionis, ſumpta intelligi debet. Sic enim tantùm eſt indifferens ad oppoſita, cùm neque ſcientia viſionis ſe habeat ad oppoſita; ſed ſit determinata ad vnum, nempe ad id quod exiſtit à ſe, & à voluntate ſibi adjuncta: neque etiam ſcientia ſimplicis intelligentiæ oppoſitorum ſit, ſed à nolitione determinata ſit ad ea, quæ nec ſunt, nec fuerunt, nec erunt vnquam. Igitur determinatio à voluntate non obſtat, quominus ſcientia viſionis ſit cauſa rerum, imò ad id omnino neceſſaria eſt ex D. Thoma ibidem. Itaque ex eo quòd S. Thomas & Antiquiores Scholaſtici affirment, ſcientiam Dei non eſſe cauſam rerum, niſi cum beneplacito voluntatis conjunctam, malè omninò infert Ruiz ſupra ſect. 4. num.

2. Obiectio.

Reſponſio.

Exponuntur varia S. Thomæ locutiones.

Digitized by Google

5. & ſect. 6. num. 1. eos exiſtimaſſe ſcientiam, non viſionis, ſed ſimplicis intelligentiæ eſſe cauſam rerum. Hæc enim, vel cum nulla Dei voluntate conjuncta eſt, vel non cum beneplacito, & volitione creandi, ſed cum nolitione. Malè item eoſdem exponit num. 11. cùm dicit, illos nomine *Scientia approbationis*, *& beneplaciti*, quam agnoſcunt eſſe cauſam rerum, intelligere ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; cùm hæc non approbationis, & beneplaciti; ſed reprobationis, & nolitionis exiſtentiæ rerum, ad quas extenditur, ſcientia ſit.

5. NIHIL etiam pro ſe colligit Didacus Ruiz ex lib. 1. contra Gentes cap. *66*. Ibi enim ſolùm ex eo quòd artifex ſuâ arte cognoſcat etiam ea, quæ nondum ſunt, probat S. Doctor, Deum habere cognitionem eorum, quæ non ſunt: quod aliud nihil eſt, quàm probare Deo ineſſe ſcientiam ſimſimplicis intelligentiæ; vel potiùs ſcientiâ viſionis ipſum cognoſcere res, antequam ſint.

3. Obiectio 6. OBIICIT tertiò. Illa Dei ſcientia eſt cauſa rerum, quæ ejus voluntati proponit modum eas faciendi, eamque dirigit, quæque eſt prior ejus decreto, quo illas vult, & facit: ſola autem ſcientia ſimplicis intelligentiæ talis eſt.

Reſponſio. CONCESSA Majore, negatur Minor. Scientia enim ſimplicis intelligentiæ nullo Dei decreto de re futura prior eſt, cùm nullius rei ſit idea, ejuſque objectum ſolùm ſit id, quod ita eſt factibile, vt nunquam faciendum ſit.

4. Obiectio. 7. OBIICIT quartò. Scientia viſionis ſpeculatiua eſt, eademque poſterior eſt rebus, circa quas verſatur. Vtrumque *Reſponſio.* negandum, vt conſtat ex dictis, imò ſola ſcientia viſionis propriè, & perfectè practica eſt, quia non ſolùm dictat modum, quo res facienda eſt, ſed etiam adjunctâ voluntate illam facit. Ejuſdem enim artis eſt, opus faciendum proponere, & facientem in ipſo opere dirigere, factum explorare, & ad artis leges examinare. Finge, in eâdem numero cogitatione, quâ mens noſtra opus faciendum præuidebat, dum fit permanere, & poſtquam factum eſt, ab eadem conſeruari: ita omnia ab arte, & voluntate diuina pendent, adeo vt quæ ſcientia voluntatem dirigit, eadem cum illa operetur, & conſeruet omnia.

FALSVM item eſt, ſcientiam viſionis poſteriorem eſſe

ſuo

ſuo objecto, cùm ſit cauſa rerum creatarum, circa quas verſatur. Nam ejus diſtinctionis, quam nonnulli proferunt, quòd objectum ſcientiæ practicæ, quatenus ejus eſt effectus, eâ quidem poſterius eſt; at quatenus objectum præcisè, eâ prius eſt, prima pars eſt veriſſima; ſecunda autem falſa, præſertim in ſcientia diuina: quia objectum pręcisè, quâ objectum ſcientię, omnique ratione cauſę, vel effectus erga eam ſpoliatum, eâ nec prius, neque poſterius eſt. Ideoque ſcientiam Angelorum de rebus creatis, ijs neque priorem, neque poſteriorem eſſe docuimus ſupra Cap. 13. num. 11. & num. 7. diximus, eatenus ſolùm objectum eſſe naturâ prius potentiâ, ejuſque actu, ac cognitione, quatenus ejus eſt cauſa, vel efficiens, vel formalis, vel finalis: Scientiæ autem viſionis in Deo nulla res creata eſt, vel eſſe poteſt cauſa efficiens, vel formalis, vel finalis. Præterea dicant, ſi poſſunt, quodnam ſit illud genus prioritatis objecti, quâ objectum eſt; & ad quam ſpeciem prioris ex ijs, quas ex Ariſtotele communi Philoſophorum conſenſu receptas recenſuimus ſupra Cap. 2. reducatur.

8. OBIICIT quintò. Si ſcientia viſionis eſt cauſa rerum, deſtruet indifferentiam libertatis, imponetque neceſſitatem antecedentem actionibus humanis. Neganda eſt ſequela: Imò verò ea ſola ponit, tuetur, ac conſeruat libertatem; ſola facit, vt actiones humanæ, non ſolùm ſint, ſed etiam ſint liberæ, fiantque cum indifferentia à voluntate noſtra, cùm eâ Deus operetur omne ens, omneſque modos entis, de quorum numero eſt libertas actionum, & contingentia rerum. *5. Obiectio.* *Reſponſio.*

SIMILITVDO autem viſionis noſtræ in ea, quæ cernimus, nihil influentis, quâ interdum vtuntur SS. Patres, vt declarent, quo modo ſcientia Dei noſtram in agendo libertatem nihil lædat, contrariam ſentenriam nihil planè juuat: quia popularis quædam tantùm eſt, & ad vulgi captum accommodata comparatio, quæ facienda non eſt ſecundùm omnes conditiones in rebus comparatis exiſtentes. Neque enim viſio Dei ab objectis ſuis pendet, ſicut noſtra à ſuo, ſed ſolùm in eo, quòd ſcientia Dei, ſiue ſit viſionis, ſiue ſimplicis intelligentiæ, non plus detrahat de libertate noſtra,

viſionis, vnà cum decreto voluntatis diuinæ, eſt dicere Dei, quo res ſunt factæ, & creatæ. *Ipſe enim dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt.* Pſalm. 148.

11. Obiicit ſeptimò. Scientia viſionis eſt libera. Potuit enim non eſſe in Deo: ea autem quæ eſt ſimplicis intelligentiæ neceſſaria eſt: ergo hæc illâ prior eſt. *7. Obiectio.*

Pro ſolutione hujus objectionis aduerte, ſcientiam Dei, atque adeo omnes actus intellectus, & voluntatis diuinæ circa creaturas dupliciter conſiderari. *Primò*, ſecundùm ſe ex parte Dei tantùm: *Secundò*, prout reſpiciunt creaturas, & ad eas extrinſecè terminantur. Primo modo ſcientia Dei eſt ſimpliciter neceſſaria, & immutabilis: tum quia eſt Deus ipſe, & illa ipſa ſcientia, quam Deus habet de ſe, ideoque vt ſic neceſſaria: tum quia impoſſibile eſt Deum aliquid neſcire. Igitur neceſſario ſcit omnia. At ſecundo modo ſcientia Dei, vt reſpicit creaturas, & eas inuoluit tanquam terminum extrinſecum, non eſt neceſſaria, ſcilicet, ex parte termini, ſed libera, ſiue ſit ſcientia viſionis, ſiue ſimplicis intelligentiæ. Quæ enim creatura exiſtit, cùm liberè facta ſit à Deo, potueritque non exiſtere, hanc, ſecundùm illum modum actualis exiſtentiæ, potuit Deus non ſcire, ſcientiâ ſcilicet, viſionis, ſed tantùm ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ: & ſimiliter quæ creaturæ non ſunt, nec fuerunt, aut erunt vnquam, cùm eas potuerit Deus producere, & ponere in rerum naturâ, potuit etiam eas non cognoſcere ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ: igitur vtraque hæc ſcientia ex parte termini eſt libera.

Actus diuini dupliciter conſiderantur.

Scientia Dei quomodo neceſſaria, & quomodo non.

12. Deniqve ex longis, & innumeris SS. Patrum teſtimonijs, quæ pro ſua ſententia afferunt Aduerſarij, præſertim Didacus Ruiz paſſim in ſuis tomis de ſcientia, de Voluntate, Prouidentia, & Prædeſtinatione, quorùm aliqua retulimus ſupra Cap. 24. ne vnum quidem eis patrocinatur. Etenim cùm omnia ad quatuor Capita reuocari poſſint, quorum *primum* contineat ea, quibus dicunt res eſſe futuras, quia ſciuntur à Deo futuræ. *Secundum* ea, quibus contra negant eſſe futuras, quia à Deo ſciuntur. *Tertium* ea, quibus affirmant res ſciri à Deo, quia ſunt futuræ. *Quartum* ea, quibus ſignificatur res eſſe futuras, quia à Deo reuelatæ

Teſtimonia ex PP. deſumpta ad 4. capita reuocari poſſunt.

Digitized by Google

ſunt, & prædictæ in Scripturis, aut verbo tantùm, antè quàm eueniant.

Primi generis nihil probant. QVÆ primi generis ſunt, cùm dicant tantùm res eſſe futuras, quia ſciuntur, nec addant, quia ſciuntur ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ, hoc ex eis concludere, eſt committere fallaciam conſequentis: non ſecus ac qui ita argumentatur; eſt animal, ergo homo.

Inſtantia. 13. DICES, & nos etiam illis teſtimonijs vtentes idem vitium committere. Igitur ejuſmodi teſtimonia noſtram ſententiam nihil juuare poſſunt.

Soluitur. RESPONDEO, Quòd reuera ſi aliud nihil eſſet, nihil etiam nos juuarent, & idem eſſet vitium in noſtra argumentatione. Verùm cùm aliunde conſtet, & demonſtratum ſit Cap. præcedenti res non eſſe futuras, quia ſciuntur ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ, quando PP. dicunt eſſe futuras, quia ſciuntur, neceſſariò loquuntur de ſcientia viſionis. Itaque hypotheticus eſt noſter ſyllogiſmus, perque diuiſionem factus, non ſecus ac cùm ita argumentamur. Petrus hoc fecit, vel vt ſanus, vel vt æger; non vt ſanus, ergo vt æger; valet hæc concluſio, ſi Minor, nempe, *ſanum non feciſſe*, aliunde conſtet: Ita res ſunt futuræ, quia ſciuntur à Deo, vel ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ, vel ſcientiâ viſionis: non primum, vt aliunde conſtat: ergo ſecundum.

14. ADDE quòd ijdem SS. Patres alibi vtuntur expreſsè verbis, *videre*, *intueri*, & ſimilibus. Dicuntque res *Auguſtinus.* eſſe, quia videntur à Deo, vt Auguſt. lib. 13. ſuarum Confeſſionum cap. vltimo. *Nos itaque iſta, quæ feciſti videmus, quia ſunt: tu autem quia vides, ea ſunt,* Itaque rectè colligimus vocabula ſcientiæ, præſcientiæ, ſcire, cognoſcere, & ſimilia, quibus alibi vtuntur, cùm dicunt res eſſe, quia ſciuntur, de ſcientia viſionis intelligenda eſſe.

Neque ſecundi. 15. SI ſecundi generis ſint teſtimonia Patrum, negentque res eſſe futuras, quia ſciuntur à Deo, *Primò* id æquè probat, ne quidem eſſe à Deo per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, vt ex antedictis patet. *Secundò* ijs locis loquuntur de futuris actionibus liberis, voluntque eas non eſſe neceſſariò futuras, ex eo quòd ſciantur à Deo: atque adeo ſcientiam Dei ſiue ſit viſionis, ſiue ſimplicis intelligentiæ, nullam rebus contin-

Digitized by Google

gentibus, & liberis imponere neceſſitatem. *Tertiò* loquuntur de peccatis, & actionibus malis futuris, quas negant malas eſſe, quòd præſciantur à Deo, quâcunque ſcientiâ cognoſcantur.

16. Si tertij generis ſint Patrum teſtimonia, dicantque res à Deo ſciri futuras, quia futuræ ſunt, illud *quia* juxta expoſitionem S. Thomæ ſupra, nullam earum arguit cauſalitatem, aut prioritatem erga ſcientiam diuinam; ſed ſolam dicit neceſſitatem illationis, & conſequentiæ, quâ à poſteriori inferre licet, *ſi hoc eſt futurum, omnino Deus nouit eſſe futurum*, cùm ſuâ illâ ſapientiâ, & notitiâ ſit omnium cauſa. *Neque tertij.*

17. Si quarti generis ſint teſtimonia Patrum, vt quæ ex Athanaſio, Chryſoſtomo, Cyrillo, Epiphanio, Leone Magno & alijs refert Ruiz de Scientia Dei diſp. 33. ſect. 4. perſpicuum eſt, ea nihil pro aduerſariorum ſententia concludere, cùm non ſint ad rem, nec de ſcientia, aut præſcientia Dei loquantur; ſed de reuelatione diuina, quæ eſt res creata, & effectus Dei ad extra: & præterea clarum, & certum ſit, nec reuelationem, nec prophetiam vllam, ſiue ſcriptam, ſiue ſolũ ore prolatam, vt prophetiæ Chriſti de negatione Petri, de prædicatione per vniuerſum orbem vnguenti à Magdalena in ſuum caput effuſi, & ſimiles, eſſe cauſas illorum euentuũ futurorum, quos prædicunt. Hi enim ſemper forent, etiamſi nulla præceſſiſſet eorum reuelatio: At verò futuri nunquam eſſent, niſi eorum in Deo eſſet ſcientia viſionis, & niſi ab ea fierent, ſi boni ſunt. Quapropter in res futuras, ſiue ſint actus liberi voluntatis, vel ab his pendeant, ſiue non pendeant, nihil influunt prophetiæ, nec viciſſim prophetiæ, earumque veritas ab illis futuris pendet, niſi valde impropriè, & eo modo, quo terminus dicitur cauſa relationis. *Neque quarti.*

Sitne Ordo inter Dei decreta, ejuſque internos actus.

CAPVT XXXVI.

Inter decreta Dei nullus eſt ordo realis.

1. CERTVM, & indubitatum apud omnes eſt, in decretis Dei, alijſque internis, tam intellectus, quàm voluntatis diuinæ actibus eſſentialibus, nullum à parte rei realem, & intrinſecum eſſe ordinem, quòd omnes illi actus diuini re vnum, & idem ſint inter ſe, & cum ipſa eſſentia diuina: vbi autem vnum tantùm eſt, ibi nullus ordo, nulla prioritas, aut poſterioritas, reperitur; cùm ordo, vt ſupra Cap. 5. dictum eſt, ſit diſpoſitio plurium ſecundùm priùs, & poſteriùs. Nullus igitur eſt in Deo realis ordo, præter Originis diuinarum perſonarum, qui ab Auguſtino lib. 4. ſuper Geneſim cap. 34. & à Sancto Thoma 1. part. quæſt. 42. art. 3. *Ordo naturæ* appellatur: quo quidem vna perſona eſt, non prior alterâ; ſed ex altera, vt Filius à Patre, Spiritus-ſanctus ab vtroque.

Quomodo admittẽdus ordo in decretis Dei.

CERTVM præterea, aliquem in Dei attributis, decretis, & internis actibus aſſignari poſſe ordinem, per extrinſecam denominationem ab ordine, qui eſt in objectis, circa quæ verſantur, vel ab ordine rationis noſtræ deſumptam. Nam vt ait S. Thom. 1. part. quæſt. 44. art. 4. ad 4. *Nihil prohibet in Deo conſiderari multa ſecundùm rationem, quorum quædã priùs cadant in intellectu noſtro, quàm alia.* Et quæſt. 23. art. 4. *Electio,* inquit, *& dilectio aliter ordinantur in nobis, & in Deo, eo quòd in nobis voluntas diligendo non cauſat bonum, ſed ex bono præexſtente incitamur ad diligendum. Et ideo eligimus aliquem, quem diligamus. Et ſic electio dilectionem præcedit in nobis: in Deo autem eſt è conuerſo Nam voluntas quâ vult bonum alicui diligendo, eſt cauſa, quòd illud bonum ab eo præ alijs habeatur.*

D. Thomas

Recẽtiorum ſententia de ordine decretorum Dei.

2. AST alium quendam in decretis Dei rationis ordinem plerique Theologi, præſertim recentiores conſtituunt, quem hactenus innominatum, diſtinctionis causâ, quaſi ſucceſſiuum, & temporis ſecundùm rationem diſcreti ordinem nominare

Digitized by Google

poſſumus. Hunc enim componunt ex pluribus ſignis, & inſtantibus ſecundùm rationem ſeſe conſequentibus, quorum vnum dicunt primum, alterum ſecundum, 3. 4. 5. ſextum, & ſic deinceps, & cuilibet inſtanti ſuum decretum aſſignantes, aiunt illud eſſe primum, quod primo inſtanti attribuunt, illud ſecundum, quod ſecundo, & ſic de alijs; adeo vt quemadmodum res, & motus naturales, qui tempore, quod habet prius & poſterius, menſurantur, dicuntur eſſe in tempore, & in priori, vel poſteriori tẽporis, vt in menſura: ita dicunt decreta Dei eſſe in hoc, vel illo inſtanti rationis, priori, vel poſteriori, quaſi eſſent in illis, vt in menſura. De quo ordine ejuſque priori ac poſteriori, quid ſentirem, quamuis ex parte jam dixerim ſupra cap. 3. n. 9. 10. & ſeqq. & cap. 4. n. 6. 7. & ſeqq. plura tamen de eo adhuc ſuperſunt hoc loco vberiùs declaranda.

Hunc autem nonnulli tanti faciunt, vt ex eo pendere putent maximarum in Theologia quæſtionum ſolutionem; ac nominatim quæſtiones de Prædeſtinatione, de Incarnatione Chriſti Adamo non peccante, de immaculata conceptione B. Virginis; certitudine ſcientiæ diuinæ, futurorum contingentium, de concordia præſcientiæ ac concurſus diuini cum libertate creata, aliaſque hujuſmodi difficultates ſine tali ordine nec rectè intelligi, nec commodè explicari poſſe exiſtimant. Hujus ſententiæ ſunt Suarez 3. part. diſp. 5. ſect. 1. & alibi ſæpe, Gabriël Vaſquez 1. part. diſp. 67 & 82. cap. 3. Ludouicus Mæratius tracta. de Incarnatione diſp. 9. ſect. 5. Ioan. de Lugo de Incarnatione diſp. 7. ſect. 3. Ferdinandus Salazar lib. de Conceptione B. Virginis cap. 24. Leonardus Leſſius diſp. de gratia efficaci & decretis diuinis cap. 4. ſolut. ad 4. Arrubal in 1. part. diſp. 59. Hurtadus de Incarnatione diſp. 13. Alarçon in 1. part. 3. diſp. cap. 4. Didacus Aluarez de auxilijs lib. 5. diſp. 37. Philippus Moncæus diſp. 3. cap. 12. Maſcarenas lib. de auxilijs diſp. 2. part. 4. Albertinus tom. 1. Princip. Prin. 4. quæſt. 4. Tannerus tom. 1. diſp. 2. de Deo quæſt. 8. dubio 5. Et potiſſimùm Didacus Ruiz in omnibus ſuis tom. de Scientia Dei, de Voluntate, de Prouidentia Dei, & de Prædeſtinatione, & præcipuè tom. de Voluntate Dei diſp. 22. 23. 24. & tom. de Prædeſtinatione diſp. 59. quæ totæ ſunt de ejuſmodi ordine.

Prioris ſententiæ Authores.

Digitized by Google

Scotus vt ordinem admittat,

3. Scotvs quidem in 1. diſt. 41. quæſt. vnica num. 11. alicujus meminit ordinis decretorum Dei, at timidè, eumque ſumit tantũ ex parte objecti, non ex parte Dei. Probans enim prædeſtinationis ex parte prædeſtinati rationem nullam eſſe priorem ipſâ Dei prædeſtinatione, hæc habet. *Volens ordinatè finem, & ea quæ ſunt ad finem, priùs vult finem, quàm aliquod entium ad finem, quia propter finem alia vult. Ergo cùm in toto proceſſu, quo creatura beatificabilis producitur ad perfectum finẽ, finis vltimus ſit beatitudo perfecta, Deus volens huic aliquid iſtius ordinis, primò vult huic creaturæ beatificabili finem, & quaſi poſterius vult ſibi alia, quæ ſunt in ordine illorum, quæ pertinent ad illum finem: ſed gratia, fides, merita, & bonus vſus liberi arbitrij, omnia ad iſtum finem ſunt ordinata*, &c. Hæc ille. Qui cùm ait Deum volentem aliquid iſtius ordinis, Primò velle finem, & quaſi poſteriùs, quæ ſunt ad finem, ſatis indicat ſe impropriè loqui, & in Dei decretis non niſi abuſiuum eſſe ordinem, & proceſſum ſecundùm prius & poſterius.

Durandus.

4. Dvrandvs item ibidem quæſt. 10. ordinem, & proceſſum quemdam ſecundùm rationem noſtram deſignat, inter actus diuinos ad prædeſtinationem requiſitos, ſed ſolùm vt declaret quomodo electio in Deo ratione prior ſit prædeſtinatione. Cajet. etiam ad art. 3. quæſt. 1. 3. partis, & alij ibidem tractantes quæſtionem, *An veniſſet Chriſtus ſi Adam non peccaſſet*, cujuſdam meminere ordinis inter actus diuinos, cui tamen quæſtioni diſſoluendæ ordinem arbitror prorſus inutilem eſſe.

Caietanus.

2 Sententia nihili facit hunc ordinẽ decretorum Dei.

5. Secvnda ſententia prædictum ordinem non valde curat, eumque pro improprio habet, prorſuſque inutili ad difficultates Theologicas explicandas, necnon etiam pro falſo, prout à pleriſque digeritur, & inſtituitur. Ita ſentiunt non ſolùm nominales, vt Okam in 1. diſp. 9. quæſt. 3. Gabriël in 3. diſput. 2. quæſt. vnica art. 3. dubio 3. ſed etiam Capreolus, Ferrarienſis, alijque nonnulli Thomiſtæ, & Molina in 1. partem quæſt. 23. art. 5. diſp. 1. membro 7. eaque ſine dubio eſt ſententia S. Thomæ, D. Bonauent. Alenſis, Alberti Magni, Magiſtri Sententiarum, & fere omnium Antiquorum Theologorum, qui licet non ignorarint, quòd quemadmodum columna extrinſecè, & impropriè dicitur

dextera

Digitized by Google

dextera ab hominis juxta eam ſtantis dextera: ita intellectus, & voluntatis diuinæ actus nullum à parte rei inter ſe ordinem, nullamque prioritatem, aut poſterioritatem, realem habentes, denominari tamen poſſint extrinſecè alij alijs priores, & poſteriores ab ordine ſecundùm prius, & poſterius, qui eſt extra, in ipſis eorum objectis, vel in noſtro modo intelligendi, & volendi: nihilominus prædicti ordinis ſecundùm rationem ſucceſſiui nuſquam meminere, vel ad nullam prorſus Theologicam difficultatem diſſoluendam adhibuêre.

6. Hæc ſententia mihi longè melior probabiliorque videtur priore. *Primò*, quia quemadmodum ex eo quòd de Deo, ejuſque ſcientia, voluntate, alijſque perfectionibus enuntiationes, varioſque diſçurſus formet intellectus noſter, inde non ſequitur vllam Deo cognitionem enunciatiuam, aut diſcurſiuam etiam extrinſecè tribuendam eſſe: Ita ex eo quòd certo quodam rationis noſtræ ordine priùs, vel poſteriùs Dei actus, ſiue intellectus, ſiue volnntatis concipiamus, non propterea noſtrorum conceptuum ordo diuinis actibus attribuendus eſt. Nullum enim nomen, nullumque attributum in conceptu ſuo proprio, ſuaque formali ſignificatione inuoluens imperfectionem Deo propriè tribui, deque eo affirmari debet; ſed ad ſummum metaphoricè, tranſumptiuè, impropriè, ac ſecundùm analogiam, & aliquam tantùm ſimilitudinis vmbram: vt cùm dicitur *leo*, quia fortis, *agnus*, quia manſuetus, *ignis*, quia conſumit iniquitates, aut vindex eſt, aut ſentire, videre, audire, quia ſingularia perfectè cognoſcit. Imò quædam ne metaphoricè quidem ei tribui poſſunt, vt eſſe creatum, eſſe mortale, corruptibile, &c. At ordo qui eſt in rebus creatis, vel in noſtris conceptionibus, & volitionibus in ſuo conceptu formali imperfectionem, nempe multitudinem, compoſitionem, & independentiam ab alio includit. Igitur diuinis intellectionibus, & volitionibus propriè tribui non poteſt; ſed ad ſummum valde impropriè, & per denominationem extrinſecam.

1. pro 2 ſententia argumentum.

Quæ Deo tribui nequeũt etiam metaphoricè.

7. Nam quòd nos v. g. velimus aliquando finem, non cogitando de medijs, & ſtatuamus facere aliquid, antequam de modo, loco, tempore, medijſque alijs circumſtantijs particularibus cogitemus, & eas eligamus, id ex noſtra ori-

Digitized by Google

Modus intelligendi, & volendi Dei à noſtro eſt diuerſus.

tur, vel ignorantia, vel impotentia, quâ fit vt finem cogitantes, aut volentes, quæ ad illum conducunt, & nobis poſſibilia ſunt ignoremus. Deus autem, non tantùm ſimul duratione, & æternitate, ſed, vt dictum eſt, vno, eoque ſimplici actu perfectè nouit, & decernit omnia, nihilque vt nos intelligit, aut decernit imperfectè, ſucceſſiuè, confusè, inadæquatè, aut cum vna, aut altera tantùm objecti circumſtantia, & habitudine; ſed cum omnibus, & ſingulis etiam minimis cujuſque rei conditionibus, & circumſtantijs loci, temporis, durationis, cauſæ, aut effectus liberi, aut neceſſarij, prioris, aut poſterioris, alijſque, quas vnaquæque res habet, aut vnquam habitura eſt in ordine ad alias. Eſt enim ſcientia Dei erga creaturas, ſicut & ejus volitio perfectè practica; *Omnis autem ſcientia operatiua tantò perfectior eſt, quantò magis particularia conſiderat, in quibus eſt actus*, inquit Sanctus Thomas 1. parte quæſt. 21. art. 3.

2. Argumentum.

2. SECVNDÒ, quia ad res Theologicas, vel fidei myſteria, Deique opera ad extra commodè explicanda, nulla prorſus eſt hujus ordinis, quantumuis extrinſeci, neceſſitas, nulla vtilitas, vt pluribus poſtea oſtendemus. Quid enim in eo eſt, vel difficultatis, vel abſurditatis, & incommodi, quòd Deum multa, imò omnia ſimul intelligentem, & volentem concipiamus, perinde ac viſus noſter multos in agro flores, in pagina characteres ſimul intuetur: præſertim cùm ita ſit à parte rei, & reuera Deus omnia, non ſolùm ſimul, ſed vno, eoque ſimplici actu intelligat, & velit? Quam quidem vnam Dei intellectionem, quia mens noſtra vno ſuo actu exæquare, & diſtinctè capere nequit, cogitur pro objectorum, circa quæ verſatur, multitudine, varietate, ſuæque capacitatis anguſtijs, in multos conceptus partiri: At multos illos, & tantùm ratione noſtrâ diſtinctos actus diuinos ordinare, & ſecundùm prius, ac poſterius, quaſi ſucceſſiua diſponere, nulla nos, vel ratio, vel neceſſitas, vel vtilitas cogit.

Perfectius eſt multa ſimul, quàm ſucceſſiuè cognoſcere.

QVIN potius longè, & facilius, & perfectius eſt, Deum aliqua, imò omnia ſimul clarè, & diſtinctè, quàm ordine quodam vnum poſt alterum intelligentem, & volentem concipere. Vt enim citò, & facilè diſcere aliquid, melius eſt, & jucundius, quàm ægrè, tardè, multoque tempore, ideoque

Digitized by Google

metaphora intellectui noſtro gratior eſt, quàm nomina propria ex Philoſopho lib. 3. Rhetoric. cap. 10. *Faciliter*, inquit, *diſcere, ac intelligere naturâ omnibus eſt ſuaue. Verba verò aliquid ſignificant. Quare quæcunque ex verbis facilè nobis ingenerant diſciplinam, hæc ſuauiſſima ſunt; tranſlatio autem id maximè facit*, &c. Ita & Deo, & nobis, ſi fieri poteſt, longè perfectius eſt, multa ſimul clarè, & diſtinctè, vnâque cogitatione etiam non obumbrante concipere, quam ordine, & ſucceſſione quadam vnum poſt alterum cogitare.

9. TERTIÒ. Cùm qui ſunt in ipſis objectis actuum diuinorum ordines à parte rei ſint multiplices, quid cauſæ eſt, cur actus diuini ordinem, & denominationem prioris, & poſterioris ab ordine cauſalitatis, & dependentiæ, qui eſt in ipſis objectis ſumant potiùs, quàm ab ordine, prioritate, & & poſterioritate, vel temporis, vel dignitatis in eiſdem objectis exiſtente? Præſertim cùm actus diuini à ſuis objectis nullo modo pendeant; ſed contra, hæc ab illis; in quo noſtris diſſimiles ſunt. Quare meo quidem judicio, ex ordine temporis, vel dignitatis objectorum, æquè ordinari, & digeri Dei decreta poterunt, ac ex ordine cauſalitatis, & dependentiæ objectorum. Cur enim pari jure ſecundùm ordinem temporis decretum Dei de creando Adamo non dicatur prius decreto de Dauide, & vtrumque prius decreto de Chriſto creando: ordine verò dignitatis contra, decretum de Chriſto creando prius decreto de Dauide, aut Adamo.

4. Argumentum.

Secundùm ordinum genera, quæ ſunt in obiectis decreta Dei ordinari poſſunt.

10. QVARTÒ. Cùm pleraque objecta ſibi inuicem cauſæ ſint, ſaltem in diuerſo genere, vt medium, & finis, ambulatio, & ſanitas, gratia, & gloria, decreta Dei de illis objectis ſe ſe inuicem priora, & poſteriora dicenda erunt: quod tamen communiter non dicunt qui de ejuſmodi ordine adeo ſolliciti ſunt. Vnde Medina ad art. 3. quæſt. 1. partis 3. ſolutione ad primum, cùm admittat, quod veriſſimum eſt, idem eodem prius, & poſterius in diuerſo cauſarum genere, & ordine poſſe eſſe, Chriſtique gloriam in genere cauſæ finalis toto rerum naturalium ordine, in quo peccata ponit, priorem eſſe; peccatum verò, in cujus remedium Chriſtus eſt prædeſtinatus, in genere cauſæ materialis eâdem Chriſti

5. Argumentum.

Medina ſibi repugnat.

Digitized by Google

gloriâ prius eſſe, & occaſionaliter ab ea præſupponi, non conſequenter improbat ſolutionem tertiam, quam ibidem refert ad 2. argumentum, dicentem Chriſtum in genere cauſæ efficientis prius eſſe prædeſtinatum, quàm intelligatur peccatum: hoc verò in genere cauſæ materialis præſupponi Chriſto, in cujũs remedium eſt medicina parata. Quanquam peccatum non dicitur poſterius prædeſtinatione Chriſti, quaſi ſit ejus effectus, ſed quia ipſa expulſio peccati ejus eſt effectus, quæ ſupponit peccatum, vt forma priuationem, & vt quid habens rationem cauſæ materialis. Expulſio enim priuationis in rebus phyſicis ordine cauſæ materialis dicitur eſſe prior introductione formæ, licet forma ordine cauſæ formalis ſit prior, vt ſupra dictum eſt.

5. Argumentum.

11. QVINTÒ. Qui Theologi hoc decretorum Dei ordine in nonnullis controuerſijs, & difficultatibus Theologicis enodandis vtuntur, malè omnino ratiocinantur, & non niſi paralogiſmos committunt. Nam e. g. ex hoc principio, & Antecedente, quod inter cauſam & effectum, vt inter Solem & diem, inter pugnam & victoriam, merita & gloriam, eſt ordo naturæ, & cauſalitatis; in quo quæ res eſt cauſa, prior, & quæ effectus, poſterior & eſt, & dicitur, hoc Conſequens, ergo *Deus priùs vult, vel à nobis concipiendus eſt priùs velle, & decernere rem, quæ cauſa eſt, quàm ejus effectum nullo modo* rectè ſequitur: ſed hoc ſolùm in bona conſequentia concluditur. *Ergo Deus vult rem illam eſſe cauſam, & priorem naturâ, & cauſalitate eâ, quam vult eſſe illius effectum.* Nam vt rectè S. Thom. 1. part. quæſt. 14. art. 5. *Velle finem non eſt Deo cauſa volendi ea, quæ ſunt ad finem. Vult ergo hoc eſſe propter hoc, ſed non propter hoc, vult hoc.*

Quomodo paralogizet Aduerſarij.

Cauſam eſſe priorem ſuo effectu Deus non vult prius.

QVARE vult quidem Deus cauſam ſuo effectu naturâ priorem eſſe, at non propterea prius vult cauſam eſſe, quàm velit effectum eſſe, cùm ſimul, imò eodem actu vtrumque velit. Non ſecus ac qui vno oculorum intuitu ſcalas intuens, vnum quidem gradum videt eſſe primum, alterum ſecundum, & ſic deinceps, non tamen prius aſpicit primum, quàm ſecundum, cùm ſimul omnes videat. Igitur res omnes, & quos inter ſe habent cauſalitatis, naturæ, dignitatis, & temporis ordines omnes Deus ſimul vult, intelligit, & decernit,

Digitized by Google

ſuâque ſcientiâ, & voluntate illos omnes facit; non tamen propterea rectè dicitur priùs ſcire, aut velle, quod prius eſt, aut poſteriùs, quod poſterius eſt. Vnde ex eo quòd Chriſtus in Scripturis dicitur prædeſtinatorum primus, nullo modo ſequitur prædeſtinationem internam Dei de eo priorem eſſe, vel realiter, vel noſtro concipiendi modo, eo præſertim, quem plerique recentiores dicunt, internâ prædeſtinatione aliorum hominum: ſed ſolùm ſequitur prædeſtinationem externam Chriſti, quæ eſt effectus internæ, cauſam finalem, & exemplarem eſſe externæ prædeſtinationis aliorum hominum, vt pluribus docet Sanctus Thom. 3. part. quæſt. 24. art. 3.

Prædeſtinatio Chriſti prior non eſt aliorum prædeſtinatione.

12. MVLTOQVE ampliùs paralogizant, & decipiuntur, qui inde inferunt venturum Chriſtum, etiam ſi Adam non peccaſſet. Hæc enim Conſequentia, *Chriſtus eſt prædeſtinatorum primus, & noſtro concipiendi modo ante Adam, ejuſque peccatum præuiſus, decretus, & prædeſtinatus. Igitur venturus erat Adamo non peccante*, planè vitioſa eſt; & ſimilis huic, *Sol, cùm ſit cauſa diei, & varietatis tempeſtatum anni, à Deo, ſaltem noſtro concipiendi modo priùs volitus eſt, quàm dies, menſis, hyems, æſtas, ver, autumnus. Igitur ſi nulla dies, nulla anni varietas futura fuiſſet, Sol nihilominus à Deo creatus fuiſſet*: quæ Conſequentia, quàm ſit abſurda, nemo non videt.

Aliquorum de aduentu Chriſti paralogiſmus.

13. PARI modo, non rectè ratiocinantur, qui ex eo quòd concipiant Deum ſcientiâ conditionatâ cognoſcere priùs, quid voluntas, & cauſa libera in his, aut illis circumſtantijs factura ſit, ſi in eis poneretur; inde inferunt diuinæ ſcientiæ de futuris contingentibus certitudinem, & libertatis noſtræ cum præſcientia, & concurſu diuino concordiam. Nam, vt illa in Deo ſcientia conditionata, eaque prior abſolutâ eis gratis concedatur, cùm tamen hæc prioritas, ſicut & noſtra omnis intellectio Deo, diuiniſque actibus planè ſit extrinſeca, nihil omnino, vel certitudinis diuinæ ſcientiæ, vel libertatis, & indifferentiæ noſtræ voluntati tribuere poteſt, nec ipſum Dei concurſum à parte rei ſuauiorem, aut noſtræ libertati magis accommodatum efficere. Quales enim ſunt hæ conſequentiæ? *Hoc à parte rei eſt prius alio: Ergo Deus prius vult illud, quàm iſtud*: vel *noſtro more, & modo concipimus*

Aliorum paralogiſmus detegitur.

Digitized by Google

Deum hoc, vel illud prius volentem, ac decernentem: ergo reuerà, & à parte rei illud vult prius: vel *concipimus Deum prius ſcire conditionatè voluntatem in his, aut illis circumſtantijs hoc facturam, quàm id velit abſolutè, ergo hâc voluntate abſolutâ nullam infert libertati neceſſitatem.* Namque pari conſequentiâ inferendum eſſet, Deum velle priùs Petrum v. g. eſſe animal, quàm velit eſſe rationalem, cùm animal naturâ, & exiſtendi conſequentâ prius ſit, quàm rationale; aut velle priùs hominem eſſe rationalem, quàm velit eſſe capacem ſcientiæ, & virtutis. Eſſentia enim eſt prior naturâ ſuâ proprietate à ſe, ſiue re, ſiue ratione tantùm diſtinctâ.

Quanta ſit inter authores diſſentio de ordine decretorum Dei.

14. SEXTÒ, vel ipſa opinionum, & ordinũ de decretis Dei inter Theologos, qui ei tantopere addicti ſunt varietas, & diſcrepantia magnum eſt inutilitatis talium ordinum argumentum. Eum enim aliter Scotus, Cajetanus & Medina, aliter Suarez, aliter Vaſquez, aliter de Lugo, aliter Hurtadus, aliter Salazar locis ſupra citatis, aliter alij inſtituunt: & quidam hunc ad has, alij alium ad illas difficultates Theologicas exponendas adhibent. Quarum omnium opiniones ſigillatim hîc referre, ac refellere nimis longum, nec operæ pretium eſſet. Id ſolùm dicam in illo ordine in decretis Dei cõſtituendo pleroſque non ſatis conſentaneè loqui principijs, vnde illum petendum eſſe volunt: nempe ex ordine cauſalitatis, qui eſt in ipſis objectis, & ex ordine rationis noſtræ.

Cajetani ordo refellitur.

Nam Cajetanus v. g. cum tres diſtinguens rerum ordines, vnum *naturæ*, alterum *gratiæ*, tertium *vnionis hypoſtaticæ* ait Deũ primum velle totum primò, ſecundum ſecundò, tertiũ tertiò, ex illo principio, quòd decreta Dei ordinari debent ſecundũ ordinem naturæ, & cauſalitatis objectorum, vnde habet ordinem rerum naturalium ſimpliciter eſſe priorem eo, qui eſt gratiæ, & illo, quem vocat hypoſtaticum? Licet enim à parte rei res omnes naturales rebus ſupernaturalibus naturâ priores ſint, in genere & ordine cauſalitatis materialis, tamen ordine actus, perfectionis, & finis res ſupernaturales, nempe gratia, & gloria, naturâ priores ſunt rebus naturalibus. Mundus enim vniuerſus eſt propter electorum ſalutem, Deique gloriam, ideoque completo numero eorum finem habiturus eſt, vt habet. S. Thom. 1. part. quæſt. 73. art. 1. Cauſa autem finalis,

Digitized by Google

vt agnoſcit Cajetanus ibidem, ſimpliciter, & abſolutè prior eſt ijs, quæ ſunt ad finem, idemque dicendum de ordine gratiæ reſpectu ordinis hypoſtatici.

15. PRÆTEREA cur peccata omnia collocat in ordine rerum naturalium? Cùm enim priuatio oppoſito ſibi habitu naturâ poſterior ſit, peccatum autem formaliter ſit priuatio honeſtatis, & rectitudinis, quæ etiã in actibus tam naturalibus, quàm ſupernaturalib⁹ reperitur, omnino poſterius erit ordine, & honeſtate gratiæ. Imò peccatum propriè in nullo eſt ordine, tum quia nullius rei eſt cauſa, vel effectus per ſe; tum quia prius. & poſterius ſunt modi entis: peccatum autem formaliter nihil eſt, ſed tantùm priuatio; igitur non poteſt reponi in ordine rerum naturalium.

DEINDE vt omnes alij ei obijciunt, plurimi naturales effectus à cauſa ſupernaturali pendent, vt actiones naturales Lazari ab ejus ſuſcitatione, prolis impetratio à precibus Deo factis, & ſimiles. Denique eſto detur Cajetano totum naturæ ordinem à parte rei priorem eſſe integro ordine gratiæ, inde nullo modo ſequitur, Deum totum illum ordinẽ naturæ priùs intelligere, & velle, quàm intelligat, & decernat totũ ordinẽ gratiæ; ſed ſolùm ſequitur Deum ſcire, & velle ordinẽ naturalem eſſe priorem ordine gratiæ; quæ duo longè differunt.

16. DICAT Salazar agens de peccati originalis immunitate B. Virgini conceſſa, cur hoc ordine Dei decreta diſponat, vt in primo ſigno ponat præuiſionem lapſus Adami, & transfuſionem illius in ejus poſteros. In ſecundo prædeſtinationem de Chriſti morte, & paſſione. In tertio creationem, & prædeſtinationem B. Virginis ad gloriam, ad gratiã originalem, & ad maternitatem Chriſti. In quarto prædeſtinationem poſterorum Adami? Cùm enim B. Virgo fuerit mater, atque adeo cauſa Chriſti, ea juxta prædictum principiũ, ordinem decretorũ petendum eſſe ex cauſalitate objectorùm, priùs à Deo volita, & decreta dici debet. *Ordo Salazar planè arbitrarius.*

DICAT Suarez apud Salazar ibidem, cur in primo ſigno ponat Incarnationem ſecundùm ſuam ſubſtantiam, cùm ſic ſpectata nullius rei cauſa ſit, vel effectus; proindeque nullâ aliâ re prior, aut poſterior? Cur in ſecundo ſigno ponat B. Virginem, vt Matrẽ Dei, cũ vt ſic, id eſt, vt cauſa Chriſti eo prior eſſe *Item & ordo Suaris de Decretis Dei.*

Digitized by Google

debeat in decretis Dei? Idem abſurdum, eademque inconſequentia, contra omnes fere aliorum Theologorum ordines, afferri poteſt.

1. Obiectio. 17. Sed obijcies primò, vbi multitudo, ibi neceſſariò eſt vel ordo, vel confuſio: abſurdum autem eſt in Dei decretis confuſionem etiam ſecundùm noſtrum intelligendi modum ponere. Igitur in actibus diuinis debet eſſe ordo aliquis. Duplex eſt reſponſio. Prima abſolutè negat Majorem, quia inter res diſparatas, aut admodùm diſſitas, vt inter duos homines toto orbe remotos, aut inter duos, treſuè Mundos, ſi eſſent, nullus eſſet ordo: eo quòd ad ordinem, & confuſionem rerum, præter earum multitudinem, requiritur habitudo prioris, & poſterioris vnius ad alterum, per reſpectum ad aliquod primum, vt dictum eſt ſupra cap. 5. Iam verò vbi ordo eſſe non poteſt, neque confuſio. Hæc enim ordinis eſt, non pura negatio, ſed priuatio; ſupponitque in multitudine, in qua eſt, aptitudinem ad ordinem. Igitur decreta Dei, vt ordinis ſaltē intrinſeci, ſic confuſionis capacia non ſunt. Deinde ſicut Deus immutabilis quidem eſt, non tamen quietus; quia quies propriè eſt immobilitas ejus, quod moueri poteſt, ex Philoſopho lib. 3. Phyſic. textu 16. Deus autem motus incapax eſt: ita actuum diuinorum multitudo, vt ordinis realis, & intrinſeci; ſic & confuſionis incapax eſt. Secunda reſponſio conceſsâ Majore Minorem negat. Vt enim extrinſecùs tantùm decretis Dei ordo, ab eorum objectis vel à noſtro intelligendi ordine, tribuitur; ſic etiam confuſio extrinſecùs eis aduenit, ab eis ſcilicet, qui non rectè decreta Dei ſecundùm objectorum, rectumque noſtrum modum intelligendi cōcipiunt: quod plerique ex aduerſarijs faciunt.

Reſponſio 1. / 2. Reſponſio.

2. Obiectio. 18. Obiicies ſecundò illud axioma Scoti in diſt. 7. quæſt. 3. *ordinatè volens, finem priùs vult, quàm media; & ex medijs priùs vult viciniora fini, quàm remotiora*: Deus autem omnia vult ordinatè: igitur eſt ordo in voluntatibus, & decretis Dei.

Reſponſio. Concessa Majore Minor diſtinguenda eſt. Duplici enim ſenſu poteſt quis dici ordinatè, & priùs volens. *Primò*, tam ex parte volentis, quàm ex parte objecti: quando non ſolùm ſunt plura objecta volita, quorum vnum altero prius eſt

eſt cauſalitate, tempore, aut alio prioritatis modo, ſed etiam in volente plures ſunt actus, quorum vnus alio eſt prior, vel cauſalitate, vel tempore, vel alio modo. *Secundò*, ex parte objecti tantùm, non ex parte volentis. Hoc ſecundo modo Deus quidem vult omnia ordinatè, imò ordinatiſſimè. Vult enim, & facit omnes rerum omnium ordines, juxta illud Apoſtoli ad Rom. 13. *Quæ ſunt, à Deo ordinata ſunt.* Et Pſalmo 118. *Ordinatione tuâ perſeuerat dies.* Et Philoſophus 8. Phyſic. text. 15. *Nihil inordinatum eſt eorum, quæ naturâ, & ſecundùm naturam fiunt Natura enim cauſa eſt ordinis in omnibus.* At primo ſenſu Deus non vult ordinatè, quia vno tantùm, eoque ſimplici actu vult omnia, omneſque rerum ordines. Qui actus licet in plures pro objectorum multitudine, & ordinatione à nobis ratione diſtingui, & ordinari poſſint; quia tamen iſti ſecundùm rationem noſtram ordines ſunt tantùm extrinſeci, nihilque nos juuant ad vllas controuerſias Theologicas componendas, propterea eos nihili facimus.

19. OBIICIES tertiò cum Didaco Ruiz ſup. diſp. 22. ſect. 4. num. 17. ſi ordo decretorum Dei ſit tantùm denominatio extrinſeca ab objectorum, vel conceptuum noſtrorum ordine petita, etiam libertas formalis, & denominatio volitionis liberæ in Deo erit ei tantùm extrinſeca. Neganda eſt ſequela. Dupliciter enim cùm aliquid Deo extrinſecum dici poſſit, vel *ſimpliciter, ſeu totaliter*, ac ſecundùm id omne, quod in ſuo conceptu includit, vel *ſecundùm quid*, & ex parte tantùm, ac ſolùm ratione alicujus, quod in ſuo conceptu aliquo modo includit; volitio Dei libera ei extrinſeca eſt, non primo, ſed ſecundo tantùm modo. Omnis enim volitio, ſiue libera, ſiue non libera, cùm ſit intrinſeca volenti, ex ea ſaltem parte libertas Deo intrinſeca erit. Aliunde verò cùm terminus relationis ſit extrinſecus ei, cui ineſt relatio, & Dei libertas in ſuo conceptu includat habitudinem, & relationem rationis ad objectum extrinſecum non neceſſariò volitum, ex hoc capite libertas erit extrinſeca Deo: Ordo verò prioris, & poſterioris decretis Dei totaliter, & ſimpliciter eſt extrinſecus; quia nulla in Deo eſt intrinſeca decretorum pluralitas, nulla ſucceſſio, vel dependentia vnius ab

3. Obiectio.

Reſponſio.

Dupliciter aliquid alteri eſt extrinſecum.

Digitized by Google

alio, proindeque nullum prius, aut poſterius intrinſecum; ſed vt multiplicitas, ſic ordo qui illis tribuitur eſt tantùm, vel ab objectis, vel à noſtro intelligendi modo.

20. QVARE, vt hoc Caput concludam, Theologis, qui prædictum intellectionum, & decretorum Dei ordinem tanti faciunt, eoque ſe putant conſiliorum, myſteriorum, & operum diuinorum modum, ac rationem rectè capere, & optimè explicare, perquàm aptè quadrat, quod habet Auguſtinus lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 17. diſputans contra quoſdam Philoſophos negantes Deum infinita cognoſcere, volenteſque ipſum habere finitas rationes rerum, quæ Mundo ſemper duraturo varijs periodis, & conuerſionibus ſuo ordine in eum rediture eſſent. *Hîc*, inquit, *maximè iſti errant, quòd mentem diuinam omnino immutabilem, cujuſlibet infinitatis capacem, & innumera alia ſine cogitationis alteratione numerantem, de ſua humana mutabili, anguſtaque metiuntur : & fit illis, quod ait Apoſtolus. Comparantes enim ſemetipſos ſibimetipſis, ſemetipſos non intelligunt. Nam quia illis, quidquid n[illegible] faciendum venit in mentem, nouo conſilio faciunt, mutabiles quippe mentes gerunt, profectò non Deum, quem cogitare non poſſunt; ſed ſemetipſos pro illo cogitantes, non illum, ſed ſeipſos, non illi, ſed ſibi comparant.*

Auguſtinus.

Refellitur doctrina Didaci Ruiz de ordine Decretorum Dei.

CAPVT XXXVII.

1. DE hoc ordine, locis à nobis Capite præcedenti notatis, permulta habet Didacus Ruiz parum, vt mihi videtur, firma, nec ſatis ab eo ſolidè conſtituta, vt mirum non ſit, ſi plurima alia, quæ ab eo paſſim ſingulis ſuis de Scientia Dei, de ejus Voluntate, de Prouidentia, & de Prædeſtinatione tomis, tam mollibus, & ruinoſis impoſita ſunt fundamentis, prorſus corruant.

1. Ruiz propoſitio de ordine decretorum Dei.

Ac in primis tomo de Voluntate Dei diſp. 22. ſect. 4. num. 22. ait *ejuſmodi ordinem diuinis actionibus non eſſe abſolutè intrinſecum, eoquòd realis non ſit; ſed ſolùm ens rationis: eſſe ni-*

hilominus aliquo modo intrinſecum, quatenus prouenit ab intrinſeca entitate reali actus diuini.

VERVM ſi ens rationis eſt, quî poteſt eſſe intrinſecus Deo, ejuſque actionibus, cùm natura entis rationis ſit eſſe objectiuè tantùm in intellectu noſtro, non extra in rebus à nobis cognitis. *Refellitur.*

2. SECVNDO ibidem ait num. 5. hunc ordinem in eo conſiſtere, quòd *vnus actus ſit prærequiſitus ad alterum, ſit ejus ratio, vel conditio, vel occaſio requiſita, ipſaque quaſi dependentia* inquit ſect. 5. num. 8. *vnius actus ab alio, formaliſſimè ſit ille ordo prioris ad poſterius.* *2. Propoſitio.*

SED contra primò, definitum ponit in definitione, cùm ait vnam operationem eſſe aliquo modo prærequiſitam ad aliã, vel vnam ſecundùm rationẽ præſupponere aliam. Quid enim aliud particula illa *præ* bis repetita, quàm prioritatem expreſsè, & formaliter ſignificat? *Refellitur.*

SECVNDO, cùm prius & poſterius termini ſint valde æquiuoci, vt conſtat ex ſupradictis, de quo priori intelligendum ſit, illud *præ* diſtinctè non exprimit.

TERTIO, nulla Dei operatio ei eſt ratio, conditio, vel occaſio requiſita ad aliam internam operationem, vt pluribus poſtea oſtendetur.

QVARTO, operationes internæ Dei abſolutæ (Neque enim hîc agitur de relatiuis, & proceſſionibus perſonarum diuinarum) à parte rei ſunt vna, & ſimplex eſſentia diuina, nec multæ ſunt, niſi ſecundùm rationem noſtram, & per denominationem extrinſecam à multis, & diuerſis noſtris conceptibus, quibus vnam illam eſſentiam diuinam apprehendimus. Igitur inter eas nullus eſt ordo intrinſecus, ſed ſolùm extrinſecus, à noſtrarum intellectionum, vel objectorum, circa quæ verſantur, ordine.

3. QVINTO, Non modo nullus intrinſecus, ſed ne quidem extrinſecus vllus ordo actuum Dei internorum vllo modo neceſſarius eſt, vel ad rectam rerum intelligentiam, vel ad vllam quæſtionem, aut difficultatem Theologicam expediendam, vt conſtabit ex dicendis poſtea; tum quia licet, vt jam monuimus, neceſſitate compulſi multos de Deo conceptus in hac vita (nam in alia id non erit) formare cogamur, quia

vno ſimplici actu, quæ Dei ſunt adæquare non poſſumus, tamen ordinē ſiue ex objectis, ſiue ex noſtro concipiendi modo illis attribuere, nihil eſt neceſſe; cùm eos ſimul in Deo eſſe rectè cogitare poſſimus. Nam ſi quia ratione multi ſunt, ordo inter eos aliquis eſſe debet, etiam actibus de objectis diſparatis, nullamque ad inuicem habitudinem habentibus, ordo tribuendus eſſet.

3. Propoſitio. 4. Tertiò ait ſect. 4. num. 16. *Reale fundamentum ejuſmodi ordinis eſſe, vnum actum non poſſe eſſe ſine alio, v. g. volitionem medij, ſine volitione finis, iſtamque velut dependentiam volitionis medij à volitione finis eſſe poſterioritatem in illo ordine.*

Refellitur. Sed contra, vbi omnia ſunt vnum & idem, impoſſibile eſt, vel eſſe, vel intelligi quaſi dependentiam vnius ab alio: at omnes actus diuini ſunt vnum & idem realiter. Deinde iſta dependentia tota eſt extrinſeca, & ex parte objectorum, ſcilicet, medij & finis, circa quæ verſantur. Præterea ait eſſe *velut, & quaſi dependentiam.* Dicat ergo eſſe quaſi prioritatem ſecundùm rationem cauſæ. Itaque falſum eſt, quod ait, ejuſmodi dependentiam *eſſe mutuam*, eamque interdum æqualem vtrinque, interdum inæqualem. Si enim nulla eſt, nec mutua, nec non mutua, nec æqualis, nec inæqualis erit.

4. Propoſitio. 5. Qvartò ait *ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & conditionatam in Deo priorem eſſe ſcientiâ viſionis, omnique actu libero voluntatis diuinæ*, Quod non videtur dictum conſequenter, eo

Reijcitur. quòd nulla ſit inter ejuſmodi actus Dei quaſi dependentia, nec vnus alium præſupponat, vt pluribus poſtea oſtendetur.

5 Propoſitio. 6. Qvintò docet, *nullum eſſe in actibus diuinis ordinem executionis, ſed ſolùm intentionis.* Si per ordinem executionis intelligat, vnum Dei actum alterius cauſam non eſſe, neque

Improbatur. materialem, neque efficientem, rectè id quidem; ſed pari ratione, nullum etiam intentionis ordinem conſtituere debet inter actus internos Dei, quia nullus eſt gratiâ alterius, nec vllus cauſa finalis alterius. Si vero per ordinem intentionis actuum diuinorum intelligat, Deum velle vnum objectum eſſe cauſam finalem alterius, velleque plures fines à parte rei ſubordinatos, & per ordinem *executionis,* vel meliùs *electionis* Deum velle, vnum objectum eſſe cauſam effectiuam alterius, vt gratiam, & merita gloriæ æternæ, vterque ordo pari

Digitized by Google

jure Deo tribuendus erit.

7. QVARE falſum etiam eſt, quod ait diſp. 12. ſect. 7. tom. de Prædeſt. num. 14. 15. 18. *In noſtris etiam volitionibus nullum eſſe executionis ordinem, ſed ſolùm intentionis, quamuis vterque in operationibus extra nos tranſeuntibus reperiatur.* Nam per ordinem executionis in actibus noſtræ voluntatis aliud nihil intelligitur, quàm ordo electionis, ſeu illa ſeries & conſecutio actuum, & electionum voluntatis, quibus diuerſa vult, eligit, & applicat media ad finem conſequendum: At experientiâ quotidianâ certum eſt, hunc eſſe ordinem in actibus noſtræ voluntatis. Qui enim it Romam, v. g. vt eò perueniat, quàm multa cogitat, vult, eligit, & adhibet media, quorum vnum ſæpe, aut fere ſemper eſt cauſa alterius; & ægrotus quã multa vult, & eligit media alia ab alijs dependentia, vt ſanitatem recuperet. Vult enim accerſiri medicum, morbũ ſuum ei aperire, quæ præſcripſerit ferri ad pharmacopolam, allatam potionem ſumere, &c. *Oſtenditur dari ordinẽ executionis in actibus internis.*

8. NEQVE obſtat, quod ait, nullam eſſe diſtinctionem realem inter actus diuinos. Id enim rectè probat, nullum eſſe verè in Deo realem ordinem intrinſecum, ſiue intentionis, ſiue executionis, vel electionis. Nam & in nobis ipſis, cùm vnus & idem realis actus ſimul eſt intentio & electio, vt docet S. Thom. 1. 2. quæſt. 12. art. 4. nullus tunc in noſtra voluntate propriè eſt ordo realis ſiue intentionis, ſiue electionis; quia nulla tunc eſt actuum multitudo, nullaque dependentia vnius ab alio, licet finis & medium, circa quæ voluntas illo vno actu verſatur, ſint re diſtincta, veramque habeant dependentiam mutuam, medij à fine, & finis à medio, proindeque verum ordinem realem ſecundùm cauſalitatem: nihilominus duo etiam tunc diſtinguendi ſunt ratione diuerſi ordines, vnus electionis, alter intentionis. Nam vt in via accliui & decliui, in aſcenſu, & deſcenſu, qui vna, eademque re ſunt via, duo ſunt ratione diuerſi & oppoſiti ordines. Ita in vno, eodemque voluntatis noſtræ actu duo ſunt ratione diſtincti ordines, vnus electionis, alter intentionis. *Inſtantia.* *Reijcitur.*

9. SEXTÒ ait, *Diuinæ cognitionis & volitionis ordinem diſcrepare ſæpe ab ordine obiectorum extra Deum, circa quæ verſantur.* Quod dictum ſi ita intelligatur, quòd in Deo nullus eſt *6. Propoſitio.* *Refellitur.*

Digitized by Google

ordo tẽporis, vel cauſalitatis, qualis eſt in objectis, vel id, quod in vno ordine eſt prius, in alio ordine non ſemper eſſe prius, id veriſſimum eſt, nec in Deo magis, quàm in nobis reperitur. Nam in ſcalis qui à parte rei gradus in ordine aſcenſus primus eſt, ordine deſcenſus eſt vltimus: in Dei autem, vel hominis ejuſmodi ſcalas cogitantis, & volentis intellectione, & volitione, nullus eſt ordo. Si vero per ordinem, qui in Deo eſt, intelligat denominationes extrinſecas ab ordine objectorum, diuinis actibus attributas, impoſſibile eſt alium eſſe decretorum Dei ordinem, quàm qui eſt in rebus, nec vllum ex argumentis, quæ affert, contrarium euincit.

1. Ruiz argumentum. 10. PRIMVM eſt, *Deus*, inquit, *poteſt pro libito velle hoc eſſe prius illo, vel hoc non dependere ab illo, à quo dependet*; ergo ordo intellectionum, & volitionum diuinarum eſt contrarius ordini rerum extra Deum.

Reſponſio. RESPONDETVR, diſtinguendo Antecedens. Si ordo vnius objecti ad aliud, vtrique eſſentialis, aut neceſſarius ſit, vt ordo materiæ ad formam, vel formæ ad materiam, à Deo pro arbitrio mutari poteſt, falſum Antecedens: ſi verò objectis tantùm accidentalis ſit, vt ordo cauſæ efficientis ad effectum, ſolis ad plantam, Adami ad Abelem, tunc verum eſt Antecedens, eoque ſimpliciter conceſſo neganda erit Conſequentia. Nam à parte rei in objectis is ſemper ordo erit, & non alius, quàm quem Deus eſſe voluerit, idemque & non alius, actus diuinos denominabit. Propterea argumentum aliud nihil probat, quàm Deum objectorum quoſdam ordines mutare poſſe, quòd illis ſint accidentales, eis adeſſe, & abeſſe ab eis poſſint, ſaluâ & incolumi eorum naturâ & exiſtentiâ.

2. Argumentum Ruiz. 11. SECVNDVM Didaci argumentum eſt. Objectum ex natura ſua non poſtulat eſſe prius, aut poſterius hâc vel illâ prioritate, aut poſterioritate: Ergo ordo decretorum, & volitionum Dei circa illud diſcrepat ab ordine, quem habent ipſa objecta extra Deum.

Reſponſio. RESPONDETVR, Conceſſo Antecedente Conſequentiam nullam eſſe. Vt enim objectum ex natura ſua nullum poſtulet ordinem nullo modo ſequitur, alium eſſe ordinem in decretis Dei, quàm in objectis: Imò contrarium eſſet

Digitized by Google

inferendum, nempe objectum illum habiturum ordinem, quem Deus habere voluerit, eumque ordinem ei planè accidentalem eſſe; ſed non eſſe diuerſum ab eo, quem extrinſecè ab illo objecto attribuimus actibus diuinæ voluntatis.

12. TERTIVM eſt, Deus res priùs cognoſcit eſſe poſſibiles, quàm eſſe actu: nos contra priùs cognoſcimus rem eſſe actu, quàm eſſe poſſibilem: igitur ordo intellectionum diuinarum non correſpondet ordini noſtrarum. *3. Argum.*

HVIVS argumenti ſolutio, petenda ex dictis ſupra, Cap. 8. & diſtinguenda eſt vtraque pars Antecedentis duplici diſtinctione, propter duorum, quæ illis continentur terminorum æquiuocationem, ſcilicet, *prius*, & *poßibile*. Prius enim, vel tempore, vel duratione, vel cauſalitate, vel conſequentiâ, vel alijs modis dicitur: ſimiliter *poßibile* ſumi poteſt, vel vt opponitur impoſſibili, aliudque nihil eſt, quàm id, cui non repugnat eſſe: vel vt opponitur actuali, dicitque id, quod non eſt actu, cùm poſſit eſſe. Itaque in prima parte Antecedentis ſi *prius* accipiatur pro prioritate durationis, vel cauſalitatis, falſa eſt illa pars: tum quia Deus ſimul, & ab æterno cognoſcit omnia: tum quia non ideo Deus cognoſcit aliquid eſſe actu, quia cognoſcit eſſe poſſibile. Falſa item ſi *poßibile* ſumatur ſecundo modo, vt opponitur actuali. Id enim quod eſt, quodque Deus cognoſcit eſſe actu, non cognoſcit non eſſe actu. Si verò *prius* ſumatur pro prioritate ſecundùm conſequentiam, & *poßibile* prout opponitur impoſſibili, non tantùm reſpectu Dei, ſed etiam reſpectu noſtri intellectus, res eſt, & cognoſcitur priùs poſſibilis, quàm ſit, & cognoſcatur actu. Ratio eſt, quia ab hac poſſibilitate ad actum non valet conſequentia, cùm valeat ab actu ad illam poſſibilitatem. Quod enim eſt actu, eſt poſſibile, id eſt, non eſt impoſſibile, nec actus ei repugnat; non contra, quod eſt ita poſſibile, eſt actu. Quare ſecunda etiam pars Antecedentis, nempe *Nos prius cognoſcere aliquid eſſe actu, quàm poßibile*, hoc eodem ſenſu falſa eſt. Non enim prius prioritate conſequentiæ nouimus aliquid eſſe actu, quàm eſſe poſſibile; ſed contra. Imò verò etiam priùs tempore plerumque rem eandem nouimus eſſe poſſibilem, quàm eſſe actu non ſolùm reuelatione diuinâ, vt diem Iudicij, & Antichri- *Reſponſio.*

Digitized by Google

ſtum fore; ſed etiam cognitione naturali, ſiue ſit neceſſaria, vt dies craſtina, ſiue ſit contingens, vt Medicus ægroti ſanitatem, vel mortem futuram ſcientiâ conjecturali priùs nouit futuram, quàm præſentem, & actu exiſtentem.

4. Obiectio. 13. OBIICIES quartò cum eodem Authore diſp. 22. ſect. 2. num. 3. ſicut ridiculum eſt dicere cogitationem, aut volitionem diuinam eſſe calidam, quia eſt ignis calidi; ita & dicere eandem eſſe priorem cognitione, ac volitione fumi, quòd ignis ſit prior fumo. Reſpondeo parem vtriuſque *Reſponſio.* eſſe rationem, quia reuera, vt ait S. Thom. in voluntate diuina nihil eſt prius, aut poſterius, ſed ſolùm ex parte volitorum, vel noſtri modi concipiendi; nec vna Dei volitio prior alia veriùs, rectiùſque dici poteſt; quàm ſi vna, eademque ſimplex viſio ſcalarum quatenus terminatur ad gradus priores, prior; & poſterior quatenus ad poſteriores, diceretur. Quoniam tamen, quod vel ex parte objecti, vel ſecundùm rationem noſtram tantùm prius eſt, ſiue breuitatis causâ, & ne toties repetatur illud *ex parte objecti*, vel *ſecundùm rationem noſtram*, vel *noſtro concipiendi modo*; ſiue quòd, vt concipimus, ita loquimur, communi loquendi conſuetudine, prius ſimpliciter, & ſine addito dicimus; propterea minùs inſolens, & minùs improprium videtur dicere ſimpliciter, Deum hoc, vel illud prius, aut poſterius velle, & decernere: ſubintelligendum tamen ſemper eſt additum, quod ſubticetur, nempe *ex parte objecti*, vel *noſtro ſcilicet concipiendi modo*, vel *ſecundùm noſtram rationem*.

Ordinis inter decreta Dei, vel neceſſitatem, vel vtilitatem ex Scripturis ſacris colligi non poſſe.

CAPVT XXXVIII.

1. DICO primò, Neque ex nominibus, & terminis ordinem, & prioritatem quandam ſignificantibus, quibus Scripturæ ſacræ frequenter vtuntur, cùm de conſilijs, & decretis Dei circa Mundi gubernationem, hominumque ſalutem loquuntur, dicuntque Deum

Deum aliquid præſcire, præordinare, præuidere, prædefinire, prædeſtinare, prædeterminare, eligere ante, priùs, &c. neque ex prouidentiæ, ac prædeterminationis definitionibus vllum in decretis Dei ordinem, ſiue intrinſecum, ſiue extrinſecum rectè inferri.

2. PRIMÒ, Quia prioritas prædictis omnibus terminis importata nullo modo eſt inter ipſa Dei decreta, actuſque ſiue intellectus, ſiue voluntatis diuinæ ad inuicem comparatos; ſed eſt eorum ad objecta, & res, quæ ſunt extra Deum, eaque prioritas realis, quâ vel æternitate, vel cauſalitate præcedunt res omnes temporales, vt pluribus demonſtrabitur ſequenti aſſertione. Ideoque rectè Durandus in 1. diſt. 11 quæſt. 1. Prædeſtinationis notionem exponens, *Quia*, inquit, *rationes rerum praexiſtunt in Deo, antequàm fiant, ideo ratio talis deſtinationis creaturæ in finem ſupernaturalem praexiſtens in Deo, propter anteceſſionem ad rem, dicitur Prædeſtinatio.* ***Durandus.***

3. SECVNDÒ, Licet Prouidentiæ, ac Prædeſtinationis, quæ illius pars quædam eſt, in Scripturis ſacris paſſim mentio fiat, & vtraque à nonnullis definiatur, Ordo mediorum ad finem naturalem, vel ſupernaturalem; neutra tamen vllam in decretis Dei rationem prioris, & poſterioris includit: tum quia longè meliùs à Sancto Thoma Prouidentia, Ordinatio & ratio ordinis dicitur: tum quia Ordo dicitur, non formaliter, ſed cauſaliter, & effectiuè, vel objectiuè in rebus creatis. Nam quemadmodum Princeps aciem inſtructam, & ordine militari diſpoſitam, vno oculorum intuitu cernens, aut vno actu imperij ordinari, & ad pugnam parari jubens, nullum propterea, niſi objectiuum, vel effectiuum in ſua viſione, aut volitione habet ordinem. Ita cùm Deus vno ſimplici actu, & cognoſcat, & decernat omnes, qui nunc ſunt, rerum omnium ordines, nullum niſi objectiuum habet ordinem in ſuis conſilijs, aut decretis. Igitur ex eo quòd à parte rei res vna ſit prior alterâ, ſiue tempore, ſiue cauſalitate, vel quòd nos velimus, aut concipiamus vnum priùs, quàm alterum, v. g. finem priùs, quàm media, non licet inferre à parte rei Deum priùs velle rem vnam, quàm alteram, & finem priùs, quàm media decernere: quia cùm in Deo omnia ſint æterna, & independentia, imò vnum ſint, ***Similitudine declaratur.***

nihilque vel naturâ, vel cauſalitate, aut alio quouis modo in eo ſit prius, aut poſterius: ex rerum creatarum, noſtrarumque cogitationum, aut volitionum multitudine, ordine, prioritate, aut poſterioritate, nullus in Deo intellectionum, aut volitionum ordo, nulla multitudo inferri poteſt. *Nec in volitione diuinâ*, vt rectè Ferrarienſis ſupra, *dari poſſunt plura inſtantia naturæ extra intellectum, in quorum vno Deus velit vnum, & in altero alterum, vel priùs vnum velit, quàm alterum videat, cùm omnes diuini actus ſint æterni, & ſint realiter idem cum diuina eſſentia.* Itaque in rigore loquendo, vt admonet Ferrarienſis ibidem, dicendum non eſt, Deum vnum priùs velle decernere, aut intelligere, quàm aliud, vnumque ejus decretum eſſe prius alio, aut intellectionem eſſe priorem volitione, vel contra: ſed cum Diuo Thoma dicendum Deum *velle hoc eſſe propter aliud*, vel *hoc eſſe priùs, quàm illud*, ſiue tempore, vt Adam Chriſto, ſiue ordine, & cauſalitate, vel finali, vt gloria meritis, vel materiali, aut etiam efficiente, vt merita priùs eſſe, quàm gloria æterna: vel ſaltem ſæpius admonendum nos ex noſtro intelligendi, & volendi modo, Dei decreta ſecundùm prius, & poſterius ordinare; ita vt tota primitas, prioritas, poſterioritas, totuſque ordo ſit ſolùm in noſtro intellectu, ex noſtro volendi, & intelligendi modo, & ordine, vel ex ipſo reali ordine objectorum, circa quæ Dei intellectiones, & decreta verſantur, eumque ordinem extrinſecè tantùm, impropriè, & abuſiuè ipſis decretis diuinis applicari. Nam plerique minùs cauti, & non ſatis intelligentes, cùm in Recentiorum libris tam frequenter legunt, vel in Diſputationibus ſæpius audiunt, dici ſimpliciter Deum hoc, vel illud priùs velle, vel hoc Dei decretum eſſe prius alio, verum aliquod intrinſecum, & reale in decretis Dei prius, & poſterius ſibi facilè, & falsò perſuadent.

Ferrarienſis.

NOTA.

4. DICO ſecundò, Scripturæ ſacræ loca omnia, quibus ordo, & prioritas, ſeu anteceſſio quædam ſcientiæ, aut voluntatis diuinæ ſignificatur, intelligenda non eſſe de vllo ordine, aut prioritate rationis, & ſecundùm noſtrum intelligendi modum, inter ipſas Dei intellectiones, & volitiones; ſed ſolùm de ordine, & prioritate reali, vel durationis, &

De qua prioritate Scripturæ ſint intelligenda.

æternitatis, vel cauſalitatis, quâ Dei ſcientia, ejuſque decreta Creaturas omnes antecedunt; aliudque nihil de mente, & intentione Spiritus Sancti ſignificare, quàm ſcientiam, & decreta Dei realiter, & æternitate, & cauſalitate priora eſſe ipſis rebus cognitis, & decretis.

5. PROBATVR primò, quia ex dictis locis Scripturæ nonnulla hoc diſertis verbis continent, ad Epheſ. 1. *Elegit nos in ipſo ante Mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati.* 1. ad Corinthios 2. *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quàm prædeſtinauit Deus ante tempora ſecularia in gloriam noſtram.* 1. Petr. 1. *Præcogniti quidem ante Mundi conſtitutionem, manifeſtati autem nouiſſimis temporibus.* 2. ad Timoth. 1. *Vocauit nos vocatione ſuâ ſanctâ, non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto, ante tempora ſecularia.* Et ad Tit. 1. *Promiſſa dicitur ſpes æternæ gloriæ ante tempora ſecularia.*

6. DE eadem prioritate reali, & anteceſſione æternitatis intelligenda ſunt alia loca, quæ important aliquam prioritatem decretorum Dei; vt ad Epheſ. 2. *Creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Act. 22. *Deus Patrum noſtrorum præordinauit te*, inquit Ananias ad Paulum, *vt cognoſceres voluntatem ejus, & videres Iuſtum, & audires vocem ejus.* Ad Rom. 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit fieri conformes imagini filij ejus, qui diligunt illum.* Denique celebris locus ille ad Rom. 9. *Cùm nondum nati fuiſſent, & aliquid boni, vel mali egiſſent, vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret; non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, quia major ſeruiet* (id eſt poſtponetur) *minori, ſicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſaü autem odio habui*, ſiue intelligatur de ipſis perſonis Iacob & Eſaü, ſiue de populis ab vtroque deſcendentibus, deque eorum dilectione, vel ad bona temporalia ſolùm, vel ad ſpiritualia, & ad gloriam æternam, ac de eorum odio, ac reprobatione à gloria. Ille inquam locus ſufficienter quidem, & rectè probat & Iacob non ex ſuis meritis, ſed ex ſola Dei voluntate, electione, ac propoſito dilectum, hoc eſt donis amplioribus præ Eſaü fratre cumulatũ, & Eſaü item à Deo ex ejus propoſito, ac voluntate, & ſine vllis antecedentibus illius demeritis odio habitum, odio *Ad Rom. 9.*

Digitized by Google

inquam negatiuo, hoc eſt non tantis bonis, tantâque gratiâ à Deo donatum. At nullum propterea in Dei conſilijs, & decretis indicat ordinem, nullum inter ea prius, aut poſterius. Nam aduerbium *(Nondum)* omnino ſignificat aliquod ante, & prius reale, ſcilicet, vel æternitatis, ſi de Dei præſcientia, amore, odio, alijſque ejus actibus internis circa Iacob & Eſaü hic locus intelligatur: vel temporis, ſi vt poteſt, & apertè declarant hæc verba *Dictum eſt ei*, exponatur de ſola reuelatione facta Rebeccæ, Geneſ. 25. quæ ſine dubio vtriuſque fratris, & natiuitate, & operibus, ſiue bonis, ſiue malis tempore prior fuit. Itaque & hoc, & præcedentibus locis nullus in decretis Dei ordo innuitur, ſed ſolùm ſignificatur, quod dicebat S. Petrus Act. 25. *Notum* (intellige etiam decretum) *à ſeculo eſt Domino opus ſuum.*

7. NEQVE verò etiam vllum in decretis Dei ordinem innuit locus ille Prouerbiorum 8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret*, ex quo plerique Recentiores exiſtimant ſufficienter probari, & Chriſtum in decretis Dei Prædeſtinatorum primum eſſe, proindeque venturum Adamo non peccante, & immaculatam B. Virginis Conceptionem: quaſi, vt crearetur, & eſſet etiam gratiâ plena, priùs à Deo cognitum, volitum, & decretum ſit, quàm peccatum Adami cognitum, vel permiſſum.

Prouerb. 8.

Locus prædictus accipiendus de Sapientia increata.

ETENIM communis eſt SS. Patrum, & Interpretum ejuſmodi Scripturæ ſententia, locum illum in ſenſu litterali, & ex primaria Spiritus Sancti intentione intelligendum eſſe, de æterna Filij Dei generatione, & de Sapientia Dei increata, quæ Mundum vniuerſum, & omnes, quæ in eo ſunt, Creaturas, non ſecus ac Pater, æternitate, exiſtentiâ, & efficientiâ longe antecedit: & vocabula illa, quæ in ejuſmodi ſententia prioritatem, & anteceſſionem præ ſe ferunt, intelligenda eſſe de reali prioritate, & anteceſſione originis, ac generationis Filij Dei, & proceſſionis Sapientiæ increatæ, quæ æternitate realiter anteceſſit vniuerſam Creaturarum à Deo proceſſionem, omniaque externa Dei opera, vt verba ipſa apertè indicant, *Antequam quicquam faceret à principio.*

Digitized by Google

Nondum erant abyſſi, necdum fontes aquarum eruperant, necdum montes graui mole conſtiterant, ante omnes colles. Quis autem montes, fontes, colles, terram, abyſſos, & ſimilia, Dei cogitationes, & decreta de illis creandis ſanè, & cum probabilitate expoſuerit? Cùmque ait Scriptura, *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*, per *vias* Sancti Patres, & Interpretes communiter, non internas, & æternas Dei cogitationes, ſed creaturas à Deo productas intelligunt, quæ ſunt quaſi via, quibus Deus veluti extra ſe procedit, à ſe quodam modo exit, & ad nos, & ad ſuas Creaturas venit, proindeque *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*, id eſt, initio ſuorum operum; quaſi diceret Sapientia increata, initio creationis eram apud Patrem, cum quo omnia faciebam, vt rectè exponit Vatablus ibidem, & alij communiter. *Viæ Dei quænam.*

8. Ac vt locus ille de *Sapientia creata* etiam, hoc eſt de Chriſti humanitate à Verbo Diuino ſumpta, necnon & de B. Virgine per accommodationem accipi poſſit, ac etiam ſoleat à nonnullis Patribus, & Scriptoribus; nullus tamen Commentator, vel SS. Patrum ante Salazar, & Recentiores quoſdam de ordine decretorum Dei ad inuicem, ſeu de prioritate, & anteceſſione ſecundùm rationem noſtram inter ipſa Dei de Chriſto, aut de Beata Virgine, aliorumque hominum decreta eum intellexit; ſed ſolùm ita interpretantur, vt excellentem quandam dignitatem, & ſingularem ſanctitatis, & donorum cœleſtium prærogatiuam Chriſto, & B. Virgini à Deo præ cæteris Creaturis omnibus conceſſam inſinuet: & Deum de Chriſto in Mundum mittendo, deque ſanctiſſima ejus Matre, ac de toto redemptionis noſtræ opere longè ante cogitaſſe, & apud ſe ſtatuiſſe, quàm illud exequeretur. *Etiam de Sapientia creata intellectus nullũ indicat ordinem inter decreta Dei.*

9. Probatvr ſecundò, quia ejuſmodi anteceſſio tam æternitatis, quàm cauſalitatis conſiliorum, & decretorum Dei, ſufficit ad ſenſum verborum Dei, & ſcopum Spiritus-ſancti, qui prædictis, & ſimilibus Scripturæ locis ſapientiæ ſuæ diuinæ & altitudinem immutabilem, & à creaturis independentiam, tum etiam amoris, ac dilectionis erga nos ſuæ magnitudinem, ex ejus celſitate, prioritate, antiquitate, & æternitate nobis declarare voluiſſe videtur. Iuxta verba Ioannis Epiſt. *2. Argumentum.*

Digitized by Google

SS. Patres nullum in decretis, interniſque Dei actibus agnouiſſe ordinem, nec eo vſos eſſe in Scripturis, vel fidei dogmatibus exponendis.

CAPVT XXXIX.

1. NEMINI credo, de ſanctis Patribus ſanè, & rectè ſentienti in dubium venire poteſt, eos, cùm de Mundi conſtitutione, & gubernatione, de hominum ſalute & prædeſtinatione, de Chriſti Incarnatione loquuntur; aut de Dei conſilijs, & decretis circa creaturas ſermonem habentes, particulis *ante, prius, poſt*, ac ſimilibus ordinem aliquem importantibus vtuntur; vel cùm nomina *prædeſtinationis, præſcientiæ prædefinitionis, præordinationis, præuiſionis*; aut verba *præſcire, prædeſtinare, prædefinire, præuidere, præeligere* & ſimilia vocabula prioritatem aliquam in Dei ſcientia, viſione, electione, ordinatione, deſtinatione, & definitione deſignantia vſurpant, ea omnia eodem planè modo, & ſenſu ſumere, & intelligere; quo Spiritus-ſanctus in Scripturis ſacris intelligi & accipi voluit. Ex Capite autem præcedenti conſtat, prædicta vocabula in Scriptura ſacra nullum decretorum, & internorum Dei actuum inter ſe ordinem, ſed ſolùm realem horum ante res ipſas, circa quas verſantur, à parte rei exiſtentes æternitatis, & cauſalitatis prioritatem, & anteceſſionem ſignificare. Igitur de nouo illo quorundam Scholaſticorum in Dei decretis ordine, ne per ſomnium quidem, vnquam cogitauerunt, nec eum ad vlla Dei opera, noſtræque fidei, & ſalutis myſteria declaranda eum vnquam adhibuerunt. *1. Argumentum.*

2. NVLLIBI dicunt, Deum decreuiſſe v. g. Incarnationem Chriſti antè, vel poſt decretum de creatione mundi; aut Adami, vel permiſſionis peccati ejuſdem: vel priùs, aut poſt prædeſtinaſſe homines ad gloriam, quàm decreuerit eis dare gratiam, & merita, & ſic de alijs: ſed ſolùm volunt hæc omnia ante tempora ſecularia, Mundique conſtitutionem, atque adeo antequam iſta à parte rei fierent, à Deo co- *2. Argumentum.*

Digitized by Google

gnita, definita, & decreta eſſe: quod eſt veriſſimum.

3. QVÆ Sanctorum Patrum ab Aduerſarijs pro ſuo illo ordine confirmando afferuntur teſtimonia, nihil minùs probant, nec eis vllo modo fauent. Nam quod affert Gabriël Vaſquez 1. part. diſp. 82. cap. 3. ex Auguſt. lib. 2. ad Simplicianum quæſt. 2. vbi dicit, quòd *non electio præcedit juſtificationem, ſed electionem juſtificatio,* nihil omnino probat, neque eſt ad rem. Non enim ibi loquitur Auguſtinus de decretis Dei, ſeu de electione, & juſtificatione ad intra, ſed ſolùm de juſtificatione & electione ad extra, & ex parte effectus. Hanc enim ſtatim dicti ſui rationem ſubjungit. *Nemo enim eligitur, niſi jam diſtans ab illo, qui rejicitur.* Dixeratque antea *nulla electio eſt, antequam eſſet quod eligeretur*: & vt hanc electionem ad extra diſtingueret ab ea, quæ eſt ad intra, ſtatim ſubjunxit. *Vnde quod dictum eſt, quia elegit nos Deus ante mundi conſtitutionem, non video quomodo ſit dictum, niſi præſcientiâ.*

Explicatur locus Auguſtini.

4. NEQVE verò eundem ordinem magis commendant, ejuſque neceſſitatem meliùs oſtendunt verba Proſperi Epiſt. ad Auguſtinum præfixâ ejus libro de prædeſtinatione, *An verò* inquit, *vniformiter licet diuidi præſcientia à propoſito temporali* (id eſt reali & ſucceſſiuâ diſtinctione) *non poſſit, præſcientia tamen quodam ordine ſit ſubnixa propoſito?* Tum quia verba hæc Proſperi ſunt non aſſertio, ſed ſolummodo propoſitio quæſtionis, quã Auguſtino facit. Tum quia ille ordo inter propoſitum & præſcientiam de quo loquitur, eſt ſolùm ordo rationis, & quoad nos, & ſecundùm reciprocationem prædicationis, vel conſequentiæ, quæritque an omne propoſitum ſit præſcitum, & omne præſcitum ſit propoſitum, vel an hoc illo latiùs pateat, vt liquet ex reſponſione Auguſtini, in qua nihil habet prorſus de ordine decretorum Dei inter ſe.

Et locus Proſperi.

DEINDE cùm, vt apparet ex verbis antecedentibus, *propoſitum* ſumeretur ab aliquibus pro ea Dei voluntate, quâ vult aliquos ſaluos fieri ſine vllis eorum operibus: præſcientia autem pro ea ſolum Dei voluntate, quâ alios vult ſaluari per bona eorum opera, quærit ſolum Proſper, an ita ſit, & an vniformiter, id eſt viciſſim, pariter, & mutuæ reciprocationis ordine, quemadmodum præſcientia includit propoſitum, ita propoſitum præſcientiam, eoque illa fulciatur, ac

ſub-

Digitized by Google

ſubnitatur. Denique non habet Proſper hæc verba, quæ refert Vaſquez, ***ordine tamen vnum aliud ſupponat***, quia ſcilicet, ex eo Deus præſcit bona merita, quia propoſitum habuit ea tribuendi, ſed vti retulimus loquitur.

QVOD item habet Suarez ſupra Auguſtinum doctrinam hanc de ordine decretorum Dei ſupponere in libris de Prædeſtinatione, & gratia, & falsò, & gratis dictum videtur. Nihil enim hunc ordinem ibi curat Auguſt. nec vllo modo indiget eo, ad illa, quæ ibi tractat, declaranda, nullamque prorſus ejus mentionem facit. Neque de eo etiam agit lib. 5. Confeſſionum cap. 9. quem locum citat Suarez. Ibi enim loquitur, nō de ordine decretorū Dei, deque ipſa prædeſtinatione Dei intrinſeca, ſed ſolùm de ordine, qui eſt in ipſis rebus, & objectis, cujus cauſa eſt diuina prædeſtinatio. ***Aderas***, inquit, ***& exaudiebas, & faciebas ordine, quo prædeſtinaueras eſſe faciendum.*** Verbum enim *faciebas* manifeſtè oſtendit, eum loqui de executione externa, & hæc alia ***ordine, quo eſſe faciendum prædeſtinaueras***, ordinem in ipſis rebus conſiſtentem apertè exprimunt. *Refellitur dictum Suaris.*

DICES ex SS. PP. tam Græcis, quàm Latinis quoſdam exiſtimaſſe, electionem hominum ad gloriam eſſe poſt præuiſa merita, alios contra, vt Auguſtinum, eſſe ante præuiſa merita. Igitur omnino agnouerunt ordinem inter Dei decreta, & juxta eum Scripturas ſacras interpretati ſunt. *Obiectio.*

NEGATVR Antecedens. Id enim ex nullo eorum loquendi modo colligi poteſt, vt pluribus oſtendetur ſuo loco. Et certè vbicunque Sanctus Doctor agit de prædeſtinatione ad gloriam, nulli SS. Patrum hoc tribuit, vt exiſtimarit prædeſtinationem hominum eſſe ante, vel poſt præuiſionem meritorum eorumdem, & neutrum ipſe vnquam docuit, vt ſuo loco pleniſſimè oſtendetur. Neque enim electionem hominum, ſiue ad gratiam, & perſeuerantiam finalem in ea: ſiue ad gloriam, eſſe gratuitam, eſſe ex Dei propoſito, voluntate, & beneplacito, vel non eſſe ex operibus, & meritis noſtris; ſed ex Deo vocante, & miſerante, quibus loquendi formulis, & Scriptura, & SS. PP. communiter vtuntur, idem eſt, ac prædeſtinationem eſſe ante, vel poſt merita præuiſa, vel ex non præuiſis, & non præcognitis meritis, vel *Reſponſio.*

Digitized by Google

decretum de gloria eſſe ante, vel poſt decretum de gratia; quibus modis loquuntur plerique Theologi. Iſti enim loquendi modi in decretis Dei aliquem important ordinem, & aliquod prius, & poſterius, licet rationis: illi verò nullum planè dicunt ordinem, neque expreſsè, & formaliter, nec implicitè, vel conſequenter, neque realem, neque rationis, noſtroque concipiendi modo, ſed ſolùm negant vllis hominum meritis, & operibus, ſiue à natura, ſiue à gratia factis, Deum moueri, induci, prouocari, ad eligendos homines ad gratiam, vel ad gloriam: dicuntque expreſsè Deum homines ad vtramque eligere, ex mera, pura, & ſimplici ſua voluntate, ac beneplacito, quod veriſſimum eſt.

POSTREMÒ, ſi quando SS. PP. electionem Sanctorum ad gloriam primariam Dei voluntatem, & reprobationem malorum ſecundariam nominent, non id faciunt, propter vllam dependentiam damnationis, & pœnæ æternæ damnatorum à gloria Beatorum; ſed ſolùm vt ſignificent Dei naturam propenſiorem eſſe ad miſerandum, quàm ad puniendum.

Decretorum Dei ordinem ad Theologicas difficultates enodandas inutilem eſſe.

CAPVT XL.

1. AD Dei præſcientiam, atque prouidentiam, Mundique gubernationem, ad Chriſti prædeſtinationem hominumque ſalutem, vocationem, electionem ad gloriam ritè, ac ſufficienter exponendam, ad creatam libertatem cum Dei præſcientia, prædeſtinatione, & concurſu nobiſcum in agendo bene conciliandam; ad B. Virginem ab omni peccati originalis macula vindicandam, vno verbo ad omnia fidei noſtræ myſteria ſolidè, & orthodoxè tuenda, & ad alias difficultates Theologicas, commodè diſſoluendas prædictum decretorum Dei ordinem nihil omnino conferre; ſed obeſſe potiùs, quatenus tali loquendi, & philoſophandi modo de actibus æternis Dei

Digitized by Google

nonnulli interdum adducuntur, vt putent Deum noſtro more vnum alio priùs velle, & cogitare, oſtenditur *primò* ex eo quòd fateantur omnes, Deum à parte rei, & ab æterno ſimul, vnoque ſimplici actu & intelligere omnia, quæ nouit, & velle omnia, quæ vult, quæque fiunt, & erunt vnquam in rerum natura. Quid ergo juuat dicere ipſum ſecundùm rationis noſtræ ordinem intelligere, aut velle vnum priùs, quàm aliud velit, aut intelligat, eumque noſtro more, & modo intelligentem, & volentem fingere. *Prima probatio.*

2. Nostræ quidem volitiones, & intellectiones realiter ſunt multæ, ſibique inuicem ſuccedentes, & interdum vna eſt cauſa alterius; incipiunt ac deſinunt, ſunt finitæ, & circa vnum tantùm objectum verſantur, quòd mentis noſtræ vis, & capacitas adeo parua, & anguſta ſit, vt cùm rem vnam apprehendit, eam reliquæ omnes fugiant, nec multa, nedum omnia ſimul perfectè cogitare poſſimus; cùmque aliquid vel abſolutè, vel ſub vna, aut altera ad aliam rem habitudine cogitamus, aliæ, quæ ei inſunt, innumeræ nos lateant. Qui ſolem v. g. cogitat, non propterea in illo conſiderat habitudinem, vel effectus, vt eſt Dei opus, vel cauſæ ad leonem, arborem, & ad alia, quorum eſt cauſa. Deus verò cujus intelligentia eſt & æterna, & infinita ſe, & alia omnia à ſe ſiue exiſtentia, ſiue non exiſtentia prout ſunt & in ſeipſis, & in ſua, aliarumque creaturarum potentia vel actiua, vel paſſiua perfectiſſimè comprehendit, & vnumquodque intuetur, non nudè, & abſolutè ſolùm, vel cum vna tantùm, aut altera habitudine ad alia; ſed cum omnibus omnino relationibus, quas ſiue actu, ſiue potentiâ habet, aut habere poteſt ad ea, quæ in aliqua temporis differentia exiſtunt; imò etiam ad omnia omnino poſſibilia. Cùm igitur à parte rei, & de facto Deus ſimul, & vno, ac ſimpliciſſimo actu perfectè, & diſtinctiſſimè cernat, & intelligat omnia, vnoque actu omnia velit, quæ vult, ad ejus opera, & ea omnia, quæ in aſſertione dicta ſunt, ſufficienter exponenda; nihil neceſſe eſt varios intellectus diuini, aut voluntatis actus ratione noſtrâ ita diſtinguere, vt vnum alio prius, vel poſterius eſſe aſſeramus.

3. Secundò eadem aſſertio probatur inductione factâ per omnes difficultates Theologicas in ea memoratas, quas *2. Inductione probatur.*

Digitized by Google

ſine vllo ordine decretorum Dei ſecundùm priùs & poſteriùs, commodè, & ſolidè, explicari poſſe ſic breuiter oſtenditur. Ac primū cùm Chriſtus dicitur Prædeſtinatorum primus, hæc primitas ac prioritas nec eſt, nec cogitanda eſt in ipſa interna, æterna, atque actiua Dei Prædeſtinatione, cùm ipſe, alijque omnes ſimul, imò vnâ, & ſimplici prædeſtinatione ab æterno prædeſtinati ſint; ſed ſolùm eſt in paſſiua, & externa, hoc eſt, in ipſa executione prædeſtinationis, ſeu in ipſo effectu, ipſoque Chriſto, quatenus bonorum omnium ſupernaturalium, ad quæ prædeſtinatus eſt, excellentiâ Prædeſtinatos omnes antecellit, eſtque finis, cauſa meritoria, & exemplar prædeſtinationis externæ reliquorum omnium Prædeſtinatorum, vt expreſsè docet S. Thom. 3. part. quæſt. 24. art. 3. & 4.

4. Similiter ad ſoluendam quæſtionem, quâ quærunt Theologi, *veniſſetne Deus Adamo non peccante?* nihil planè juuant illi omnes decretorum Dei ordines, quos nonnulli Theologi, præſertim Recentiores, admodum variè conſtituunt, cùm Deus reuerâ, & ſecundùm noſtrum intelligendi modum, rectè concipiatur decreuiſſe ſine vllo ordine, ſimul, vnoque actu res omnes, quæ ſunt, & omnes, qui ſunt inter eas ſiue naturæ, ſiue temporis, ſiue cauſalitatis, ſiue dignitatis, ſiue intentionis, ſiue executionis ordines; nec creare decreuerit Adamum priùs, quàm ejus lapſum permittere: aut priùs Chriſtum prædeſtinarit, quàm Mundum per eum redimere, & per ejus merita cæteros omnes gratiam, & gloriam conſequi ſtatuerit.

Adde quòd, qui venturum Chriſtum Adamo non peccante defendunt, idque inferunt ex eo ordine, quem ipſi in decretis Dei fingunt, & in quo dicunt Chriſtum, primum, & ante omnes alios eſſe prædeſtinatum, non rectè ratiocinantur. Chriſtum enim à Deo prædeſtinatum volunt, vel abſolutè, nudè, ſolitariè, & ſine habitudine Redemptoris, itaut Deus, cùm noſtro concipiendi modo Chriſtum prædeſtinat, nihil de aliorum ſalute cogitet, aut decernat; vel relatiuè, & cum habitudine Redemptoris, hoc eſt vt Redemptorē & cauſam ſalutis noſtræ. Si primo modo, hoc non eſt Chriſtum eſſe primum Prædeſtinatorum, quia ad prioritatem requiritur in

Digitized by Google

objecto aliqua dependentia actiua, & cauſalitatis reſpectu alterius, quæ in Chriſto ſic prædeſtinato non eſt, aut ponenda eſt in Dei decretis ſucceſſio aliqua. Præterea ex eo quòd concipiamus Chriſtum ſic à Deo prædeſtinatum, non magis ſequitur ipſum venturum Adamo non peccante, quàm concipientes Deum de Luna creanda ſolùm cogitantem, ex eo inferamus ipſam creandam, ſi Sol non eſſet. Si ſecundo modo, contrarium planè inferendum fuit, nempe quòd ſi Chriſtus eſt prædeſtinatus vt Redemptor, & vt cauſa ſalutis noſtræ; ergo cùm non peccante Adamo nulla eſſet futura redemptio, Chriſtus non eſſet venturus. Quemadmodum ſi Deus decreuit creare Solem, vt cauſam, & parentem omnium generationum ſublunarium, ideoque Sol ante illas omnes à Deo decretus dicitur, tantùm abeſt, vt quis inde rectè inferat; Ergo Sol foret etiam ſi nulla eſſet futura generatio ſublunaris, vt longè probabilius inferre debeat; ſi nulla eſt futura generatio, Solem nullum futurum.

5. IAM verò ad B. Virginem à peccato originali vindicandam prorſus inutilia ſunt illa naturæ inſtantia, & rationis ſigna priora, & poſteriora, quæ in Dei decretis, plerique pro arbitrio, ac ſine vllo, vel Scripturæ, vel Patrum, vel ſolidæ rationis fundamento variè admodum fingunt, & digerunt, in quorum vno, eoque primo Deus voluerit v. g. Adamum caput omnium hominum creare; in altero, eoque ſecundo ejus lapſum permittere; in tertio ejus poſteros debitum peccati originalis contrahere, exceptâ Beatâ Virgine; in quarto, Chriſtum incarnari, & redemptorem fieri, & ſic deinceps, prout cuique libitum eſt. Qui enim dici poteſt Deum voluiſſe priùs, quòd reuera non priùs, ſed ſimul voluit? aut quid nos juuant tot inſtantia ad immaculatam B. Virginis Conceptionem defendendam? Nam decretum Dei de B. Virgine, quo voles conſtituas loco, & inſtanti, ſiue ante, ſiue poſt Adami lapſum à Deo præuiſum, ad eam noxæ originali ſubjiciendam, vel ab ea vindicandam, nihil id oberit, aut juuerit. Ad immunitatem igitur Virginis à culpa originali, & intelligendam, & defendendam ſufficit nos, & cogitare, & dicere Deum vno mentis intuitu omnia contemplantem, vnoque ſimplici actu, à nobis licet in

multos ratione diſtincto videntem ſimpliciter voluiſſe B. Virginem ab Adamo per viam generationis deſcendentem, eoque multis ſeculis poſteriorem à peccato originali liberam eſſe, idque ex Scripturæ, aut SS. Patrum teſtimonijs, alijſque aliunde ductis, & excogitatis bonis argumentis oſtendere. Quaſi verò Deus catenulam ex annulis ferreis, cui vnus aureus inſertus ſit, deſignans, aureum priùs, quàm ferreos noſtro concipiendi modo, vel hos priùs, quàm illum aureum cogitare, velle, & facere debeat: & omnes à Deo, ſimul, & volitos, imò & factos à nobis ritè concipi nequeat.

6. Sed & hoc eodem ordine decretorum Dei nihil opus eſt ad hominum, vel Angelorum prædeſtinationem exponendam. Nam cùm Deus gratiam, & gloriam prædeſtinatis voluerit, vtram, ex noſtro conſiderandi, & volendi modo priùs, aut poſteriùs decreuerit, vt quæri, & diſputari poſſit, quid hoc ad noſtram ſalutem, ad morum informationem, ad Scripturæ ſacræ intelligentiam, aut ad rei veritatem in ſe conſtituendam? Propterea hoc decretorum Dei ordine, ſiue ex objectis, ſiue ex mentis noſtræ prioritate, & poſterioritate ſumpto S. Thom. nunquam vſus eſt: imò cùm quærit 1. part. quæſt. 23. art. 5. an præſcientia meritorum ſit cauſa prædeſtinationis, diſertis verbis admonet, quæſtionem hanc locum nullum habere in prædeſtinatione actiua, & interna Dei; ſed ſolùm in externa, & paſſiua, hoc eſt in effectu ipſo prædeſtinationis, vt pluribus poſtea oſtendemus.

7. Nihil denique hic decretorum Dei, aliorumue actuum internorum ſcientiæ, ac voluntatis diuinæ ordo confert ad noſtræ voluntatis libertatem tuendam, & cum diuina præſcientia, diuinoque concurſu conciliandam. Sufficit enim ad hoc, vt Deus æternâ præſcientiâ, & voluntate ſuâ decernat abſolutè cum noſtra agente concurſu tempore quidem ſimultaneo, at naturâ priori ſic concurrere, vt ipſa etiam Deo ſubordinata ſeipſam moueat, & determinet ad agendum, & quod agit, ex ſe poſſit non agere. Hæc enim eſt natura, & ratio propria cauſæ liberæ, quâ eſſentialiter differt à cauſa neceſſaria, quæ non poteſt non facere, quod facit, cùm non impeditur. Quoties ergo, & quandiu voluntas noſtra à Deo præſcientia, & decreto abſoluto ſic mota,

Digitized by Google

vt ex ſe poſſit non facere, quod facit, eſt libera, ſiue Deus cum ea agente concurrat per qualitatem ei ſuperadditam phyſicam, aut intentionalem, quam vulgò Prædetermina-tionem appellant: ſiue, quod longè probabilius eſt, ſine vlla noua qualitate ſuperueniente, ſed per ſe, ac immediatè, vt pluribus poſtea declarabimus. Ad hanc igitur, aliaſque ſuperiores difficultates Theologicas plenè, ſcienterque diſſoluendas, nullo opus eſt decretorum Dei ordine etiam ſecundùm noſtrum concipiendi, & intelligendi modum.

8. Et certè cum decretorum Dei ordo, quicunque ille ſit, & poſterior, & obſcurior nobis ſit, eo omni qui eſt in Dei creaturis & operibus (ab hoc enim pẽdet & deſumitur, immo ille ipſe eſt creaturarum ordo, vel realis ſecundùm cauſalitatem, vel rationis ſecundùm noſtrum concipiendi modum ad diuina decreta tranſlatus) ab eo creaturarum & operum Dei, ſiue naturalium, ſiue ſupernaturalium efficientiam ac diſpoſitionem, & ſanam, rectamque intelligentiam repetere, genus quoddam eſt petitionis principij. Quod enim eſt æquè ignotum, non eſt principium demõſtrationis, ex lib. 2. Priorum, cap. 16. cùm omnis bene probandi, rectéque docendi via & methodus ſit ex prioribus & notioribus nobis, lib. 1. Phyſ. text. 2. & lib. 7. Metaphyſ. text. 10. Igitur decretorum Dei ordo rebus Theologicis enodandis planè inutilis eſt.

Sine vllo decretorum Dei ordine diuinam præſcientiam, & prouidentiam cum noſtra libertate optimè conciliari poſſe.

CAPVT XLI.

1. AD Præſcientiæ diuinæ certitudinem, & infallibilitatem, decretorumque Dei efficaciam, & ad concurſus diuini ſuauitatem cum noſtra libertate conciliandam, rectèque declarandam, internorum Dei actuum, ſiue intellectus, ſiue voluntatis ordinem, & decretorum ejus ſecundùm prius, & poſterius ſeriem,

Ordinem decretorum Dei nihil planè ſuuare libertatẽ noſtram.

Digitized by Google

1. *Argumentum.* nihil planè conferre oſtenditur. *Primò*, quia ejuſmodi ordo, cùm in noſtra tantum mente, & ratione exiſtat, & tum præſcientiæ, ac prouidentiæ diuinæ, tum ipſis rebus creatis, ſiue neceſſarijs, ſiue liberis prorſus extrinſecus ſit, ad eas omnes ſe habet merè per accidens, nihilque in eis, vel ponit, vel tollit.

2. *Argumentum.* 2. SECVNDÒ, quia huic ordini intexunt plerique quoſdam, tum ſcientiæ mediæ, tum voluntatis partim conditionatos, partim ſimplicis complacentiæ actus. Scientia autem in Deo media nulla eſt, vel non prior aliâ: nullum item eſt decretum Dei conditionatum, aut non prius abſoluto, vt oſtendimus ſupra; nulla in eo generalis, inefficax, & ſimplicis complacentiæ voluntas anterior efficaci, & determinatâ, vt ſuis locis pleniùs oſtendetur. Igitur.

3. *Argum.* TERTIÒ, quia tota hæc certitudo, concordia, ſuauitas, & efficacia præſcientiæ, prouidentiæ, & concurſus diuini cum noſtra libertate, ab antiquis, & præſtantiſſimis Theologis longè meliùs, ſolidiùſque declaratur, quàm ab vllis Recentioribus, cum illo ſuo ordine, ſuiſque diſtinctionibus actuum diuinorum hunc fere in modum.

3. CVM Deus, vt non tantùm fides, ſed ipſa etiam ratio naturalis docet, cauſa ſit efficiens, & finalis Vniuerſi, omniſque entis creati, ac omnium modorum cujuſque entis; neceſſitatis etiam, & libertatis, quæ inter entis, & cauſarum, ac effectuum modos adnumerantur, omnino cauſa erit: tribuendo, ſcilicet, effectui neceſſario cauſam proximam neceſſariã, hoc eſt, ad illum vnum effectum determinatam, quæque poſitis alijs omnibus ad agendum requiſitis non poſſit non agere: & effectui libero, ac contingenti cauſam liberam, hoc eſt, non determinatam ad vnum, ſui actus, & effectus dominam, & in cujus poteſtate ſit, etiam poſitis alijs omnibus ad agendum cum ea requiſitis, agere, & non agere, & inſuper cum vtriuſque generis cauſis concurrendo; cùmque ſit agens per intellectum, & voluntatem, per ſuam præſcientiam, voluntatem, & prouidentiam, hæc præſcientia, quia eſt non ſolùm æterna, ſed etiam perfectiſſima rerum omnium comprehenſione, & certitudine, ita vt nihil eam fugiat, nullus in eam cadat error, ac deceptio nulla, ad res omnes,

omnéſque

omneſque earum modos, & habitudines, & circunſtantias particulares ſe extendit: ſimiliter & voluntas circa ea, quæ vult. Ideoque cùm quid futurum, non quidem ſibi (æternitati enim nihil futurum eſt, aut præteritum) ſed nobis, ipſiſque inter ſe rebus creatis futurum cognoſcit, & decernit, id à ſua cauſa proxima neceſſariò, vel liberè futurum ſimul cognoſcit, vult, ac decernit, ſtatuitque cum cauſis neceſſariò, vel liberè agentibus concurrere, & facere, vt earum effectus à neceſſarijs neceſſariò, à liberis liberè procedant. Cùm igitur Dei nec præſcientia falli, nec decretum fruſtrari poſſit, *ejuſque ſermo*, vt cùm Scriptura loquar, *poteſtate plenus ſit*, ſi ab æterno præſciuit, ac decreuit effectum aliquem, v. g. actum noſtræ voluntatis fore liberum, hoc eſt, ſic ab ea producendum, vt tamen eum, quantum eſt ex ſe, poſſit non producere, Dei præſcientia, & decretum efficax libertati noſtræ non modo nihil oberit, ſed ad eam ſtatuendam, & in rerum natura ponendam omnino neceſſaria erit. *Eccl. cap. 8.*

4. QVID contra hæc ab Aduerſarijs objici, aut quid ampliùs in hac materia ab eis rationabiliter quæri, aut ab alijs reſponderi poſſit, non video: hâcque reſponſione Theologi antiqui totam difficultatem exhauſtam eſſe putant, nec aliam communiter tradunt: ac nominatim S. Thom. 1. part. quæſt. 22. art. 4. vbi ſolutione ad tertium hæc habet. *Conſiderandum eſt, quòd neceſſarium, & contingens propriè conſequuntur ens, in quantum hujuſmodi; vnde modus contingentiæ, & neceſſitatis cadit ſub prouiſione Dei, qui eſt vniuerſalis prouiſor totius entis.* Et ibidem in corpore. *Ad diuinam prouidentiam,* inquit, *pertinet omnes entium gradus producere, & ideo quibuſdam effectibus præparauit cauſas neceſſarias, vt neceſſariò euenirent, quibuſdam verò cauſas contingentes, vt euenirent contingenter ſecundùm conditionem cauſarum proximarum.* Et ſtatim poſt, ad primum. *Dicendum*, inquit, *eſt, quòd effectus diuinæ prouidentiæ, non ſolùm eſt aliquid euenire quocunque modo, ſed aliquid euenire, vel contingenter, vel neceſſariò, & ideo euenit infallibiliter, & neceſſariò, quod diuina prouidentia diſponit euenire infallibiliter, & neceſſariò; & euenit contingenter, quod diuinæ prouidentiæ ratio habet, vt contingenter eueniat* Idē habet vbicunque rem illam ex profeſſo tractat, vt Opuſculo ſecundo cap. 140. vbi hæc inter alia. *D. Thomas.*

Digitized by Google

Ad efficaciam diuinæ voluntatis pertinet, vt non ſolùm fiat, quod Deus vult, ſed vt hoc modo fiat, quo illud fieri vult. Vult autem quædam fieri neceſſariò, & quædam contingenter, quia vtrumque requiritur ad completum eſſe vniuerſi. Vt igitur res vtroque modo prouenirent, quibuſdam adaptat neceſſarias cauſas, quibuſdam verò contingentes, &c. Idem habet Alenſis in textum 8. lib. 6. Metaph. & alij communiter, qui difficultatem hanc ſoluunt nullâ planè vel cogitatâ ſcientiâ mediâ, vlloue decretorum Dei ordine, nullâ factâ mentione vllius prioritatis, aut poſterioritatis ſecundùm rationem noſtram in decretis, interniſque Dei conſilijs, & actibus.

Alenſis.

5. Difficvltatis autem, quam hîc plerique experiuntur, radix, & deceptionis eorum cauſa duplex eſſe videtur. *Prima*, quòd Dei præſcientiam, & decreta de re futura imperfectè, & inadæquatè tantùm concipiant, cogitentque Deum, vt præſcientem, & volentem quidem futurum, non autem modum, quo illud eſt futurum à ſua cauſa proxima, id eſt, *neceſſariò*, vel *contingenter*, *& liberè.* Ijdemque ipſos actus intellectus, & voluntatis diuinæ perinde concipiant, & de ijs perinde loquantur, ac de noſtris, qui ſunt finiti, & adeo imperfecti, vt rem aliquam, ejuſque ſubſtantiam cogitantes ejus modos ignoremus, & plerumque finem intendamus, medijs, quibus eum aſſequamur, ignoratis, ac nondum volitis. Inter quos etiam verè eſt ordo realis, & habitudo prioris ad poſterius, vel tempore, vel cauſalitate. At non ſic Deus vult, & cogitat, cùm hoc dicat imperfectionem, eamque multiplicem: ſed rem, & modum rei, proindeque in cauſa, & in effectu, & actione, neceſſitatis, vel contingentiæ, ac libertatis, & quemlibet alium modum, ac vniuerſim omnia, quæ ſunt, fuerunt, & erunt, ſiue libera, ſiue neceſſaria ſimul ſemper, & vno ſimplici actu vult, videt, & clarè, certò, & infallibiliter cognoſcit. Propterea diligenter notandum, & ſæpius in vſum, & memoriam reuocandum, quod monet S. Thom. in lib. 6. Metaphyſ. lect. 6. his verbis. *Cùm de diuina prouidentia loquimur, non eſt dicendum ſolùm, hoc eſt prouiſum à Deo, vt ſit, ſed hoc eſt prouiſum à Deo, vt contingenter ſit, vel vt neceſſariò ſit.* Cujus rei non aliam rationem affert, quàm quæ paulo ante ex eodem dicta eſt, quòd Deus ſit cauſa vniuerſalis entis, & eorum quæ per ſe

Prima cauſa deceptionis.

Quod præſcientia Dei non extendatur ad modum quo res futura eſt.

Nota.

conſequuntur ens, vt neceſſarium, vel contingens.

6. SECVNDA cauſa eſt, quòd plerique ex hoc Antecedente, *quod Dei præſcientia falli non poteſt, nec ejus voluntas fruſtrari, & caſſari*, malè ratiocinentur, inferantque hoc Conſequens: *Ergo* quod Deus præſciuit, vel quod abſolutè, & efficaciter decreuit, id neceſſariò eueniet; cùm tamen ex prædicto Antecedente aliud nihil præcisè inferri poſſit, quàm, *Ergo quod Deus præſciuit, & decreuit, id certò, & infallibiliter erit, ſiue neceſſariò, ſiue contingenter futurum ſit*; vel erit neceſſariò neceſſitate præſcindente à neceſſitate ſimpliciter, & à neceſſitate ſecundùm quid. *Cauſa ſecũda deceptionis.*

7. QVOD vt pleniùs declaretur, notandum ex Philoſopho lib. 5. Metaph. textu 6. *Neceſſarium id dici, quod non contingit, ſeu impoſſibile eſt aliter ſe habere.* Quò fit, vt ſolus Deus ſit ens verè, propriè, abſolutè, & ſimpliciter neceſſarium, cùm ſolus ſit prorſus immutabilis; & omnino impoſſibile ſit, eum aliter ſe habere. Nam vt argumentatur ibidem Ariſtot. *Id neceſſarium propriè eſt, quod ſimplex eſt. Hoc enim non poteſt multipliciter ſe habere. Quapropter nec aliter, & aliter. Etenim multipliciter ſe haberet*, Deus autem ſimpliciſſimus, & ſemper idem eſt. Pſalm. 101. *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Cætera verò omnia, vt à Deo liberè creata ſunt, & liberè conſeruantur; ita poſſunt non eſſe, Deo, ſcilicet, manum ſuam eorum conſeruatricem retrahente, ideoque non ſunt abſolutè neceſſaria, & immutabilia. *Ariſtotelis.* *Solus Deus eſt ens ſimpliciter neceſſarium.*

8. NIHILOMINVS cùm quædam ex eis ſint, & dicantur neceſſaria, alia contingentia, propterea quædam in illis eſt neceſſitas, & immutabilitas, quâ dicuntur non poſſe aliter ſe habere, eaque multiplex. Nam alia eſt *abſoluta*, quæ etiam neceſſitas *ſimpliciter, per ſe, antecedens, conſequentis, & in ſenſu diuiſo*, dicitur. Alia eſt *conditionata, & ex hypotheſi*, quæ neceſſitas *ſecundùm quid, conſequentiæ, & in ſenſu compoſito* appellatur. Abſoluta verò alia eſt *naturalis*, quâ impoſſibile eſt rem aliquam vi, ac potentiâ vllius agentis naturalis aliter ſe habere: ſiue quoad ſubſtantiam, & exiſtentiam, vt Angeli, Cœli, anima rationalis, ſiue quoad ejus proprietatem aliquam, vt Solem eſſe lucidum, hominem eſſe liberum: ſiue quoad actionem, & cauſalitatem, tam in cauſa, quàm in *Neceſſitas alia eſt.* *Abſoluta.* *Alia ex hypotheſi.* *Abſoluta alia naturalis.*

Digitized by Google

effectu. Cauſa enim neceſſaria dicitur, quæ ex ſe non poteſt non agere, poſitis, & præſentibus omnibus ad agendum requiſitis, vt calefactio ignis, illuminatio aëris à Sole: & effectus item neceſſarius is eſt, qui à tali cauſa ſic oritur. Alia verò *coacta*, *& violenta*, & non naturalis, quâ res contra ſuam inclinationem naturalem ab agente extrinſeco mouetur; vt projectio lapidis ſurſum, aut impeditur, ne ſecundùm ſuam vim, & inclinationem naturalem agat, vel moueatur, vt idem lapis manu, aut columna in aëre ſuſtentatus. Vtraque hæc neceſſitas abſoluta, tam naturalis, quàm violenta libertatem, tam in cauſa, quàm in effectu deſtruit. Nam cauſa libera domina eſt ſui actus, eſtque in ejus poteſtate agere, vel non agere, etiam alijs poſitis ad actionem neceſſarijs: hoc autem dominium, & hanc poteſtatem neceſſitas abſoluta, ſiue naturalis, ſiue violenta deſtruit. Igitur ratio neceſſitatis abſolutæ, & antecedentis repugnat libertati.

Alia violenta.

Vtraque repugnat libertati.

Vide S. Th. 1 p. q. 46. art. 1. & 2.

9. Necessitas verò conditionata, & ex hypotheſi ea eſt, quâ aliquid neceſſarium dicitur ratione alicujus alterius, quod alterum, ſi ſit cauſa finalis, neceſſitas ex *hypotheſi finis* dicitur: quarum vna eſt *ſimpliciter*, cùm finis ſine eo haberi non poteſt: ita cibus ad vitam neceſſarius eſt: Alia *ſecundùm quid*, & vt loquuntur, *ad bene eſſe*: ita equus ad iter faciendum neceſſarius. Si verò illud alterum rei cauſa non ſit, ſed tantùm aliqua rei conditio, quâ poſita res illa neceſſariò aliter eſſe non poſſit, neceſſitas *conditionata* appellatur: ita ſi Petrum currere Deus præuidit, neceſſariò currit, vel ſi currit, neceſſariò mouetur, quæ *neceßitas conſequentiæ, illationis, aut cohærentiæ terminorum* dicitur, quâ ſcilicet, in ſyllogiſmo Concluſio ex Præmiſſis neceſſariò ſequitur, ex ipſa definitione ſyllogiſmi lib. 1. Priorum cap. 1. Quòd ſi hypotheſis, quâ aliquid *ex hypotheſi neceſſarium* dicitur in noſtra ſit poteſtate, vel libertatem noſtram includat, aut ſupponat, nihil omnino lædit libertatem, vt patet. Qui enim v. g. loquitur, is neceſſariò, & os aperit, & linguam mouet, liberè tamen. Si autem hypotheſis libertatem noſtram, nec ſupponat, nec inuoluat, nihilque includat, quòd ſit in noſtra poteſtate, neceſſitas ex tali hypotheſi repugnat libertati: ita ex hypotheſi, quòd homo ſit grauis, tendat deorſum neceſſe eſt.

Neceſſitas ex hypotheſi.

Quãdo hypotheſis repugnet libertati, & quãdo non.

Digitized by Google

10. Nunc igitur cùm *neceſſitas, neceſſarium, & neceſſariò* conjugata ſint, & conjugatorum ea ſit natura, vt quot modis vnum dicitur, totidem & alterum: quando dicitur *id quod Deus præſciuit, quodque abſolutè, & efficaciter decreuit, illud neceſſariò eſt futurum*, ſi illud *neceſſariò* ſumatur pro neceſſitate præciſa, & abſtracta à ſupradictis omnibus neceſſitatis modis, omnino propoſitio vera eſt, & concedenda. Si ſumatur item pro neceſſitate ſecundùm quid, & conſequentiæ, & ex hypotheſi libertatem agentis aliquo modo includente, vera adhuc eſt eadem propoſitio. Si verò in eadem propoſitione illud *neceſſariò* importet neceſſitatem abſolutam, ſimpliciter, & conſequentis, falſa eſt propoſitio. Itaque æquiuocationis tollendæ causâ, faciendum, quòd monuit S. Thomas ſupra: apponendi ſunt propoſitioni modi, vel neceſſitatis, vel libertatis rei à Deo præſcitæ, & decretæ hoc modo. Quod Deus præſciuit, & decreuit futurum neceſſariò, ſimpliciter, & abſolutè; illud eſt futurum neceſſariò, ſimpliciter: & quod præſciuit, ac decreuit futurum liberè, id neceſſariò liberè futurum eſt. Manifeſtum enim eſt id, quod liberè futurum Deus præſciuit, non niſi neceſſariò neceſſitate hypothetica futurum. Certum autem eſt Deum ſemper rem præſcire, ac decernere futuram liberè, vel neceſſariò, & cum ſuis omnibus modis, & circunſtantijs particularibus.

Quod Deus præſciuit futurũ quomodo ſit & non ſit neceſſario futurum.

11. CÆTERVM duo hîc adnotaſſe nihil oberit. Primum, quam neceſſitatem Anſelmus lib. 1. cur Deus homo cap. 18. *præcedentem & antecedentem* nominat, Recentiores aliquos Theologos neceſſitatem *ex ſuppoſitione antecedenti*, & quam ille neceſſitatem *conſequentem*, hos neceſſitatem ex ſuppoſitione conſequenti, meo quidem judicio, non valde propriè appellare. Nam vt omittam hunc eorum loquendi modũ ex eorumdem ſententia de Scientia Dei media, & conditionata originem ducere, cùm nomen *ſuppoſitionis*, vt volunt, anteceſſionem, & prioritatem quandam dicat in eo, quod ſupponitur, reſpectu ejus, à quo ſupponitur, dicere aliquid eſſe ex ſuppoſitione antecedente, eſt nugatio, & bis idem dicere, perinde ac qui diceret, Petrum eſſe hominem rationalem, quæ eſt nugatio. Suppoſitio enim, vt volunt, dicit antecedentiam: abſurdum autem eſt dicere ex *antecedentia antecedente*. Aliquid

Diſſentiunt Recentiores à modo loquendi Anſelmi.

Digitized by Google

item eſſe ex *ſuppoſitione conſequente* repugnantia eſt, & incompatibilitas terminorum, eſtque dicere aliquid eſſe ex antecedente conſequente. Quare longè meliùs neceſſitas abſoluta dicitur *neceſsitas antecedens*, quàm ex ſuppoſitione antecedente, & neceſſitas ſecundum quid rectiùs dicitur, *neceſsitas conſequens*, quàm ex ſuppoſitione conſequente.

12. SECVNDVM eſt, eoſdem Recentiores ſuam illam neceſſitatem ex ſuppoſitione antecedente parum Logicè, ſcienterque definire. Eam enim Petrus à S. Ioſeph in ſua defenſione S. Thom. diſp. 2. ſect. 8. n. 1. ſic definit *Suppoſitio antecedens dicitur, quæ producitur antecedenter ad operationẽ liberam voluntatis, & indepẽdenter ab illa.* Cũ enim *antecedens* & *antecedẽter* idem ſignificent, ſintque conjugata, definitum ponitur in hac definitione: & præterea cùm ei definienda ſit neceſſitas cauſæ, definit neceſſitatem effectus, dicendo eſſe neceſſitatem, quæ producitur. Licet enim ex neceſſitate effectus, neceſſitas cauſæ rectè inferatur: hæc tamen non eſt illa, neque hæc producitur, ſed producit. Adde quod neceſſarium, cùm ordinem, & anteceſſionem ad libertatem, ſeu operationem liberam voluntatis nullum habeat, per eum definiri non debet. Sunt enim quaſi duæ entis ſpecies, duoque modi oppoſiti, & incompatibiles; nulla autem ſpecies per alteram ſibi oppoſitam definiri debet.

Non rectè definitur ſuppoſitio antecedens.

Refellitur nouus modus componendi præſcientiam diuinam cum noſtra libertate.

CAPVT XLII.

1. DOCTRINÆ Capite præcedenti traditæ veritas quò firmiùs ſtet, magiſque inuicta permaneat, confutandus nobis eſt nouus quidam modus conciliandi diuinam præſciẽtiam, Deique decreta cum libertate noſtræ voluntatis, quem adinuenit Molina, & ſequuntur plerique Recentiores, vt Suarez, Leſſius, Ruiz paſſim, Mæratius, Petrus à S. Ioſeph, Theoph. Raynaudus 2. part. ſuæ tractationis antiſtrophæ cap. 3. num. 33. vbi ait,

Nouus modus conciliandi præſcientiam Dei cum noſtra libertate.

Deum per ſcientiam conditionalem præſcium operationis à voluntate proditura in talibus circumſtantijs, ſi ipſa per ſe ſolam abſque eo agere poſſit, vel, quod eodem recidit, præſcium operationis à voluntate in talibus circumſtantijs proditura, ſi non ſtet per ipſum, velitque cum voluntate cooperari, cùm primùm circumſtantias illas poſitas videt, applicare ſe ad eliciendum cum ea actum, in quem ipſa ex ſe propendere cognoſcitur.

2. QVÆ noua Theologia, nouuſque præſcientiæ diuinæ certitudinem, & infallibilitatem prædeſtinationis diuinæ cum libertate noſtra conciliandi modus refellitur. Primò, quòd tribus nitatur falſis principijs. Primum. *Objectum ſcientiæ diuinæ eâ aliquo modo prius eſſe.* Secundum *Admittendam in Deo eſſe ſcientiã mediã,* quâ Deus conditionatè priùs cognoſcat, quid voluntas noſtra in his vel illis circumſtantijs ſi ponatur, factura ſit, quàm abſolutè decernat eam in illis circumſtantijs ponere, vel non ponere. Tertium. *Scientiam viſionis non eſſe cauſam rerũ, ſed eas ſupponere, iiſque poſteriorem eſſe.* Quorum principiorum *pimum* ſupra Capite 13. *ſecundum* cap. 25. 26. & ſeqq. *Tertium* cap. 34. refutauimus. 1. *Argum.*

SECVNDÒ, quia circunſtantiæ illæ, quibus poſitis, operatio à voluntate proditura dicitur, nullâ ſcientiâ mediâ cognoſcuntur à Deo, ſed ſolùm abſolutâ. Vel enim aliquando ponendæ ſunt, & ſic ſcientiâ viſionis à Deo cognitæ ſunt: vel nec poſitæ, nec ponendæ ſunt, proindeque tantùm cognoſcuntur ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ: & vt detur cognoſci mediâ, & conditionatâ, nihil id proderit ad libertatem noſtram cum diuina præſcientia componendam, cùm ejuſmodi ſcientia nihil eſſe, vel non eſſe futurum, aut non futurum doceat: igitur ejus ope nullam Deus à voluntate in talibus circumſtantijs poſita prodituram, aut non prodituram actionem liberam cognoſcere poteſt. 2. *Argum.*

3. TERTIÒ, quia illis volitis decretis, & poſitis circumſtantijs cùm Deus adhuc liber ſit, & vt ait S. Auguſt. lib. de Dono perſeuerantiæ cap. 6. *potens ſit, & à malo in bonum flectere voluntates, & in lapſum pronas conuertere ac dirigere in ſibi placitum greſſum,* poteſt decernere agere, vel non agere, concurrere, vel non concurrere cũ voluntate humana in illis poſita circumſtan- 3. *Argum.*

Digitized by Google

tijs: & ipſa etiam voluntas creata, ijſdem circunſtantijs poſitis, cùm ſit libera, adhuc poteſt non agere. Igitur illis ſolùm viſis & poſitis conditionibus eam operaturam Deus certò videre non poteſt.

Argum. 4. QVARTO. Operationis à voluntate in talibus circumſtantijs poſita proditurę, ſi ipſa per ſe & ſola abſque Deo agere poſſet, Deum eſſe non præſcium (præſcientia enim propriæ rerum eſt futurarum, non autem impoſſibilium, qualis eſt illa hypotheſis) ſed vel tantummodo ſcium & gnatum eſſe impoſſibile eſt: Tum quia ſcientia Dei rerum eſt non impoſſibilium, ſed verarum & poſſibilium. Tum quia licet mens noſtra quæ diſcurſu vtitur, ab vno abſurdo & impoſſibili nobis notiori aliud ignotius colligat, & ab eo refugiat, vt ſi tria ſunt quatuor, proportio trium ad octo ſubdupla erit, ſi Spiritusſanctus non procederet à filio, non diſtingueretur ab eo realiter, non ſic tamen Deus ratiocinatur aut diſcurrit, cùm id imperfectionem habeat, ſupponatque & ignorantiam aliquam & illationem vnius ex alio.

Propoſitio abſoluta prior eſt conditionata. 5. QVINTO, etiam in nobis tantùm abeſt, vt propoſitiones hypotheticæ, & conditionales abſolutis priores ſint, harumque veritas ex illarum veritate nobis innoteſcat, quin potiùs veritas hypotheticæ propoſitionis ex Antecedente, & Conſequente falſis, & impoſſibilibus compoſita nobis innoteſcat ex veritate propoſitionis abſolutæ, priùs nobis euidenter cognitæ. Propterea enim hæc propoſitio & Conſequentia, *ſi tria ſunt quatuor, proportio trium ad octo ſubdupla erit*, vera eſt, & nobis euidens, quia hæc abſoluta *proportio quatuor ad octo eſt ſubdupla* eſt in ſe vera, & jam nobis cognita: & ideo hæc vera eſt, *ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, ab eo non diſtingueretur* realiter vera eſt, & vera nobis videtur, quia hæc abſoluta *diſtinctio realis perſonarum in Trinitate tantùm eſt à proceſſione vnius ab altera, aliunde jam nobis explorata eſt.*

ADDE quod ex hypotheſi impoſſibili, non niſi impoſſibile ſequitur lib. 1. de Cœlo textu 119. Igitur cùm impoſſibile ſit voluntatem agere ſolam, & ſine Deo, impoſſibile erit Deum, ex hac hypotheſi à ſe priùs cognita, *ſi voluntas per ſe, & ſine eo agere poſſet*, dirigi ad decernendum abſolutè

Digitized by Google

ſolutè ſuum cum cauſa libera concurſum. Itaque ejuſmodi declaratio, & conciliatio concurſus diuini cum libertate noſtræ voluntatis, huic planè perſimilis eſt, quo quis ad explicandam naturam viſionis diceret, eſſe id quo viſus perinde ſe habet circa colorem, ac ſi ſe ſolo, & ſine lumine eum percipere poſſet: vel Solem eſſe cauſam generationis plantarum, rerumque omnium ſublunarium, quòd eo modo ſuo motu, & lumine in hunc orbem inferiorem agat, quo ſi ſe ſolo, & ſine Deo, vel Intelligentia illi aſſiſtente moueretur, ageret, & illuminaret Mundum ſublunarem.

6. SEXTO, Propoſitio hypothetica, Deum per ſcientiam conditionalem præſcium eſſe operationis à voluntate proditturæ, ſi ipſa per ſe ſola, & abſque eo agere poſſet, his propoſitionibus abſolutis, *Deus præſcius eſt, ſe volente, & decernente concurrere cum voluntate, operationem ab ea prodituram*, vel *voluntas operabitur Deo volente cum ea concurrere*, omnino æquiualens eſt: hæ autem propoſitiones, nec quâ ſcientiâ, mediâne, an extremâ, viſionis, vel ſimplicis intelligentiæ Deus hujus rei præſcius ſit, nec modum, quo Deus cum voluntate concurrere ſtatuat, declarant; ſed ſolùm indicant indigentiam concurſus diuini, vt voluntas operetur.

7. NEQVE magis explicant concurſum Dei cum cauſa libera, quàm cum neceſſaria. De voluntate enim neceſſariò agente, Deumque v. g. neceſſariò amante dici poteſt, eam Deum clarè viſum amaturam, ſi cum ea concurrere, eique cooperari velit: & de Sole huic noſtro hemiſphærio præſente dici poteſt, quòd dies erit, ſi cum eo Deus coagere velit, & aërem illuminare.

VERVS igitur modus ſociandi diuinum concurſum cum voluntate operante, illæſâ ejus libertate, alius non eſt, quàm Deum ſuâ præſcientiâ, & voluntate abſolutâ, ſuâque virtute ita ei adeſſe, & cum ea operari, vt ſolutam, & expeditam ei relinquat agendi, & non agendi poteſtatem, vt eam non neceſſitet, nec determinet ad vnum more cauſæ neceſſariæ, ſiue id immediatè, & ſe ſola faciat, ſiue per intermediam, & immiſſam in eam qualitatem realem, vel intentionalem. *Optimus libertatem noſtrã cum Dei præſcientia conciliandi modus.*

8. PORRO in pleriſque Theologis, præſertim Recen-

Improbatur loquendi modus. tioribus, & modo eorum loquendi, cùm de Deo, Deique ſcientia, præſcientia, ejuſque decretis, deque ijs cum noſtra libertate componendis, vel ſcriptis libris, vel viuâ voce diſputant, tria adhuc mihi improbanda, & fugienda videntur.

PRIMVM. Quòd de Dei ſcientia, & voluntate perinde, ac de noſtra cogitent, & loquantur. *Non eodem modo de Dei ſcientia loquendũ, & cogitandum quo de noſtra.* Res enim creatæ, & ſibi inuicem, & nobis, noſtræque cognitioni, ac volitioni verè præteritæ, futuræ, vel præſentes ſunt, ideoque rectè dicimus ſcire nos hoc, vel illud futurum, aut præteritum eſſe, cùm verè ad noſtram ſcientiam præteriti, aut futuri habitudinem habeat. At verò Deo, Deique ſcientiæ, præſcientiæ, ac decretis, vtpote æternis, nihil præteritum, aut futurum eſt. Vnde quemadmodum ſurſum, & deorſum, ante, & retro, dextrum, & ſiniſtrum, aliæque ejuſmodi loci, & ſitus differentiæ, *Declaratur ſimilitudine.* ita inſunt rebus naturalibus ad inuicem comparatis, vt tamen ad Deum comparatæ nulla ſit ſurſum, aut deorſum, ante, aut retro, dextra, vel ſiniſtra, ſed omnes æquè ei immediatæ, & præſentes. Ita eidem, ejuſque æternæ præſcientiæ, ac voluntati nulla eſt præterita, vel futura, ſed omnes realiter præſentes, eaſque perpetuò vult, & cognoſcit præſentes, & cauſas omnes, ſiue liberas, ſiue neceſſarias, non vt operaturas, ſed vt actu operantes perpetuò cernit, cùm neque ſcientiæ, neque voluntatis diuinæ ad res creatas habitudo ſit tanquam ad ſibi futuras. *Deus*, inquit S. Thom. *S. Thomas.* quæſt. 2. de Veritate art. 12. *infallibiliter videt omnia contingentia, ſiue quæ nobis ſunt neceſſaria, ſiue quæ præterita, ſiue quæ futura, quia ſibi non ſunt futura, ſed ea inſpicit eſſe tunc, quando ſunt. Vnde ex hoc non remouetur, quin contingenter eueniant.* Statimque infert cognitionem, quam habet Deus de rebus, meliùs dici ſcientiam, quàm præſcientiam. Et 1. part. q. 14. art. 13. ſcitè admonet agere ſe de cognitione agentium nobis futurorum, non Deo, cui omnia ſunt præſentia.

9. SECVNDVM. Quòd Deus ſcientiâ, & præſcientiâ ſuâ, vtpote perfectiſſimâ, & comprehenſiuâ, cùm non ſolum cognoſcat quod, & quid, ſed etiam quomodo, id eſt, an liberè, vel neceſſariò quælibet ſit operatura, idque etiam decernat, ſuâque illâ præſcientiâ, & ſuo decreto efficiat, vt

cauſa libera liberè, neceſſaria neceſſariò operetur, prædicti tamen Theologi cùm hac in materia verſantur, Dei agendi modum ita exponunt, vt dicant eum, *expectare, explorare, ſcrutari, & quaſi conſultare voluntatis noſtræ inclinationem, attendere ad ejus determinationem, & ejus intuitu excitari ad decernendum, & dandum ei ſuum concurſum, ad ponendam ſuam omnipotentiam in ejus manibus, & cum ea concurrendum.* Quæ Latinè quidem, & eleganter, at parum Theologicè dicta videntur. Sanè aliud nihil dicunt, quàm Deum eſſe præſcium, voluntatem hoc, vel illud, in his, vel illis circumſtantijs poſitam eſſe operaturam; cùm, vt dictum eſt Capite præcedenti, & ſapienter admonet S. Thom. lect. 3. ſub finem in lib. 6. Metaph. dicere deberent, Deum eſſe præſcium, voluntatem in his, vel illis circumſtantijs poſitam, hoc, vel illud liberè eſſe operaturam, ſuâque voluntate decernere, vt id operetur liberè. Quod ſi facerent, ſtatim appareret, in Dei prouidentia, præſcientia, & decretis cum noſtra libertate conciliandis nihil penè eſſe difficultatis; nullamque homines de Deo expoſtulationis, & querelæ cauſam habere; cùm ſuâ illâ noſtrorum actuum ſcientiâ, præſcientiâ, definitione, prædefinitione, determinatione, prædeterminatione, & ſuo ad eos concurſu, etiam naturâ priore, aliud nihil ſciat, velit, & efficiat, quàm vt liberè operemur. Hoc autem libertatem noſtram peſſundare, vel tantillum lædere, quis adeo ſtolidus dixerit? *Quis tam impiè deſipiat*, inquit Auguſt. in Enchir. cap. 98. *vt dicat Deum malas hominum voluntates, cùm voluerit, quando voluerit, vbi voluerit in bonum non poſſe conuertere?* Et hoc vtique ſaluâ, & incolumi earum libertate. Et lib. de Correptione, & Gratia, cap 14. *Deus*, inquit, *qui in Cœlo, & in Terra omnia, quæcunque voluit, fecit, etiam de ipſis hominum voluntatibus quod vult, cùm vult, facit.* Quod pluribus ſtatim oſtendit, ex eo quòd Saülem, & Dauidem per hominum voluntates Reges conſtituerit, habens ſine dubio inquit, *humanorum cordium, quo placet, inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem.* Et paulo poſt, *magis habet in poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas.*

Modi loquendi non ſatis probabiles.

Nota.

Auguſtinus.

10. Tertium eſt, pleroſque hîc non rarò nugari, hoc eſt, in eadem propoſitione idem bis ſuperfluè repetere,

Digitized by Google

Loquendi modus nugatorius. cùm dicunt, *Deum antecedenter prædefinire, prædeterminare, præſcire,* vel prædefinitionem diuidunt, in *Antecedentem, & Conſequentem.* Quid enim eſt illud *præ,* quàm antecedenter? Quid prædefinitio, & prædeterminatio, quàm definitio, & determinatio antecedens? Et prædefinitionem, aut prædeterminationem diuidere in *Antecedentem, & Conſequentem* impropria admodum eſt locutio. Nam vt voluntas diuina à Theologis, communi Scholæ vſu, rectè diuidatur in *Antecedentem, & Conſequentem,* vel etiam neceſſitas ab ijs dicatur eſſe alia *Antecedens,* alia *Conſequens,* minùs tamen probanda videtur diſtinctio prædeterminationis, & prædefinitionis in Antecedentem, & Conſequentem, quòd terminus Conſequens ſonet aliquid poſterius, prædefinitio autem aliquid prius, ideoque termini ſint oppoſiti, qui ſicut linum lino, vt ait Philoſophus lib. 3. Phyſ. text. 64. ſimul rectè componi, & conjungi non poſſunt.

De qua Prioritate intelligenda ſit propoſitio Sancti Thomæ, Prædeſtinatio præſupponit præſcientiam futurorum.

CAPVT XLIII.

1\. DECRETORVM Dei ordinem, vt inutilem, & non neceſſarium ad res, & difficultates Theologicas expediendas S. Thomam habuiſſe jam inſinuauimus ſupra Capite 1. conſtatque manifeſtè ex ijs omnibus locis, in quibus Theologicas difficultates, ad quas enodandas Recentiores prædictum ordinem *S. Thomas nullo vtitur decretorum Dei ordine.* adhibent, ſine illo ordine pleniſſimè diſſoluit, & explicat, nullamque prorſus ejus mentionem facit. Nam 1. part. q. 19. art. 6. ad 1. exponens diſtinctionem voluntatis diuinæ in Antecedentem, & Conſequentem à Damaſceno lib. 2. Orthodoxæ fidei cap. 29. traditam, hæc habet. *Quæ quidem diſtinctio, non accipitur ex parte ipſius voluntatis diuinæ, in qua nihil prius, vel poſterius, ſed ex parte volitorum.* Et quæſt. 23.

Digitized by Google

art. 5. ac quæſt. 6. de Veritate art. 2. & alibi, tractans quæſtionem *An præſcientia meritorum ſit cauſa prædeſtinationis*, Et 3. part. quæſt. 24. art. 3. & 4. quærens *An prædeſtinatio Chriſti ſit cauſa noſtræ prædeſtinationis*, non modo nihil planè habet de ejuſmodi ordine conſiliorum, & decretorum Dei, nec vnquam dicit vnum eſſe prius, aut poſterius alio : ſed contra, vbi admonuit prædeſtinationem dupliciter accipi poſſe, vel ad intra, & ex parte actus prædeſtinantis, vel ad extra, & ex parte termini, ſeu effectuum prædeſtinationis in ipſis prædeſtinatis, expreſsè ait, ſe non agere de prædeſtinatione ad intra, & ex parte Dei prædeſtinantis, ſed ſolùm de prædeſtinatione ad extra, & ex parte effectus. *Cùm enim Deus* (inquit) *nos & Chriſtum vno, eodemque actu æterno prædeſtinarit, Chriſti prædeſtinatio noſtræ nullo modo cauſa, & exemplar eſſe poteſt.* Et quæſt. 23. citatâ 1. partis. *Nullus*, inquit, *fuit ita inſanæ mentis, qui diceret merita eſſe cauſam diuinæ prædeſtinationis ex parte actus prædeſtinantis, ſed hoc ſub quæſtione vertitur, An ex parte effectus prædeſtinatio habeat aliquam cauſam.* Itaque falſum eſt, quod ait Suarez 3. part. diſp. 5. ſect. 1. Diuum Thomam ejuſmodi ordine decretorum Dei ſæpius vti. Duo enim tantùm loca indicat, nempe 1. part. quæſt. 14. & 19. in quibus nullam planè ejus ordinis mentionem facit.

2. QVOD autem ait obiter 3. part. quæſt. 1. art. 3. in ſolutione quarti argumenti, *Prædeſtinationem præſupponere præſcientiam futurorum*, cùm à pleriſque ſæpe referatur, à paucis rectè intelligatur, & quia locus difficilis eſt, nec ad rem, ac ſolutionem argumenti ſatis accommodatus primâ fronte videtur; propterea paulò accuratius nobis hîc examinandus, ac exponendus videtur.

3. CAIETANVS ſuo in illum locum Commentario, in ſolutione dubij 2. duo dicit. Primum, illam propoſitionem non eſſe vniuerſim veram, ſed præſcientiam aliquando præſupponere prædeſtinationem, v. g. præſcientiam gloriæ Petri præſupponere ejus prædeſtinationem ad gloriam. Quod ita probat. Præſcientia futuri præſupponit futurum ſub ratione futuri. Quod enim non eſt, ſciri non poteſt, 1. Poſteriorum Analyt. cap. 2. text. 5. gloria Petri eſt primò futura per præ- *Cajetani expoſitio.*

Digitized by Google

deſtinationem: igitur ſecundùm naturæ ordinẽ primò eſt prædeſtinatio Petri ad gloriam, & ex hoc gloria Petri eſt futura, & ſic præuidetur à Deo.

Refellitur. VERVM fallitur Cajetanus, ejuſque argumenti & Major, & Minor ſunt falſæ. Præſcientia enim, quæ cauſa eſt rei futuræ præſcitæ, qualis eſt diuina reſpectu bonorum, non præſupponit, ſed facit illam eſſe futuram: igitur eâ prior eſt, & eo tantùm modo ſupponit rem futuram, quo cauſa in actu ſupponit, id eſt, requirit ſuum effectum: quod aliud nihil eſt, quàm illã non poſſe eſſe actu cauſam, niſi ejus effectus ſit actu ab illa, atque adeò poſteriùs illâ. Deinde præſcientia Dei reſpectu bonorum eſt ſcientia eorum practica, igitur ijs prior eſt, nec ea præſupponit.

4. AVTHORITAS autem Philoſophi, quâ Majorem ſuam confirmat, non eſt ad rem. Per *non ens* enim, quod ait Philoſophus *ſciri non poſſe*, intelligit id, quod eſt falſum; non autem id, quod actu non exiſtit. Scientia enim, & demonſtratio non ſunt niſi ex veris, ibidem. Et lib. 5. Metaphyſic. text. 13. hæc habet: *Item ipſum eſſe, & ipſum eſt ſignificat quod verum eſt: ipſum verò non eſſe, quod non verum, ſed falſum. Similiter tam in negatione, quàm in affirmatione* &c. Quod pluribus declarat lib. 6. text. 8. vnde concedentes propoſitionem aliquam vt veram, ſolemus dicere, *eſt*, *ita eſt*, *eſto*: aut negantes aliam tanquam falſam, *non eſt*. Præterea certum eſt, Deum certò noſſe omnia poſſibilia, quæ nunquam erunt, & nos etiam multa non exiſtentia cognoſcimus. Igitur per non ens, non intelligit quæ non exiſtunt. *Explicatur dictum Philoſophi.*

5. MINOR item eſt falſa. Licet enim gloria Petri ſit futura per prædeſtinationem ex meritis, non tamen primò, id eſt, non neceſſariò, & per ſe, adeò vt impoſſibile ſit illam eſſe futuram ſine meritis, ſeu prædeſtinatione ex meritis. Si enim Deus ſine vllis meritis daret gloriam Petro, vt dedit Chriſto, id faceret ſine vlla prædeſtinatione propriè ſumpta, hoc eſt, ſine vlla deſtinatione, & ordinatione vnius ad alterum per modum finis & medij, quod ordinariè in ſuo conceptu formali adultorum prædeſtinatio includit.

6. SECVNDÒ ait Cajetanus Verbum *præſcientiæ* in illa Sancti Thomæ propoſitione, ad rem vnam reſpicere, & præ-

Digitized by Google

deſtinationem ad alteram : vultque præſcientiam , quam ait S. Thom. præſupponi à prædeſtinatione, eſſe prouidentiam Dei circa res naturales, earumque ordinationem naturalem ; in quo ordine naturali *cùm contineantur*, inquit, *peccata & defectus. atque adeò peccatum Adami, propterea ait, hoc eſſe præſcitum ante Chriſti prædeſtinationem,* ſeu prædeſtinationem Chriſti præſupponere præſcientiam peccati Adami. Prædeſtinationis autem nomine in illa propoſitione vult intelligi, ordinationem hominum ad gloriam: qui ordo ad gloriam, cùm ſuperueniat ordini naturæ, huncque ſupponat, propterea prædeſtinationē dici à S. Thom. præſupponere præſcientiam futurorum. Cajetanum ſequitur Medina ibidem. *Altera expoſitio Cajetani.*

7. SED contra primò, Prouidentia naturalis, licet vno modo ſit prior prædeſtinatione & ordinatione ad gloriam, quatenus ſcilicet natura eſt fundamentum gratiæ, prędeſtinatio tamen ſeu ordo ad gloriam, quatenus eſt finis ordinis naturæ, prior eſt, & ordo naturę prout eſt gratiâ ordinis glorię, hoc poſterior eſt, vt dictum eſt ſupra Cap. 36. num. 14. *Reijcitur.*

SECVNDÒ, cùm ait S. Thom. *prædeſtinationem præſupponere præſcientiam,* omnino præſcientiam in ipſa prædeſtinatione incluſam cum ea comparat. Non ſecus ac qui dicit animal eſſe prius homine, vel hominem præſupponere animal, etiam de gradu animalis, qui eſt in ipſo homine loquitur, eumque dicit eſſe priorem ſecundùm rationem homine, quatenus ſcilicet, ſimplicior eſt, & vniuerſalior, & ab eo præciſe ſumpto ad hominem non valet ſubſiſtendi conſequentia, vt de præſcientia, & de prædeſtinatione dicetur poſtea.

8. FRANCISCVS SVAREZ ibidem in ſuo cōmentario duo etiā dicit. *Primum* præſcientiā eſſe duplicem, vnam abſolutā, & efficacem, quæ eſt futurorum: alteram conditionatam, quæ tantùm eſt rerum poſſibilium, aitque prædeſtinationem præſupponere quidem præſcientiā conditionatā, non verò abſolutam, ideoque peccatum Adami præſcientiâ conditionatâ præſupponi à prædeſtinatione Incarnationis Chriſti. Verum meritò ambigit Suarez ſitne S. Thom. ita intelligendus, *quia rarò,* inquit, *aut nunquam hujus ſcientiæ mediæ, & conditionatæ meminit* & quia hæc preſcientia futurorum ſimpliciter vocari non ſolet. *Expoſitio Suaris.* *Refellitur.*

9. SECVNDÒ ait prædeſtinationem ſumi poſſe duplici-

Digitized by Google

Altera eiuſdẽ expoſitio. ter vel *incompletè*, vt ſolam dicit volitionem finis, quomodo non includit voluntatem efficacem mediorum, ſed ſolùm rationem eorum in ipſo intellectu diuino exiſtentem; vel *completè & conſummatè*, vt comprehendit omnes prædeſtinationis effectus: Ac prædeſtinationem primo modo, præſcientiam futurorum non præſupponere, ſed tantùm ſecundo modo. E. g. prędeſtinationem Pauli quoad ipſam ejus electionem, & quantum ad primum effectum non pręſupponere pręſcientiam orationis Stephani: prout verò eſt prędeſtinatio Pauli completè, omniumque mediorum, quibus implenda eſt, ſeriem includit, pręſupponere pręſcientiam orationis Stephani.

Refellitur. 10. Sed hęc expoſitio etiam à mente Sancti Doctoris
1. videtur aliena. *Primò*, quia, vt pręcedens Cajetani, pręſcientiam aliò refert, & circa aliud objectum verſari vult, quàm illud
2. circa quod verſatur prędeſtinatio. *Secundò* quia de pręſcientia & prędeſtinatione abſoluta, & efficaci S. Thom. loquitur. Cùm alia nulla ſit, & pręſcientię ac prędeſtinationis nomini-
3. bus ſimpliciter vtatur. *Tertiò* prędeſtinatio completa & efficax Pauli, vt completa eſt, includitque voluntatem efficacem glorię Pauli, omniumque mediorum, quibus implenda eſt, atque adeò orationis Stephani, hanc Stephani orationem nõ magis pręſupponit, quàm gloriam Pauli. Vtraque enim pars eſt illius prędeſtinationis completę, vtraque ab ea ſupponitur, vt partes à toto ſupponuntur, & vtraque eſt pręſcientia rei futurę, id eſt, tam orationis Stephani, quàm glorię Pauli.
4. *Quartò* hoc Suaris ſenſu non magis prędeſtinatio pręſcientiã, quàm pręſcientia prędeſtinationem pręſupponit. Sicut enim gloria Pauli pręſupponit orationem Stephani, vt cauſam, & medium, per quod impleri debet; ita oratio Stephani pręſupponit gloriam Pauli, vt ſuam cauſam finalem: eſt enim ejus gratiâ, & ad eum ſaluandum ordinata: igitur ejus finalis effectus.

11. Alivs igitur eſt verus, & germanus prędictę propoſitionis ſenſus, & alia mens S. Thomę, quam vt aſſequamur,
Terminos pręſcientiæ & prædeſt. propriè ſumpſit. ſupponendum *primò* pręſcientię, & prędeſtinationis terminis in ſua propria, & communi ſignificatione S. Thom. vſum eſſe, cumque non de alia, quàm de vera, abſoluta, & efficaci tã pręſcientia, quã prędeſtinatione locutũ. Nulla enim eſt alia.

Svppo-

SVPPONENDVM ſecundò, Præſcientiam Dei ſimpliciter dictam in ſuo præciſo formali, & adæquato cônceptu aliud nihil eſſe, quàm cognitionem Dei objectum ſuum antecedentem, vel æternitate ſolùm, vel etiam cauſalitate. Itaque, ſiue ſit vnius tantũ futuri abſolutè ſumpti cognitio, ſiue multorum, eorumque ſiue diſparatorum, ac ſine vllo ad inuicẽ ordine, Præſcientia eſt. Prouidentia verò eſt ratio ordinis, ſeu ordinatio multorum ad inuicem ſecundùm habitudinem medij, & finis, cauſæ, & effectus: ſiue ejuſmodi futurorum, & totius ordinis ſit cauſa, ſiue non ſit. Nam futurorum malorum cauſa non eſt: bonorum verò vna cum decreto voluntatis diuinæ vera eſt cauſa, tum efficiens, tum finalis, cùm ſit Deus ipſe. Prædeſtinatio verò ſimpliciter dicta, eſt Dei ordinatio, & deſtinatio efficax hominum, & Angelorum ad finem ſupernaturalem gloriæ æternæ per media efficacia obtinendum. Ideoque Prædeſtinatio eſt Prouidentia, & hæc eſt Præſcientia ordinans, vel eſt cognitio futurorum, ea ad finem ſupernaturalem ordinans. *Prædeſtinatio ſub præſcientia comprehenditur*, inquit S. Thom. 2. 2. q. 174. art. 1. & ad 1. *Præſcientia propriè dicitur præcognitio futurorum euentuum, prout in ſeipſis ſunt.* Et quia futurorum euentuum quædam ſunt bona, alia mala, propterea Præſcientia, alia eſt futurorum, quorum Deus eſt cauſa, alia quorum non eſt cauſa, vt malorum. Præterea alia eſt Præſcientia, & cauſa futurorum abſolutè, & ſolitariè ſumptorum, nullumque ad inuicem ordinem, & dependentiam habentium; ideoque vt ſic propriè, neque Prouidentia, neque Prædeſtinatio: alia verò futurorum, habitudinem inter ſe aliquam, & ordinem medij ad finem, vel effectus ad cauſam habentium: qui ordo futurorum, ſi tantùm eſt rerum naturalium ad finem naturalem, Prouidentia: ſi Angelorum, & hominum futurorum ad gratiam, & gloriam æternam ordinatorum Prædeſtinatio communiter, & propriè dicitur.

Præſcientia quid. *Prouidentia quid.* *Quid Prædeſtinatio.*

II. ITAQVE Præſcientia ſimpliciter dicta ad Prouidentiam, & Prædeſtinationem ſe habet, vt genus ad ſpeciem; ſpecies autem ſuum genus præſupponit, & genus omne ſecundùm rationem eſt prius ſua ſpecie, & quia communius, & quia ſimplicius, & quia à genere ad ſpeciem non valet

Præſcientia eſt veluti genus ad prouidentiam, & prædeſtinationem.

Digitized by Google

exiſtendi conſequentia, cùm valeat à ſpecie ad genus. Propterea Prædeſtinatio Præſcientiam præſupponit, hâcque poſterior eſt poſterioritate rationis, quia Præſcientia communior eſt, & ſimplicior, eo quòd in ſuo conceptu præciſo, nec cauſalitatem, nec ordinationem vnius ad alterum dicat, quæ Prædeſtinatio includit: & etiam quia à Prædeſtinatione ad Præſcientiam exiſtendi conſequentia bona eſt: non autem à Præſcientia ad Prædeſtinationem. Omne enim prædeſtinatum eſt præſcitum: at non omne præſcitum eſt prædeſtinatum, vt in reprobis patet.

Germanus ſenſus propoſitionis S. Thomæ.

12. HÆC eſt expreſſa doctrina Auguſtini lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 10. *Prædeſtinatio*, inquit, *ſine præſcientia non poteſt eſſe, poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia. Prædeſtinatione quippe Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus: præſcire autem potens eſt etiam, quæ ipſe minimè facit, ſicut quæcunque peccata.* Idem habet Proſper ad Capita Gallorum reſponſione vltimâ. Quos omnes Doctores Scholaſtici ſequuntur, vt notat Ruiz de Prouidentia diſp. 3. ſect. 1. num. 7.

Probatur.

13. HANC eſſe veram, & germanam prædictæ propoſitionis intelligentiam ex eo probatur, quòd ſecundùm illam prioritatem præſcientiæ, propoſitum à S. Thom. argumentum directè, & perfectè ſoluatur, negando ſcilicet ejus Conſequentiam. Nempe quòd ſi Chriſtus prædeſtinatus eſt, etiam ſi non ſit peccatum Adæ, tamen venturus eſt: quia cùm prædeſtinatio ſit futurorum (Præſcientiam enim, quæ eſſentialiter eſt futurorum, vt totum partem, & ſpecies genus in ſuo conceptu includit, & præſupponit.) Si Chriſtus eſt prædeſtinatus non ſolùm, vt ſit Filius Dei, ſed etiam, vt ſit Redemptor generis humani, & extinctor peccati, redemptio autem eſſe non poſſit, niſi præſuppoſito peccato, certè nullo exiſtente peccato Chriſtus prædeſtinatus Redemptor eſſe non potuit, atque adeo vi decreti, quo prædeſtinatus eſt, venire non potuit.

Confirmatur data à S. Thoma ſolutio.

14. IMÒ verò ex illo Antecedente *quòd Chriſtus eſt prædeſtinatus*, contrarium planè, nempe non venturum Chriſtum ſi Adam non peccaſſet, concludendum fuit. Nam ſi prædeſtinatio eo, quo dictum eſt modo, includit, & præſupponit

Digitized by Google

præſcientiam futurorum, & ſi omne prædeſtinatum, eſt præſcitum, cùm omne præſcitum ſit futurum, (Præſcientia enim non eſt niſi futurorum, vnde, & præſcientia, & ſcientia viſionis apud pleroſque pro eodem ſumuntur, vt notat Ruiz de Scientia Dei diſp. 17. ſect. 4. num. 1.) prædeſtinatum vt ſic, omnino eſt futurum, nec alio modo eſt futurum, quàm quo eſt præſcitum, & prædeſtinatum, nempe cum ordine, & habitudine ad illud omne, ad quod eſt deſtinatum, & præordinatum : igitur ſi quid horum non eſt futurum, nec etiam illud, id eſt, ſi futura non eſt rei habitudo, nec etiam res futura eſt. Itaque ſi Chriſtus eſt prædeſtinatus in remedium peccati Adami, ſi peccatum hoc non fuerit purgandum, nec Chriſtus erit; quia à Deo præſcitus, & prædeſtinatus eſt, vt purgaret peccatum : alioqui falleretur diuina præſcientia, & prædeſtinatio, ſi prædeſtinatus certo quodam modo, alio eueniret. Quemadmodum (quod eſt exemplum Sancti Thomæ ibidem) ſi Deus præſciuit, & prædeſtinauit ſalutem vnius hominis, v. g. Pauli per alterius orationem, nempe Stephani implendam, omnino ita eueniet, alioqui certa non eſſet Dei præſcientia, & prædeſtinatio. Igitur rectè infertur, quòd ſi vna non eſt, altera non erit, eo quòd gloria Pauli v. g. non eſt decreta, & prædeſtinata, niſi cum ordine ad orationem Stephani : ita cùm Chriſtus non ſit prædeſtinatus, niſi vt peccatum deleret, ſi peccatum non ſit, nec etiam ipſe futurus vi illius decreti, & prædeſtinationis.

15. PORRO aduerte præſcientiam dici futurorum, quia non eſt niſi futurorum, per futura, intelligi ea, quæ ſunt, fuerunt, & erunt in tempore. Hæc enim omnia, & ſola Deo ejuſque ſcientiæ, ac decreto diuino futura ſunt, eo quòd diuina præſcientia ſit æterna ; æternitas autem ſuâ celſitate, & infinitate tempora omnia antecedat. Itaque ex tribus *præ*, ſeu prioritatibus, in prædicta propoſitione, *Prædeſtinatio præſupponit præſcientiam futurorum*, prima, & tertia ſunt reales, cùm prædeſtinatio, & præſcientia Dei, tum æternitate, tum etiam cauſalitate, præterquam in peccatis, priores ſint rebus præſcitis, & prædeſtinatis : Secunda verò prioritas verbo *præſupponit* importata, ſolùm eſt rationis : Tum quia prædeſtinationis à præſcientia generatim ſumpta diſtinctio, & vnius

Tria præ, *vt accipienda in dicta propoſitione.*

Digitized by Google

ad alteram comparatio eſt Logica, ſitque tantùm in mente noſtra, eo modo, quo genus à ſpecie, animal ab homine abſtrahitur, & ad inuicem comparantur: Tum quia id inſinuat verbum *ſupponere*, quod hîc ſignificat ſuppoſitionem, & Conſequentiam Logicam, quâ genus ſupponit ſpeciem, cùm à ſpecie ad genus valeat exiſtendi Conſequentia, non autem à genere ad ſpeciem: Tum denique quia in prædicta propoſitione verbum *ſupponere*, aut *præſupponere* eo modo, & ſenſu ſumit S. Thom. quo 1. part. quæſt. 23. art. 4. ait, & probat, quòd *prædeſtinatio electionem, electio dilectionem, ſecundùm rationem præſupponit.* Nam prædeſtinatio, quatenus eâ præcisè prædeſtinato Deus vult aliquod bonum, nempe ſalutis æternæ, eſt dilectio. Eadem eſt electio, quatenus hoc bonum ſalutis æternæ ei vult præ alijs, ſcilicet reprobis. Eſt denique prædeſtinatio, quatenus bonum ſalutis æternæ, quod præ alijs vult ei, vult & æternitate priùs, quàm illi conferat, & eſſe priùs cauſalitate finali, quatenus illud ei vult, vt obtinendum per media, quæ præordinauit.

Quomodo dilectio electione, & hac prædeſtinatione prior.

CVM igitur dilectio in electione, & vtraque in prædeſtinatione includatur, quatenus dilectioni electio, vtrique prædeſtinatio addit aliquid, quo addito, licet accidentali, id cui additur, quodam modo limitatur, & contrahitur: propterea dilectio electione, & electio prædeſtinatione, ratione, & conſequentiâ prior eſt, & hæc illas præſupponit. Nam ſimplicia compoſitis priora ſunt, & à dilectione ad electionem, ab electione ad prædeſtinationem exiſtendi conſequentia non valet: valet autem à prædeſtinatione ad electionem, & ab electione ad dilectionem. Omnes enim prædeſtinati ſunt electi: & omnes electi ſunt dilecti; non contra: cùm reprobi ſint dilecti, quatenus bona aliqua, tum naturæ, tum etiam gratiæ à Deo accipiunt, non tamen ſimpliciter prædeſtinati, ſed ſolùm ſecundùm quid.

Ex quibus etiam patet prædictam propoſitionem Sancti Thomæ, *Prædeſtinatio præſupponit præſcientiam futurorum* de prioritate, & præſuppoſitione ſecundùm rationem, vt dictum eſt, intellectam, de prædeſtinatione tam paſſiua, & ad extra, quàm de actiua, & ad intra veram eſſe.

Digitized by Google

Quid Ordinis ſit in Prædeſtinatione.

CAPVT XLIV.

1. ORDINEM in prædeſtinatione eſſe aliquem vel ipſum nomen manifeſtè declarat. Particulæ enim *præ*, ejus fronti appoſita, prioritatem, atque adeò ordinem formaliter,& vi ſuâ exprimit. At quem ordinem, quamue prioritatem exponere aggredimur.

CVIVS rei gratiâ repetendum memoriâ eſt, quod adno- *Ordo alius*
tauimus ſupra cap. 4. num. 9. ordinem alium eſſe *Actiuum* *eſt Actiuus.*
in mente ordinantis, & alium *Paſſiuum*, qui eſt in ipſis rebus *Alius Paſ-*
ordinatis. Quò fit vt inter vtrumque illum ordinem ſit ordo *ſiuus.*
naturæ ſecundùm cauſalitatem: in quo Actiuus, quia cauſa Paſſiui, ſit prior, & hic poſterior. Sæpe etiam inter vtrumque eſt ordo Temporis, ſeu durationis; in quo Actiuus tempore ac duratione paſſiuum præcedat. Prius enim tempore, vel æternitate mens ordinat, quàm ſit ipſa ordinis executio.

2. IVXTA hanc doctrinam in hujus diſputationis limine
duplex diſtinguenda eſt Prædeſtinatio. Vna Actiua in Deo, *Prædeſtina-*
ſeu ad intra, vt loquuntur, & ex parte Dei, eademque æter- *tio Actiua.*
na. Altera paſſiua, ad extra, & ex parte effectus, rerumque *Paſſiua.*
ordinatarum, quæ eſt temporalis. Vtriuſque paſſim meminit S. Thom. 1. Part. quæſt. 23. ſed maximè art. 2. vbi ita loquitur. *Prædeſtinatio eſt quædam pars Prouidentiæ: Prouidentia verò eſt quædam ratio in intellectu prouiſoris. Executio autem prouidentiæ, quæ gubernatio dicitur, paſſiuè quidem eſt in gubernatis, actiuè autem in gubernante. Ita Prædeſtinatio eſt quædam ratio ordinis aliquorum in mente diuina exiſtens: executio autem hujus ordinis paſſiuè quidem eſt in prædeſtinatis; actiuè autem in Deo. Eſt autem executio prædeſtinationis vocatio, & magnificatio, ſecundùm illud Apoſtoli ad Rom. 8. Quos prædeſtinauit hos & vocauit: & quos vocauit, hos & magnificauit.*

3. AC inter vtramque hanc prædeſtinationem ordo duplex eſt: vnus temporis ſeu durationis: alter cauſalitatis,

Digitized by Google

Inter vtrũque eſt ordo duplex. Temporis quidem ac durationis, quatenus interna, & actiua Dei prædeſtinatio externam, & paſſiuam, quæ in tempore eſt, æternitate præcedit. Vnde nomen prędeſtinationis illi primò, & propriè datum eſt, huic non niſi ſecundariò, & impropriè, & quatenus effectus illius.

Prædestinatio vocatur, inquit Hugo à S. Victore lib. *Hugo.* 1. de Sacramentis parte 2. cap. 21. *quoniam quod faciendum eſt, fuit diſpoſitum prius, quàm fiat.* Et Durandus in 1. diſt. *Durandus.* 11. quæſt. 1. *Quia*, inquit, *rationes rerum praexiſtunt in Deo antequam fiant, ideo ratio talis deſtinationis in finem ſupernaturalem praexiſtens in Deo, propter anteceſſionem ad rem, dicitur pradeſtinatio.* Ita nomen Prædeſtinationis Theologos omnes ſumpſiſſe pluribus docet Ruiz tomo de Prædeſt. diſp. 1. ſect. 1. & meritò. Nam deſtinatio, ex quo nomen prædeſtinationis componitur, deſignationem, & propoſitum aliquid faciendi ſignificat; & deſtinare eſt aliquid faciendum ſibi proponere, vel tanquam ſcopum, & finem obtinendum quidpiam intendere vt Machabæor. lib. 2. cap. 6. *Deſtinauit,* Eleazarus ſcilicet, *non admittere illicita, propter vitæ amorem*, & 2. ad Cor. 9. *vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo*, ſcilicet conferre in eleemoſynam pauperum. Deſtinare item eſt aliquem ordinare, dirigere, & aliquò mittere, rei alicujus nunciandæ, aut efficiendæ causâ. Ejuſmodi autem deſignatio, & ordinatio, cùm in animo noſtro tempore, in Deo æternitate priùs ſit, quàm intimetur, & executioni mandetur: propterea Dei deſtinatio, propoſitum, voluntas, & decretum, quo ab æterno ſtatuit, & decreuit facere aliquid in tempore, deſtinatio, & pręfixa præpoſitione *præ*, quæ anteceſſionem aliquam importat, prædeſtinatio dicitur.

4. Ac licet quodlibet Dei decretum, propoſitum, ac deſtinatio rei cujuſlibet in tempore faciendæ prędeſtinatio nominari, ipſaque res facienda, deſtinata, ac prędeſtinata dici poſſit, vnde & Filius Dei ad Rom. 1. prædeſtinatus dicitur, vt ſcilicet in tempore homo fieret: communi tamen SS. PP. & Theologorum vſu, propoſitum, ac voluntas Dei ſaluandi *Prædeſtinationis nomẽ quid ſignificet propriè.* Homines, & Angelos, & perducendi eos in gloriam ſiue per merita & bona opera, vt adulti, ſiue ſine meritis, vt paruuli poſt Baptiſmum decedentes, & Chriſtus ipſe (quem in-

Digitized by Google

quantum homo, prædeſtinatum dicimus, inquit Auguſtinus lib. de Prædeſtinat. ſanct. cap. 15.) prædeſtinationis nomine intelligitur.

5. Itaque Auguſt. lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 24. ita loquitur. *Quid dabit eis, quos prædeſtinauit ad vitam, qui hæc dedit etiam eis, quos prædeſtinauit ad mortem.* Et Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 13. *Quos prædeſtinauit ad gloriam, prædeſtinauit ad juſtitiam: Quos autem prædeſtinauit ad pœnam, non prædeſtinauit ad culpam.* Et Iſidorus lib. 2. de Summo bono cap. 6. *Gemina eſt prædeſtinatio, ſiue electorum ad requiem, ſiue reproborum ad mortem*: Alijque nonnulli SS. PP. cùm prædeſtinationis nomen interdum attribuunt reprobis, dicuntque eos eſſe prædeſtinatos ad pœnam, ad mortem, & ſupplicium æternum, minùs propriè loquuntur. Deus enim primò, & per ſe non intendit pœnam, aut damnationem æternam. Sed ſolùm ex peccato à reprobo commiſſo juſtitiæ ſuæ punitiuæ oſtendendæ occaſionem ſumit.

Auguſtinus. *Fulgentius.* *Iſidorus.* *Quid impropriè.*

MVLTÒ minùs dicendus eſt prædeſtinare homines ad peccandum. Prædeſtinatio enim non niſi eſt boni alicujus, quod vel per ſe, & vt finis, vel vt medij ad finem vtilis intenditur. Peccatum autem nullam boni vel abſoluti, & per ſe, vel relatiui, & medij ad aliud bonum rationem habere poteſt: igitur illud Deus intendere, & prædeſtinare non poteſt. Deinde prædeſtinatio cauſa eſt rei prædeſtinatæ: peccati autem Deus nullo modo cauſa eſſe poteſt.

Deus nõ intendit peccatum.

6. PORRO cùm bonum ſupernaturale, quod Deus deſtinat, ac prædeſtinat nobis dare, aliud ſit finis vltimus, nempe viſio Dei, & gloria æterna; aliud ſit via, medium, & bonum vtile ad gloriam conſequendam, ipſa ſcilicet, merita, & bona opera facta in gratia: propterea Prædeſtinationis nomen interdum pro ſolo Dei propoſito, ſolaque electione ad beneficia gratiæ; interdum pro ſola electione ad gloriam, ſoloque decreto eam conferendi: magis propriè tamen, magiſque communiter à Theologis adæquatè pro vtraque electione ad gratiam, & gloriam ſumitur.

Prædeſtinatio inadæquatè. *Adæquatè.*

7. QVOD ſpectat ad ordinem naturæ, & cauſalitatis inter Prædeſtinationem actiuam, & paſſiuam, illa prior eſt, hæc poſterior. *Prædeſtinatio*, enim inquit S. Thom. quæſt.

Actiua prædeſtinatio naturâ & cauſalitate priùs eſt paſſiua.

Digitized by Google

23. art. 3. ad 2. *eſt cauſa, & ejus, quod expectatur in futura vita à prædeſtinatis, ſcilicet gloria; & ejus, quod percipitur in præſenti, ſcilicet gratia.* Et art. 5. *Habet prædeſtinatio ex parte effectus*, id eſt paſſiua, *pro ratione diuinam voluntatem, ad quam totus effectus prædeſtinationis ordinatur, vt in finem, & ex qua procedit ſicut ex principio primo mouente.*

Quid ſit prædeſtinatio actiua.

8. Ex his patet quid ſit Prædeſtinatio actiua, & quid paſſiua. Illa enim eſt ordinatio, ſeu ratio ordinis, creaturæ rationalis in finem vitæ, ac gloriæ æternæ, in mente diuina ab æterno exiſtens, ſeu decretum Dei æternum conferendi gratiam, & gloriam prædeſtinatis: Hæc verò ipſa ſeries eſt, & ordo donorum, & beneficiorum Dei, quibus ad vitam æternam perducimur: ſeu eſt ipſa donatio gratiæ, & gloriæ. Illa ab Auguſt. lib. de Dono perſeuerantiæ cap. 14. definitur *Præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur.* Præſcientia dicitur, quia hanc eſſentialiter includit, & vt dictum eſt Cap. præcedenti præſupponit. Vnde præſcientiæ nomen pro prędeſtinatione nonnunquam etiam in Scriptura ponitur. Ad Rom. 11. *Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit,* id eſt prædeſtinauit, vt exponit Auguſt. lib. de Bono perſeuerantię cap. 18. *Præparatio* item ab Auguſt. dicitur, nempe actiua, quia vt habet S. Thom. 1. part. quæſt. 23. art. 2. ad 3. *Duplex eſt præparatio. Quædam patientis, vt patiatur, & hæc eſt in præparato. Quædam alia eſt agentis, vt agat, & hæc eſt in agente. Et talis præparatio eſt prædeſtinatio, prout aliquod agens per intellectum dicitur præparare ſe ad agendum, inquantum præconcipit rationem operis fiendi. Et ſic Deus ab æterno præparauit prædeſtinando, concipiens rationem ordinis aliquorum in ſalutem.*

Quid paſſiua.

Definitio Auguſtini prædeſtinationis actiua.

Quomodo ſit prępartio.

Quæ beneficia conferat prædeſtinatio.

ADDIT Auguſtinus *beneficiorum Dei* hoc eſt, donorum ſeu bonorum, quæ Deus prædeſtinatis tribuit non ex eorum operibus ac meritis, ſed ex gratuita ſua liberalitate, quæ, vno verbo, gratiam prædeſtinationis non rarò appellat. Et nomine *gratiæ*, non ſolam habitualem, quâ juſtificamur, ſed etiam actualem, quâ adjuuamur, ipſaque bona opera, quibus gloriam æternam promeremur, immò & ipſam gloriam æternã, quæ beneficiorum, ac donorum Dei maximum eſt, intelligit, atque adeò paſſiuam prædeſtinationem. Nam vt admonet

lib. de

Digitized by Google

lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 10. *Inter gratiam, & prædeſtinationem*, ſcilicet, actiuam, *hoc tantùm intereſt, quòd prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio; gratia verò jam ipſa donatio.* Et paulò poſt. *Quocirca*, inquit, *Prædeſtinatio Dei, quæ in bono eſt, gratiæ eſt, vt dixi, præparatio: gratia verò eſt ipſius prædeſtinationis effectus.*

Denique addit, *Quibus certiſſimè liberantur quicunque liberantur*, duplici de cauſa. Primò, vt ſignificet nomine *gratiæ*, vel *beneficiorum* Dei intelligendum non eſſe quodlibet Dei donum gratis à Deo nobis datum, ſed ea dona ſupernaturalia, quibus diſponimur, juuamur, & ordinamur ad vitam æternam, quæque vno verbo appellat gratiam Chriſti. Etenim vt præclarè diſſerit Epiſt. 95. ad Innocentium Papam. *Etſi quâdam non improbandâ ratione dicatur gratia Dei, quâ creati ſumus, vt nonnihil eſſemus, nec ita eſſemus, vt cadauer, quod non viuit, vt arbor, quæ non ſentit, vt pecus, quod non intelligit; ſed homines, qui & eſſemus, & viueremus, & ſentiremus, & intelligeremus: & de hoc tanto beneficio Creatori noſtro gratias agere debeamus, quod & gratia dici poteſt, quia non præcedentium aliquorum meritis, ſed gratuitâ Dei bonitate donata eſt: Alia tamen eſt quâ prædeſtinati vocamur, juſtificamur, glorificamur. Hanc gratiam ſuis diſputationibus oppugnauit Pelagius*, &c.

Nomine gratiæ quid intelligendum ſit.

Auguſtinus.

Secundò addidit Auguſtinus verba illa, quibus certiſſimè liberantur, quicumque liberantur, tum ad prædeſtinationis diuinæ efficaciam, certitudinem, & infallibilitatem, indicandam, tum vt à gratia, & beneficijs prædeſtinationis excluderet ea, quæ confert reprobis, quibus culpâ ſuâ non vtuntur ad ſalutem conſequendam, nec in gratia etiam ſupernaturali ſibi data perſeuerant. Atque hâc vltimâ particulâ prædeſtinatio à reprobatione diſtinguitur, quæ quidẽ eſt Præſcientia, & præparatio quædam, ſed pœnæ æternæ propter peccatum, ſeu eſt ordinatio, & voluntas permittendi peccatũ creaturæ rationalis, illudque puniendi excluſione à gloria, & fine vltimo ſupernaturali.

Explicantur verba poſtrema.

Prædeſtinatio vt differat à reprobatione.

Atque ex hac definitione prædeſtinationis facilè eſt eã à Dei Scientia, Præſcientia, & Prouidentia diſtinguere. Scientia enim aliud nihil eſt, quàm ſimplex rerum notitia, quæ Præſcientia dicitur, quatenus eſt de rebus in aliqua tem-

A Scientia, Præſcientia, Et Prouidentia Dei.

poris differentia futuris, quas æternitate antecedit; ſiue ſit earum cauſa, ſiue non ſit, vt peccatorum, & malorum culpæ. Prouidentia verò eſt Præſcientia, præparatio, ſeu ratio ordinis rerum ad fines ſuos naturales. Prædeſtinatio autem eſt ordinatio, id eſt, ratio ordinis perſonarum ad gloriam æternam, & finem ſupernaturalem vitæ æternæ: ſeu eſt Præſcientia Dei, quæ, cum ejus voluntate conjuncta, talis ordinis effectiua eſt.

Refertur, & explicatur doctrina S. Thomæ de cauſa Prædeſtinationis.

CAPVT XLV.

PRÆTER ordinem, qui eſt inter Prædeſtinationem actiuam & paſſiuam, de quo Capite præcedenti, alius quidam ordo eſt vnicuique earum proprius. In ipſa enim Prædeſtinatione paſſiua, præſertim adultorum, inter gratiam & gloriam, inter merita & bona opera, quibus præmium vitæ æternæ conſequuntur, ordo quidam realis eſt, non ſolùm temporis, ſed & cauſalitatis: & etiam in actiua ordo quidam rationis, ac denominationis extrinſecæ conſtitui poteſt inter Dei conſilia, decreta, actuſque internos de beneficijs, quæ ab æterno ſtatuit, decreuit, & præparauit dare prædeſtinatis. De priori quidem, cùm S. Thom. 1. part. quæſt. 23. art. 5. ſatis, de poſteriori nihil ſcripſerit, Recentiores contra de hoc poſteriori parum, vt mihi videtur, vtili plurima, de priori pauca admodum diſſeruerint, de vtroque ſigillatim nobis aliquid dicendum eſt. Et quoniam de priori illo ordine, deque difficillimo circa Prædeſtinationem puncto nihil melius, vt ego quidem ſentio, nihil breuius, & enucleatius dici poteſt, quàm quod à Sancto Doctore prædicto articulo ſcriptum eſt; ejuſque doctrinam, quantumuis ſolidam, & eximiam, Recentiores fere omnes, cùm in hoc verſantur argumento, penè intactam prætermittunt, propterea non inutile fore putaui, totius illius articuli textum hîc inſerere, & circa eum quædam annotare ad faciliorem ejus intelligentiam.

Quantum diſſentiant Recentiores à D.Thoma in ſtatu hujus quæſtionis.

Digitized by Google

Articulus 5. quæſtionis 23. 1. partis D. Thomæ.

VIDETVR, *quòd præſcientia meritorum ſit cauſa prædeſtinationis. Dicit enim Apoſtolus Rom.* 8. Quos præſciuit, hos & prædeſtinauit. *Et glo. Ambr. ſuper illud Rom.* 9. Miſerebor cui miſerebor, *&c. dicit, miſericordiam illi dabo, quem præſcio toto corde reuerſurum ad me. Ergo videtur quòd præſcientia meritorum ſit cauſa prædeſtinationis.*

PRÆTEREA, *Prædeſtinatio diuina includit diuinam voluntatem, quæ irrationabilis eſſe non poteſt, cùm prædeſtinatio ſit propoſitum miſerendi, vt Auguſtinus dicit.* Sed nulla alia ratio poteſt eſſe prædeſtinationis, niſi præſcientia meritorum. *Ergo præſcientia meritorum eſt cauſa, vel ratio prædeſtinationis.* *De Prædeſt. Sanct. cap. 10.*

PRÆTEREA, *Non eſt iniquitas apud Deum, vt dicitur Rom.* 9. Iniquum autem eſſe videtur, vt æqualibus inæqualia dentur. *Omnes autem homines ſunt æquales, & ſecundùm naturam, & ſecundùm peccatum originale. Attenditur autem in eis inæqualitas ſecundùm merita, vel demerita propriorum actuum. Non igitur inæqualia præparat Deus hominibus prædeſtinando, & reprobando, niſi propter differentium meritorum Præſcientiam.*

SED *contra eſt, quod dicit Apoſtolus ad Tit.* 3. Non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit. *Sicut autem ſaluos nos fecit, ita & prædeſtinauit nos ſaluos fieri. Non ergo Præſcientia meritorum eſt cauſa, vel ratio Prædeſtinationis.*

RESPONDEO *dicendum, Quòd cùm Prædeſtinatio includat voluntatem (vt ſupra dictum eſt) ſic inquirenda eſt ratio Prædeſtinationis, ſicut inquiritur ratio diuinæ voluntatis. Dictum eſt autem ſupra, quòd non eſt aſſignare cauſam diuinæ voluntatis ex parte actus volendi, ſed poteſt aſſignari ratio ex parte volitorum, inquantum ſcilicet Deus vult eſſe aliquid propter aliud.* *Art. præced. Quæſt. 19. art. 5.*

NVLLVS *ergo fuit ita inſanæ mentis, qui diceret merita eſſe cauſam diuinæ Prædeſtinationis ex parte actus prædeſtinantis. Sed hoc ſub quæſtione vertitur, vtrum ex parte* effectus *Prædeſtinatio habeat aliquam cauſam. Et hoc eſt quærere vtrum Deus præordinauerit ſe daturum* effectum *Prædeſtinationis alicui propter merita aliqua.*

Digitized by Google

Fvervnt *igitur quidam, qui dixerunt, quòd* effectus *Prædeſtinationis præordinatur alicui propter merita præexiſtentia in alia vita. Et hæc fuit poſitio Origenis, qui poſuit animas humanas ab initio creatas, & ſecundùm diuerſitatem ſuorum operum diuerſos ſtatus eas ſortiri in hoc mundo corporibus vnitas. Sed hanc opinionem excludit Apoſtolus Rom. 9. dicens,* Cùm nondum nati fuiſſent, aut aliquid egiſſent boni, vel mali, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt: quia major ſeruiet minori.

Opinio Origenis.

Fvervnt *ergo alij qui dixerunt, quòd merita præexiſtentia in hac vita ſunt ratio, & cauſa* effectus *Prædeſtinationis. Poſuerunt enim Pelagiani, quòd initium benefaciendi ſit ex nobis, conſummatio autem à Deo. Et ſic ex hoc contingit, quòd alicui datur Prædeſtinationis* effectus, *& non alteri: quia vnus initium dedit ſe præparando, & non alius. Sed contra hoc eſt quod dicit Apoſtolus 2. Corinth.* 3. quòd non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis. *Nullum autem anterius principium inueniri poteſt, quàm cogitatio. Vnde non poteſt dici, quòd aliquod in nobis initium exiſtat, quod ſit ratio* effectus *Prædeſtinationis.*

Error Pelagian.

Vnde *fuerunt alij, qui dixerunt, quòd merita ſequentia Prædeſtinationis* effectum, *ſunt ratio Prædeſtinationis: vt intelligatur, quòd ideò Deus dat gratiam alicui, & præordinauit ſe ei daturum, quia præſciuit eum bene vſurum gratiâ. Sicut ſi Rex det alicui militi equum, quem ſcit eo bene vſurum.*

Tertia opinio.

Sed *iſti videntur diſtinxiſſe inter id quod eſt ex gratia, & id quod eſt ex libero arbitrio, quaſi non poſſit eſſe idem ex vtroque. Manifeſtum eſt autem, quòd id quod eſt gratia, eſt Prædeſtinationis* effectus, *& hoc non poteſt poni, vt ratio Prædeſtinationis, cùm hoc ſub Prædeſtinatione concludatur. Si igitur aliquid aliud ex parte noſtra ſit ratio Prædeſtinationis, hoc erit præter* effectum *Prædeſtinationis. Non eſt autem diſtinctum quod eſt ex libero arbitrio, & ex Prædeſtinatione: ſicut nec eſt diſtinctum, quod eſt ex cauſa ſecunda, & cauſa prima. Diuina enim Prouidentia producit effectus per operationes cauſarum ſecundarum, vt ſupra dictum eſt. Vnde & id quod eſt per liberum arbitrium, eſt ex Prædeſtinatione.*

Refellitur.

Dicendvm *eſt ergo, quòd* effectum *Prædeſtinationis conſiderare poſſumus dupliciter. Vno modo in particulari, & ſic nihil prohibet aliquem* effectum *Prædeſtinationis eſſe cauſam, & rationem alterius. Poſteriorem quidem prioris ſecundùm rationem cauſæ*

Digitized by Google

finalis, priorem verò poſterioris ſecundùm rationem cauſæ meritoriæ. Quæ reducitur ad diſpoſitionem materiæ. Sicut ſi dicamus, quòd Deus præordinauit ſe daturum alicui gloriam ex meritis, & quòd præordinauit ſe daturum alicui gratiam, vt mereretur gloriam.

ALIO *modo poteſt conſiderari Prædeſtinationis* effectus *in communi. Et ſic impoſsibile eſt quòd totus Prædeſtinationis* effectus *in communi habeat aliquam cauſam ex parte noſtra. Quia quicquid eſt in homine ordinans ipſum in ſalutem, comprehenditur totum ſub* effectu *Prædeſtinationis, etiam ipſa præparatio ad gratiam. Neque enim hoc fit niſi per auxilium diuinum, ſecundùm illud Thren. vlt.* Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.

HABET *tamen hoc modo Prædeſtinatio ex parte* effectus *pro ratione diuinam voluntatem, ad quam totus* effectus *Prædeſtinationis ordinatur, vt in finem, & ex qua procedit, ſicut ex principio primo mouente.*

AD *primum ergo dicendum, quòd vſus gratiæ præſcitus non eſt ratio collationis gratiæ, niſi ſecundùm rationem cauſæ finalis, vt dictum eſt.* *in Corp. Art.*

AD *ſecundum dicendum, quòd Prædeſtinatio habet rationem ex parte* effectus *in communi ipſam diuinam bonitatem. In particulari autem vnus* effectus *eſt ratio alterius, vt dictum eſt.*

AD *tertium dicendum, quòd ex ipſa bonitate diuina ratio ſumi poteſt Prædeſtinationis aliquorum, & reprobationis aliorum. Sic enim Deus dicitur omnia propter ſuam bonitatem feciſſe, vt in rebus diuina bonitas repræſentetur. Neceſſe eſt autem, quòd diuina bonitas (quæ in ſe eſt vna, & ſimplex) multiformiter repræſentetur in rebus propter hoc, quòd res creatæ ad ſimplicitatem diuinam attingere non poſſunt. Et inde eſt quòd ad completionem vniuerſi requiruntur diuerſi gradus rerum, quarum quædam altum, & quædam infimum locum teneant in vniuerſo. Et vt multiformitas graduum conſeruetur in rebus, Deus permittit aliqua mala fieri, ne multa bona impediantur, vt ſupra dictum eſt.*

SIC *igitur conſideremus totum genus humanum, ſicut totam rerum vniuerſitatem. Voluit igitur Deus in hominibus quantum ad aliquos, quos prædeſtinat, ſuam repræſentare bonitatem, per modum miſericordiæ parcendo: & quantum ad aliquos, quos reprobat, per modum iuſtitiæ puniendo. Et hæc eſt ratio, quare Deus quoſdam eligit, & quoſdam reprobat.*

Digitized by Google

Et *hanc cauſam aſſignat Apoſtolus ad Rom. 9. dicens*, Volens Deus oſtendere iram, *id eſt, vindictam juſtitiæ*, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit, *id eſt, permiſit* in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, vt oſtenderet diuitias glorię ſuę in vaſa miſericordię, quę pręparauit in gloriam. *Et 2. Timoth. 2. dicit.* In magna domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed etiam lignea, & fictilia. *Et quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam. Sed quare hos elegit in gloriam, & illos reprobauit, non habet rationem, niſi diuinam* *Tract. 26.* *voluntatem. Vnde Auguſtinus dicit ſuper Ioannem*, Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle dijudicare, ſi non vis errare.

Sicvt *etiam in rebus naturalibus poteſt aſſignari ratio (cùm prima materia tota ſit in ſe vniformis) quare vna pars ejus eſt ſub forma ignis, & alia ſub forma terræ à Deo in principio condita: vt ſic ſit diuerſitas ſpecierum in rebus naturalibus. Sed quare hæc pars materiæ eſt ſub iſta forma, & illa ſub alia, dependet ex ſimplici diuina voluntate: ſicut ex ſimplici voluntate artificis dependet; quòd ille lapis eſt in iſta parte parietis, & ille in alia: quamuis ratio artis habeat, quòd aliqui ſint in hac, & aliqui ſint in illa.*

Neqve *tamen propter hoc eſt iniquitas apud Deum, ſi inæqualia non inæqualibus præparat. Hoc enim eſſet contra juſtitiæ rationem, ſi Prædeſtinationis* effectus *ex debito redderetur, & non daretur ex gratia. In his enim quæ ex gratia dantur, poteſt aliquis pro libito ſuo dare cui vult plus, vel minus (dummodo nulli ſubtrahat debitum) abſque præjudicio juſtitiæ. Et hoc eſt quod dicit pater famil. Matth. 20. cap.* Tolle quod tuum eſt, & vade, an non licet mihi quod volo facere?

Quatuor adnotanda circa titulum.

1. Circa titulum hujus articuli quatuor occurrunt annotanda. *Primum*, eum aliter à Sancto Thoma in Præfatione quæſtionis conceptum eſſe, quàm ab eo, qui titulos ſingulis articulis præfixit. Hîc enim ſic habet *An præſcientia meritorũ*, id eſt merita præſcita, *ſint cauſa Prædeſtinationis*, cùm prę fatio quæſtionis ſic habeat, *An merita ſint cauſa, & ratio Prædeſtinationis, vel reprobationis, aut electionis.*

Secvndvm, Nomen *meriti* in vtroque titulo ſumi latiſſimè, & vagè, pro quocumque opere bono ſiue naturali, ſiue ſupernaturali, ſiue in hac, ſiue in altera vita priore; ſiue

intra ipſam ſeriem effectuum Prædeſtinationis, ſiue extra eam. Neque enim quærentis, ſeu quæſtionem proponentis eſt eius terminos diſtinguere, aut reſtringere, ſed reſpondentis, & quæſtionem diſſoluentis. Quod ſcitè admodum fecit S. Doctor, cùm in ipſo articulo tria diſtinguit bonorum operum genera; duo extra numerum, & ordinem effectuum Prædeſtinationis: vnum in priori vita, vt voluit Origenes: alterum naturæ in hac vita, vt Pelagiani: Tertium gratiæ, & intra ordinem, ac ſeriem effectuum Prædeſtinationis.

Ratio & cauſa aliquomodo differunt.

TERTIVM. Etſi cauſa, & ratio differant ſecundùm magis & minùs commune. (Omnis enim cauſa quædam rei ratio eſt, at non omnis ratio cauſa eſt, cùm interdum rei vel conditio, vel decentia, & circumſtantia, & ejus effectus pro ratione afferatur) tamen pro eodem, & conjunctim hîc, & in titulo, & ipſo articuli contextu vtrumque nomen accipit: vt cum referens opinionẽ Pelagianorum ait eos exiſtimaſſe, quòd merita præexiſtentia in hac vita ſunt ratio, & cauſa effectus Prædeſtinationis.

QVARTVM etiam nomen Prædeſtinationis in titulo vagè accipiendum eſſe, vt comprehendit tam actiuam, quàm paſſiuam, tam æternam, & quæ eſt ex parte Dei, quàm temporalem, quæ eſt ex parte effectus; propter dictam paulò antè rationem, quòd reſpondentis, non quærentis ſit, terminos quæſtionis diſtinguere. Quod præclarè facit S. Thomas, cùm initio corporis articuli negat, merita eſſe cauſam Prædeſtinationis, ex parte actus prædeſtinantis, id eſt Prædeſtinationis actiuæ, & ex parte Dei, admonetque quæſtionem ſolùm inſtituendam de Prædeſtinatione ex parte effectus, ſeu paſſiua, & temporali, an ejus cauſa ſint merita aliqua.

Diuiditur articulus in tres partes.

2. HIS circa titulum adnotatis, corpus articuli tres in partes commodè diſtribui poteſt. Prima præmonitiones duas: Secunda trium falſarum opinionum relationem; & refutationem: Tertia ſuæ ſententiæ, & veræ explicationem continet.

Monita duo.

PRIMÒ igitur præmonet, quòd cùm Prædeſtinatio includat voluntatem, ſic inquirenda eſt ratio Prædeſtinationis, ſicut inquiritur ratio diuinæ voluntatis. SECVNDÒ admonet, quòd cùm diuinæ voluntatis nulla aſſignari poſſit ratio ex parte actus volendi, ſed ſolùm ex parte volitorum, in

Digitized by Google

quantum vult vnum eſſe propter aliud, idem faciendum eſt judicium de Prædeſtinatione.

3. Ex quibus jam obiter colliges, quod pluribus infra Capite 47. confirmabimus, Prædeſtinationis actiuæ, & ex parte Dei nullam extra Deum eſſe cauſam ſiue phyſicam, ſiue moralem & motiuam; proindeque nulla hominum merita, & bona opera cauſam motiuam eſſe Prædeſtinationis, & electionis eorum ad gloriam: ſed Deum gratuitâ ſuâ voluntate eos ad gratiam, & ad gloriam eligere, & deſtinare. Nam eo vult modo inquirendam, & aſſignandam cauſam, & rationem Prædeſtinationis, quo voluntatis diuinæ: hujus autem ex art. 5. quæſt. 19. nulla quærenda, vel aſſignanda cauſa eſt, ſiue interna, & ex parte Dei, cùm nihil in eo ſit cauſatum, & velle finem non ſit ei cauſa volendi ea, quæ ſunt ad finem: ſiue externa, & extra Deum, quia voluntas Dei, ſicut & Deus ipſe abſolutè, & omni modo à creaturis independens eſt; quia non mouetur à bonitate, quæ eſt in illis ad eas amandas, vt habet S. Doctor art. 4. & monuimus ſupra cap. 13. num. 10. nec à bonitate finis ad volendam bonitatem mediorum, licet velit vnum eſſe propter aliud, & media propter finem. *Vult enim*, inquit loco citato, quæſt. 19. *hoc eſſe propter hoc, ſed non propter hoc vult hoc.* Quare cùm ait poſſe aſſignari rationem diuinæ voluntatis, atque adeò Prædeſtinationis ex parte volitorum, non ſic accipiendum, quaſi exiſtimet, vnum volitum Deo eſſe rationem motiuam volendi aliud, ſed illud *ex parte volitorum* eſt vnum volitum alterius eſſe cauſam, & rationem: vt finem v. g. eſſe cauſam, & rationem finalem mediorum, ſicut media ſunt ratio, & cauſa effectiua, aut diſpoſitiua finis. Atque hanc eſſe S. Doctoris mentem ex ipſis ejus verbis manifeſtum eſt. *Non eſt*, inquit, *aſſignare cauſam diuinæ voluntatis ex parte actus volendi, ſed poteſt aſſignari ratio ex parte volitorum, inquantum ſcilicet, Deus vult eſſe aliquid propter aliud.* Non dicit inquantum Deus, vult aliquid propter aliud, aut vult vnum volitum propter aliud volitum. Eodemque loquendi modo vtitur ſup. quæſt. 19. art. 5. ad 1.

Prædeſtinationis æternæ nulla extra Deum quærenda eſt cauſa.

4. SECVNDÆ verò partis doctrina tota hoc vno diſcurſu comprehendi, & ſufficienter explanari poteſt. Si cujuſquã merita, & bona opera ſunt cauſa Prædeſtinationis paſſiuæ & ex parte

Secũda pars articuli exponitur.

Digitized by Google

ex parte effectus, (de ea enim ſola hic agitur) vel quæ habuerit in priori aliqua vita, vt ſenſit Origenes, vel quæ in iſta. Non *primum*, quia ex Apoſtolo ad Rom. 9. *Antequam Iacob & Eſaü* (figura prædeſtinatorum, & reproborum) *nati eſſent, aut aliquid boni, vel mali egiſſent, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, quòd major ſeruiet minori*, id eſt, Iacob electus, & Eſaü rejectus eſt. Neque *ſecundum*. Ejuſmodi enim hac in vita merita, & bona opera fuerint, vel naturæ, & ſine gratia, vt ſenſit Pelagius, vel gratiæ, & ex principio ſupernaturali: neutra prædeſtinationis ex parte effectus cauſa eſſe poſſunt. Non priora, quia primum boni operis principium eſt bona aliqua cogitatio: hæc autem eſt gratiæ, non naturæ, ex Apoſtolo 2. ad Corinth. 5. *Non ſumus ſufficientes*, ſcilicet ex naturæ viribus, *cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis* Ergo nullum bonum opus naturæ poteſt eſſe initium, cauſa, & ratio vllius effectus Prædeſtinationis.

NEQVE Tertium, quia id quod ex parte noſtra eſt cauſa Prædeſtinationis paſſiuæ, & ex parte effectus debet eſſe extra totam ſeriem effectuum Prædeſtinationis, & in ea non comprehendi: at merita, & bona opera conſequentia gratiam à Deo datam, atque adeo bonus vſus illius gratiæ intra ipſam effectuum Prædeſtinationis ſeriem comprehenditur. Quicquid enim in nobis eſt gratiæ, ſiue habitualis, ſiue actualis, etiam ipſa præparatio ad gratiam, quidam eſt effectus Prædeſtinationis: Igitur ejus ratio, & cauſa eſſe non poteſt.

5. TERTIA denique parte ſuam aperit ſententiam hâc diſtinctione. Prædeſtinatio ex parte effectus cùm dupliciter ſumi poſſit, vel in particulari, hoc eſt *inadæquatè* comparando vnum ejus effectum cum alio: vel in communi, hoc eſt *adæquatè*: Si ſumatur primo modo, vnus ejus effectus eſt ratio, & cauſa alterius, v. g. gloria gratiæ in genere cauſæ finalis, & bonus vſus gratiæ ipſiuſmet gratiæ: ſicut è contra, in genere cauſæ, vel diſpoſitiuæ, vel effectiuæ, gratia gloriæ, vel boni operis, quod ab ea manat. Si verò Prædeſtinatio ſumatur ſecundo modo, hoc eſt, adæquatè, & totaliter, impoſſibile eſt, quòd vllam habeat cauſam ex parte noſtra: quia cauſa debet eſſe extra ſuum effectum, hoc eſt, diſtincta ab eo, & in eo non comprehendi: At quicquid in *Tertia pars explicatur.*

Digitized by Google

nobis eſt ex parte noſtra ordinans nos in ſalutem, etiam ipſa præparatio ad gratiã, in ipſa Prædeſtinationis ſeriè, & ordine comprehenditur: Igitur Prædeſtinationis ex parte effectus adæquatè ſumptæ nulla in nobis cauſa, & ratio eſſe poteſt. Ejus tamen ſic ſumptæ, cauſa, & ratio eſt diuina bonitas, & voluntas, *Ad quam*, inquit, *totus Prædeſtinationis effectus ordinatur, vt in finem: & ex qua procedit ſicut ex primo principio mouente.* Tandem quæ habet in Solutionibus Argumentorũ clara ſunt, & confirmant prædicta, ipſaque reſponſio ad 3. totam Prædeſtinationis, & reprobationis difficultatem exhaurit. Id ſolùm in ea videtur obſeruandum, quod tradit etiam lect. 4. in cap. 9. ad Rom. quòd ita pro ratione Prædeſtinationis, & reprobationis paſſiuæ aſſignatur voluntas Dei repræſentandi bonitatem ſuam per modum miſericordiæ in prædeſtinatis vagè ſumptis, & per modum juſtitiæ in reprobis, vt tamen in particulari, cur hunc, vel illum potiùs quàm alium v. g. Paulum, quàm Iudam prædeſtinarit, & in Paulo miſericordiæ ſuæ diuitias oſtenderit potiùs quàm in Iuda, id ex ſimplici, & pura Dei voluntate profectum ſit: cùm ei integrum fuerit ſuæ in Paulo juſtitiæ, & in Iuda miſericordia bonitatem oſtendere. Dominus enim eſt, & quod bonum eſt in oculis ſuis ſine vlla injuſtitia facere poteſt.

Quatuor de mente S. Thomæ. 6. Ex his quatuor de mente Sancti Thomæ ſunt perſpicua. *Primum*, eum neque hìc, nec alibi agere de ordine decretorum, & actuum internorum Dei, circa Prædeſtinationem Hominum, vel Angelorum. *Secundum*, illius Prædeſtinationis actiuæ, & ex parte Dei nullam extra Deum quærendam, vel aſſignandam eſſe cauſam, ſiue phyſicam, ſiue moralem. *Tertium*, Prædeſtinationis paſſiuæ, & ex parte effectus ſumptæ, nullam aliam cauſam, & rationem quærendã eſſe, quàm Dei bonitatem: quod pluribus Argumentis confirmabimus ſequenti Capite. *Quartum*, inter ipſos effectus Prædeſtinationis paſſiuæ, reperiri ordinem, tum temporis, in quo gratia eſt prior, gloria poſterior: tum cauſalitatis, & naturæ in diuerſo genere, & ordine. Nam ordine actus, & cauſalitatis finalis, gloria prior eſt gratiâ, & quibuſcunque meritis. Contra ordine potentiæ, & cauſalitatis materialis, vel etiam effectiuæ moralis, gratia, ac merita ſunt priora æternâ gloriâ.

Digitized by Google

Quid Ordinis ſit in interna, & æterna Dei Prædeſtinatione.

CAPVT XLVI.

1. TAMETSI in interna, & actiua Dei Prædeſtinatione nullum ordinem ſecundùm rationem, vel non talem, qualem plerique fingunt, vel ſaltem non admodùm vtilem agnoſcamus, vt conſtat ex dictis de Ordine decretorum Dei, ſupra Cap. 36. 37. & ſequentibus; & tam Sacræ litteræ, quàm Sancti Doctores, alijque veteres Theologi cum S. Thom. vim, & rationem integram Prædeſtinationis diuinæ ſine tali ordine ſufficienter declararint, imò de eo nuſquam meminerint: quia tamen recentiores plerique Theologi de ejuſmodi ordine plurima diſputant, putantque in eo benè conſtituendo, & explicando veram, & perfectam decretorum Dei œconomiam, ac Prædeſtinationis diuinæ rationem poſitam eſſe, ne hunc eorum, vel ordinem, vel tractandi, aut loquendi modum nimiùm deſpexiſſe, aut vt neſcio quid profundioris, & abſtruſioris doctrinæ, quod à nobis non ſatis comprehenſum ſit, habentem prætermiſiſſe ſibi perſuadeant, propterea de eo aliquid hoc Capite dicere ſtatui.

2. CVM autem duobus tantùm modis æternam gloriam prædeſtinatis Deus efficaciter, & abſolutè velle, ac decernere poſſit; nempe vel per merita, & per modum præmij, & mercedis bonorum operum, atque adeo, vt coronam juſtitiæ, quo modo adulti eam conſequuntur: vel ſine vllis prædeſtinati meritis; vt in paruulis poſt Baptiſmum morientibus, aut etiam ſine vllis medijs, vt in Chriſto Domino: agitur hîc potiſſimùm de Prædeſtinatione adultorum, deque electione ad gloriam per merita conſequendam; quamuis etiam ſuo modo quæſtio hæc locum habere poſſit in Prædeſtinatione paruulorum, eò quòd Baptiſmi ſuſceptio in eis, rationem habeat medij, quo gloriam æternam conſequuntur. *Duobus tantum modis efficax electio ad gloriam fieri poteſt.*

Digitized by Google

Dixi autem duobus tantùm modis Deum gloriam efficaciter velle poſſe prædeſtinatis. Nam tertius ille modus, illudque decretum, quo nonnulli Recentiores, vt Didacus Aluares lib. vlt. ſuæ Reſponſionis cap. 25. num. 7. & 10. & alij volunt, Deum per modum intentionis prædeſtinatis velle abſolutè, & efficaciter gloriam nudè ſumptam, & præciſam à rationibus, tam præmij, quàm doni gratuiti, & mercedis, ante voluntatem, & decretum de gloria per modum præmij conferenda, planè nullum eſt, vel identificatum cum alijs duobus modis: tamque impoſſibile eſt Deum velle efficaciter gloriam illo modo ſumptam, quàm velle creare animal præſcindendo ab homine, & bruto, propter rationem à nobis aſſignatam ſupra Cap. 6. & 8. quòd nimirum Deus nihil decernat efficaciter, niſi ſimul omnes rei & cauſas, & locum, modum, tempus, aliaſque omnes particulares ejus circumſtantias, ſine quibus in rerum natura exiſtere nequit, decernat, ac definiat. Itaque licet gloria æterna à nobis rectè concipi poſſit, ipſis rationibus cauſæ, vel effectus, præmij, vel doni gratuiti nudata, & vt indifferens ad has rationes, atque adeo, vt ſic, ſecundùm exiſtendi conſequentiam ratione prior ſit ſeipsâ prędictis rationibus veſtitâ, non tamen propterea conſtituit tertium decretum prius alijs duobus, eo prioritatis genere, & ordine, de quo agitur, ſcilicet, ex rationibus cauſę, & effectus deſumpto.

Nullum datur in Deo decretũ efficax de gloria nudè & abſolutè ſumpta.

3. Sed & preterea non omittendum, quòd cùm variè loquantur Authores hanc difficultatem tractantes, modò ſic eam proponentes, An electio, & prędeſtinatio ad gloriam ſit ex pręuiſis, & pręcognitis meritis, necne? modò, An ſit ante, vel poſt pręuiſa merita? & vtrâque ratione importare velint ordinẽ, & prioritatem, ac poſterioritatẽ inter ipſa Dei decreta; prior tamen loquendi modus minùs mihi probandus videtur, quòd ex non ſatis benè perſpecta prioris, & poſterioris natura proficiſci videatur, quaſi ſcilicet, id omne, quod ſine alio concipi poteſt, hoc ipſo ratione prius ſit illo, & ad prioritatem naturæ, ac ſecundùm cauſalitatem requiratur, vt prius concipiatur ſine poſteriori: quod falſum eſſe oſtendimus ſupra Cap. 3. & 4. Quibus pręmiſſis.

Non probatur loquendi modus.

4. Dico primò, Prędeſtinationem non eſſe ex pręuiſis

meritis, vel poſt prçuiſa merita, ſi ſit Deum meritis hominum prçuiſis, & futuris inductum, & permotum eſſe ad eos prçdeſtinandos, & gloriam eis decernendam, cùm,vt oſtendemus ſeq. Cap. Prçdeſtinatio ſit gratuita, & ex mera Dei voluntate. Si verò ſenſus ſit, Deum ſtatuiſſe non dare gloriam hominibus, niſi per eorum merita propria, vel aliena, v. g. Chriſti, dicendum eſt electionem ad gloriam eſſe ex præuiſis meritis. Ratio eſt, quia quo modo gloriam adulti conſequuntur, hoc eos habere, & conſequi Deus omnino voluit, ac decreuit; at adulti prçdeſtinati eam gloriam conſequuntur per propria merita, paruuli per aliena, nempe Chriſti. Quare ſolus Chriſtus fuerit, cujus gloria ex nullis eſt prçuiſis meritis. Quo exemplo, & Argumento vtitur Auguſt. lib. 1. de Prædeſtinatione Sanct. cap. 15. & lib. de Dono Perſeuerantiç cap. vlt. ad probandum Prçdeſtinationem aliorum hominum, ſiue ad gratiam, ſiue ad gloriam, non eſſe ex meritis.

Quomodo electio ad gloriã ſit & non ſit ex præuiſis meritis.

Auguſtinus.

5. DICO ſecundò, Si gloriam non eſſe ex prçuiſis meritis, vel eſſe ante prçuiſa merita ſit, Deum decernentem dare gloriam alicui, de ejus gratia, meritis, ac bonis operibus, noſtro concipiendi modo, non cogitare, qui ita ſentiunt falluntur, cùm impoſſibile ſit, etiam noſtro concipiendi modo, Deum velle alicui gloriam tanquam finem, & præmium meritorum, quin etiam cogitet, ac velit dare eidem gratiam, & merita, tanquam effectus finales ejuſmodi gloriç.

Quo ſenſu electio ad gloriam non ſit ex meritis præuiſis.

DICO tertiò, Quòd licet ordo, de quo agitur, decretis, & electionibus Dei ſit tantùm extrinſecus, eiſque ſolùm attribuatur per denominationem extrinſecam ab ordine objectorum, circa quç verſantur, non eſt tamen dicendum electionem ad gloriam ſimpliciter eſſe ante, vel poſt electionem ad gratiam, ſed hâc diſtinctione vtendum, quòd ordine intentionis, & cauſalitatis finalis, electio ad gloriam prior eſt electione ad gratiam, & hçc illâ poſterior, quatenus gratia eſt effectus finalis gloriç. Ordine verò exequutionis, & cauſalitatis materialis, ſeu meritoriç, contrà, electio ad gratiam eſt prior electione ad gloriam. Ratio eſt, quia talem ordinem in decretis Dei conſtituere debemus, de gratia, & gloria prçdeſtinatis danda, qualẽ hæ inter ſe à parte rei habent:

Qua diſtinctione res explicanda.

Digitized by Google

at à parte rei gloriâ in genere cauſæ finalis prior eſt gratiâ, & hæc contra in genere cauſæ materialis, & meritoriȩ gloriâ prior eſt.

Conciliantur pugnanter ſententiæ.

6. QVARE juxta hanc diſtinctionem conciliari poſſunt pugnantes Recentiorum Theologorum Sententiæ, & per eam quæ pro vtraque parte ab illis afferuntur argumenta, omnia ſolui, ſuoque ſenſu admitti poſſunt. Nam qui dicunt electionem ad gloriam eſſe ante præuiſa merita, aut ex eis non præuiſis, ſi per illud *ante*, & per *non præuiſa merita* intelligāt, gloriā eſſe cauſā finalē gratiæ, vel meritis hominum, Deum non moueri, prouocari, & obligari ad gloriam eis decernandam, rectè omnino dicunt, aliudque nihil probant omnia eorum argumenta. Qui verò defendunt electionem ad gloriam eſſe poſt præuiſa merita, ſeu ex meritis præcognitis, ſi tantùm velint Deum decernere bona opera eſſe cauſam meritoriam gloriæ, atque adeò hanc eſſe eorum effectum, rectè etiam dicunt, neque quidquam aliud probant eorum argumenta.

Non probatur loquendi modus.

VERVM eorum loquendi modus minùs probandus videtur, tum quòd eo nuſquam vtatur S. Thomas; tum quòd occaſionem det aliquam errandi ijs, qui putant aduerbia illa *ante*, & *poſt*, *priùs*, & *poſteriùs*, & particulam *præ* importare ordinem, & comparationem electionis diuinæ ad gloriam cum electione ad gratiam: cùm tamen ex vſu ſacræ Scripturæ, SS. Patrum, & antiquorum Theologorum nullam importent comparationem actuum internorum Dei ad inuicem; ſed tantùm ad res, & ad objecta, circa quȩ verſantur.

DAT præterea ille loquendi modus occaſionem exiſtimandi, Deum Prædeſtinatis omnibus abſolutè & efficaciter velle gloriam ſine vllis meritis, quod eſt falſum. Licet enim & Chriſto Domino, & paruulis poſt Baptiſmum decedentibus velit gloriam ſine vllis eorum meritis, cæteris tamen omnibus, qui per merita illam aſſequuntur, non vult ſine eorum meritis. Illam enim vult eis, ac decernit eo modo, quo illam conſequuntur. Non tamen eis vult ex meritis, quia, vt dictum eſt, merita illa Deum nec obligant, nec mouent ad gloriam illis volendam, ſed vtrumque bonum, id eſt, gratiam & gloriam, merita & præmium ex mera ſua bonitate & beneuolentia eis vult, itàque componit & ordinat, vt vnum ſit alte-

Digitized by Google

rius gratiâ, & per illud ad hujus poſſeſſionem eos peruenire decernat.

Electionem ad gratiam, & ad gloriam ex nullis eſſe Prædeſtinatorum meritis, ſed ex ſola gratuita Dei voluntate, Auctoritate oſtenditur Scripturarum.

CAPVT XLVII.

1. IAM ſæpe, tam clarè, & diſertè id confirmant Sacræ litteræ, vt mirari ſatis non poſſim, quomodo à Catholico Doctore vocari in dubium poſſit. Etenim Lucæ 12. *Nolite*, inquit Chriſtus, *timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* Matthæi 20. *ſedere ad dextram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Paratum, inquit, id eſt, *Prædeſtinatum*, vt exponit Maldonatus in illum locum, & cap. 25. verſu 33. *Luc. 12.* *Matth. 20.*

2. Et Paulus ad Rom. 9. *vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia major ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt*, ſcilicet Malach. 1. *Iacob dilexi, Eſaü odio habui.* Et paulo poſt. *Miſerebor cujus miſereor, & miſericordiam præſtabo cujus miſerebor*: id eſt, vt clariùs dicitur Exodi 33. *Miſerebor cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit. Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Et poſtea. *Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.* ſcilicet, *Non impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiam*, inquit Auguſt. Epiſtola 105. ad Sixtum. *Ad Rom. 9.*

3. Quod ipſum ſtatim probat Paulus ibidem ex ſimilitude figuli. *An non habet*, inquit, *poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere alıud quidem vas in honorem, alıud verò in contumeliam?* Quaſi diceret, vt ſe habet figulus circa maſſam, ex qua eodem vbique, & ſecundùm omnes ſuas partes modo diſpoſita, diuerſi tamen generis vaſa, & ad vſus valde diſpares pro ſuo fingit arbitrio, quædam *in honorem*, id eſt, ad vſus *Probatur ſimilitudine figuli.*

Digitized by Google

honeſtiores; alia *in contumeliam*, id eſt, ad vſus minùs honeſtos: Ita Deus circa hominum prædeſtinationem, & reprobationem ſe gerit pro ſua voluntate. Aliâ vtitur comparatione S. Thom. ad 3. ſupra. Quemadmodum ex ſimplici voluntate architecti pendet, quòd hic lapis ſit in iſta parte parietis, ille in alia: Ita ex ſimplici Dei voluntate eſt, quòd iſte prædeſtinatus ſit, ille non ſit.

Alia ſimilitudo.

4. IDEM pergit docere Paulus his verbis *Quòd ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam ſuſtinuit in multa patientia, vaſa iræ apta in interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Quaſi diceret, juxta expoſitionem S. Thom. in illum locum, & articulo à nobis ſupra Capite 45. relatam ad 3. cùm in vnius tantùm generis effectu bonitatem ſuam Deus oſtendere, nobiſque repræſentare non poſſet, hanc per modum miſericordiæ parcendo in prædeſtinatis, & per modum juſtitiæ puniendo in reprobis exhibere voluit.

Cur Deus quoſdam eligat alios reijciat.

5. PRÆTEREA idem Apoſt. ad Epheſ 1. *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorũ per* IESVM CHRISTVM *in ipſum, ſecundũ propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ.* Et paulò poſt. *In quo etiam nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Quid quæſo clarius & expreſſius dici potuit? Si enim omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ operatur, igitur hominum, & Angelorum gratiam, & gloriam, ſalutem & prædeſtinationem. Quem locum tractans Auguſt. lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 18. *ſecundùm placitum*, inquit, *voluntatis ſuæ, ne in tanto beneficio gratiæ Dei, placito gloriaremur voluntatis noſtræ.* Et poſtea. *Fecit hoc ſecundùm placitum voluntatis ſuæ, vt nemo de ſua, ſed de illius erga ſe voluntate gloriaretur. fecit hoc ſecundùm diuitias gratiæ ſuæ, ſecundùm bonam voluntatem ſuam.*

Ad Epheſ. 1.

Auguſtinus.

6. NEQVE verò his omnibus Scripturæ teſtimonijs ſatisfacit reſponſio D. Bonauenturæ, in 1. diſt. 41. quæſt. 2. vbi poſtquam confeſſus eſt voluntatis diuinæ nullam eſſe, vel dari poſſe rationem cauſalem, vel meritoriam, poſſe tamen dari rationem decentiæ, & congruitatis ſoli diuinæ Præſcientiæ notam, ait reſponſione ad 2. quòd *licet Scriptura ſacra pro*

Reſponſio S. Bonauenturæ.

ratione aſsignet diuinum beneplacitum, & non exprimat aliam, non ideo concludendum, quòd non ſit alia, quia non omnia ſcripta ſunt, ſed nobis vtilia.

Hæc enim reſponſio nulla eſt, & propterea rejicienda, quòd permulta Scripturæ loca eneruet, viamque aperiat plurimis erroribus. Cùm enim dixit Chriſtus, *Hoc eſt Corpus meum*, dicet quiſque cùm Luhero, eſſe quidem ejus Corpus, ſed non ſolum; cum eo nimirum eſſe etiam panem. Et cùm Euangeliſta dixerit, *Verbum caro factum eſt*, dicet non ſolùm carnem factum, ſed etiam Solem, Columbam, aut aliquid ſimile. *Refellitur.*

Deinde vnde habet cognitionem illarum rationum, quas dicit Deum habere de hominum prædeſtinatione, & reprobatione, nobis inutilem forè, ſi Deus eas nobis reuelaſſet? Igitur cùm Paulus ait, *Deum operari omnia ſecundùm conſilium, & propoſitum voluntatis ſuæ*, omnino vult eum nullâ aliâ ratione, causâ, aut motiuo induci ad quicquam volendum, quàm ſuo beneplacito, ſuâque voluntate.

7. Neque etiam quemquam turbare debet, quod idem Author habet ibidem, cùm vbi noſtram retulit ſententiam, & hæc ſcripſit: *Reſpondent quidam, quòd ipſa Dei voluntas ſibi ipſi eſt ratio, nec eſt alia ratio, quare iſtum eligit, niſi quia placet. Et hæc eſt ſufficiens per omnem modum, quia eſt cauſa cauſarum, & ratio rationum, & eo ipſo, quod placet, ideo rectum eſt, propter ſummam ipſius voluntatis rectitudinem, quæ non tantùm eſt recta, ſed etiam regula*: Hæc verba ſtatim ſubjungit. *Sed cauendum eſt, ne dum voluntatem Dei magnificare volumus, potiùs voluntati ejus derogemus. Si enim non eſſet alia ratio, quare Deus iſtum elegit, & illum non, niſi quia placet; certè jam non occulta dicerentur diuina judicia, ſed manifeſta, cùm quilibet hanc rationem capiat, nec dicerentur mirabilia, ſed potiùs voluntaria.* *Altera eiuſdem inſtantia.*

8. Qvasi verò Dei judicia, & opera, quæ voluntaria ſunt, mirabilia eſſe non poſſint, nobiſque, Deum ex ſimplici ſua voluntate omnia operari docente Spiritu Sancto, Scriptutâ magiſtrâ, prælucentibus SS. Patribus, & præſtantiſſimis Theologis affirmantibus, aliquid timendum ſit. Nam abyſſus illa, & altitudo Sapientiæ, ac Scientiæ Dei, illaque incomprehenſibilitas, & inueſtigabilitas judiciorum Dei *Soluitur.*

Digitized by Google

circa hominum prædeſtinationem, & reprobationem, cujus per admirationem meminit Paulus, noſtræ eſt confirmatio ſententiæ, cùm ſit tacita quædam repreſſio temeritatis humanæ, conſiliorum, & ordinationum Dei, ac diſcretionis circa ſalutem hominum, rationem aliam, præter ejus voluntatem, curioſiùs exquirentis. Et præterea illa incomprehenſibilitas non in eo poſita eſt, quòd vtraque ſit ex ſimplici Dei voluntate, ſed quòd nemo in particulari, & determinatè certò, & infallibiliter ſciat de quorum ſit numero, prædeſtinatorumne, an reproborum. Quamuis enim fide diuinâ certiſſimum ſit, quòd, qui *perſeuerauerit vſque in finem, ſaluus erit*, cùm tamen, teſte Eccleſiaſte cap. 9. *Nemo ſciat an odio, vel amore dignus ſit, ſed omnia in futurum reſeruentur incerta*: & qui nunc juſtus eſt, ignoret an in juſtitia ſua perſeueraturus ſit vſque ad finem: & qui peccator, an à Deo gratiam, & ſpatium pœnitendi in vita extrema obtenturus ſit, cum timore, & tremore ſalutem ſuam quiſque operari debet: nec in ſe, aut ſua innocentia, ſuiſque meritis, ſed in Dei bonitate, & miſericordia confidere; diuinamque benignitatem pro ſalute ſua ſæpius orare.

In quo conſiſtat profunditas conſiliorum Dei circa hominum prædeſtinationē, & reprobationem.

Matth. 24.

9. ELECTIO igitur hominum ad gloriam, & ad gratiam, docente Scripturâ facrâ, ex nullis eſt eorum meritis, ſed ex ſola, ac ſimplici Dei voluntate, ac beneplacito. Quod ſi Rex in Edictis, Legibus, & Ordinationibus ſuis, pro ratione ſuam profert voluntatem, hæcque in Litteris, ac Diplomatibus Regijs communiter inſeritur clauſula, *Car tel eſt noſtre plaiſir*. Multò magis Deus, Rex Regum, & Supremus Hominum, rerumque omnium Dominus, ſuum vnum beneplacitum, ſuæque voluntatis æquitatem pro ratione vnica ſuorum omnium operum habere, & palam profiteri poterit.

Deum pro ſuo arbitrio omnia facere.

DENIQVE verba Chriſti, Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, poßidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere*, &c. quibus potiſſimùm fidunt, qui aliter quàm nos ſentiunt, nihil eis fauent. Particula namque illa cauſalis *enim*, & opera miſericordiæ, quæ Chriſtus ibi commemorat, non ſunt ratio, & cauſa, cur à Deo Sanctis paratum, & prædeſtinatum ſit Regnum Dei: ſed cur illud poſſideant, &

Digitized by Google

percipiant; vt rectè obſeruauit Maldonatus in illum locum, vbi ait: *Chriſtum glorificationis potiùs, de qua agebatur, quàm Prædeſtinationis cauſam reddere voluiſſe, vt ex antitheto manifeſtum eſt. Diſcedite in ignem, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare. Hîc enim, cùm eodem loquatur modo, non reddit cauſam, cur illis jam inde ab æternitate ignis paratus ſit, ſed cur in ignem mittantur.* *Maldonatus.*

QVARE nihil verius, & huic loco aptius dici poteſt de internis, vel etiam externis Dei actibus circa Creaturas, & circa opera gratiæ, quibus ad vitam æternam ordinamur, quàm quòd Chriſtus de reuelatione ſui nominis Apoſtolis facta; de poteſtate in morbos, & Dæmones eis conceſſa & de ſcriptis in Cœlo eorum nominibus, Deo Patri gratias agens, dixit Matthæi 11. & Lucæ 10. *Confiteor tibi Pater, Domine Cœli, & Terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Etiam, Pater, quoniam ſic placuit ante te.* *Chriſtus Matth. 11.*

Idem probatur SS. Patrum, & Doctorum Scholaſticorum auctoritate

CAPVT XLVIII.

1. A Scripturæ ſenſu, & ſententia non diſcedunt SS. PP. Nam Auguſtinus lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 17. exponens illud Iacobi 1. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & heredes regni* hæc habet, *Eligendo ergo Deus facit diuites in fide, ſicut heredes regni. Rectè quippe in eis hoc eligere dicitur, quod, vt in eis faciat eos eligit.* Et cap. 19. *Non quia futuros nos tales eſſe præſciuit; ſed vt eſſemus tales per ipſam electionem gratiæ ſuæ. Cùm ergo nos prædeſtinauit, opus ſuum præſciuit.* Et lib. 2. ad Simplicianum quæſt. 2. *Non quia*, inquit, *inuenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat ideo manet propoſitum juſtiſiacationis ipſius, ſed quia illud manet, vt juſtificet credentes, ideo inuenit opera, quæ jam eligat, ad regnum Cœlorum.* Sed de Auguſtino plura referemur infra cap. ſeq. *Auguſtinus.*

Digitized by Google

circa hominum prædeſtinationem, & reprobationem, cujus per admirationem meminit Paulus, noſtræ eſt confirmatio ſententiæ, cùm ſit tacita quædam repreſſio temeritatis humanæ, conſiliorum, & ordinationum Dei, ac diſcretionis circa ſalutem hominum, rationem aliam, præter ejus voluntatem, curioſiùs exquirentis. Et præterea illa incomprehenſibilitas non in eo poſita eſt, quòd vtraque ſit ex ſimplici Dei voluntate, ſed quòd nemo in particulari, & determinatè certò, & infallibiliter ſciat de quorum ſit numero, prædeſtinatorumne, an reproborum. Quamuis enim fide diuinâ certiſſimum ſit, quòd, qui *perſeuerauerit vſque in finem, ſaluus erit*, cùm tamen, teſte Eccleſiaſte cap. 9. *Nemo ſciat an odio, vel amore dignus ſit, ſed omnia in futurum reſeruentur incerta*, & qui nunc juſtus eſt, ignoret an in juſtitia ſua perſeueraturus ſit vſque ad finem: & qui peccator, an à Deo gratiam, & ſpatium pœnitendi in vita extrema obtenturus ſit, cum timore, & tremore ſalutem ſuam quiſque operari debet: nec in ſe, aut ſua innocentia, ſuiſque meritis, ſed in Dei bonitate, & miſericordia confidere; diuinamque benignitatem pro ſalute ſua ſæpius orare.

In quo conſiſtat profunditas conſiliorum Dei circa hominum prædeſtinationē, & reprobationem.

Matth. 24.

9. Electio igitur hominum ad gloriam, & ad gratiam, docente Scripturâ ſacrâ, ex nullis eſt eorum meritis, ſed ex ſola, ac ſimplici Dei voluntate, ac beneplacito. Quod ſi Rex in Edictis, Legibus, & Ordinationibus ſuis, pro ratione ſuam profert voluntatem, hæcque in Litteris, ac Diplomatibus Regijs communiter inſeritur clauſula, *Car tel eſt noſtre plaiſir.* Multò magis Deus, Rex Regum, & Supremus Hominum, rerumque omnium Dominus, ſuum vnum beneplacitum, ſuæque voluntatis æquitatem pro ratione vnica ſuorum omnium operum habere, & palam profiteri poterit.

Deum pro ſuo arbitrio omnia facere.

Denique verba Chriſti, Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere*, &c. quibus potiſſimùm fidunt, qui aliter quàm nos ſentiunt, nihil eis fauent. Particula namque illa cauſalis *enim*, & opera miſericordiæ, quæ Chriſtus ibi commemorat, non ſunt ratio, & cauſa, cur à Deo Sanctis paratum, & prædeſtinatum ſit Regnum Dei: ſed cur illud poſſideant, &

Digitized by Google

percipiant; vt rectè obſeruauit Maldonatus in illum locum, vbi ait: *Chriſtum glorificationis potiùs, de qua agebatur, quàm Prædeſtinationis cauſam reddere voluiſſe, vt ex antitheto manifeſtum eſt. Diſcedite in ignem, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare. Hîc enim, cùm eodem loquatur modo, non reddit cauſam, cur illis jam inde ab æternitate ignis paratus ſit, ſed cur in ignem mittantur.* *Maldonatus.*

QVARE nihil verius, & huic loco aptius dici poteſt de internis, vel etiam externis Dei actibus circa Creaturas, & circa opera gratiæ, quibus ad vitam æternam ordinamur, quàm quòd Chriſtus de reuelatione ſui nominis Apoſtolis facta; de poteſtate in morbos, & Dæmones eis conceſſa & de ſcriptis in Cœlo eorum nominibus, Deo Patri gratias agens, dixit Matthæi 11. & Lucæ 10. *Confiteor tibi Pater, Domine Cæli, & Terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Etiam, Pater, quoniam ſic placuit ante te.* *Chriſtus Matth. 11.*

Idem probatur SS. Patrum, & Doctorum Scholaſticorum auctoritate

CAPVT XLVIII.

1. A Scripturæ ſenſu, & ſententia non diſcedunt SS. PP. Nam Auguſtinus lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 17. exponens illud Iacobi 1. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni* hæc habet, *Eligendo ergo Deus facit diuites in fide, ſicut hæredes regni. Rectè quippe in eis hoc eligere dicitur, quod, vt in eis faciat eos eligit.* Et cap. 19. *Non quia futuros nos tales eſſe præſciuit; ſed vt eſſemus tales per ipſam electionem gratiæ ſuæ. Cùm ergo nos prædeſtinauit, opus ſuum præſciuit.* Et lib. 2. ad Simplicianum quæſt. 2. *Non quia*, inquit, *inuenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat ideo manet propoſitum juſtifiacationis ipſius, ſed quia illud manet, vt juſtificet credentes, ideo inuenit opera, quæ jam eligat, ad regnum Cœlorum.* Sed de Auguſtino plura referemur infra cap. ſeq. *Auguſtinus.*

Digitized by Google

Chryſoſtom. 2. CHRYSOSTOMVS in cap. 9. ad Rom. *Non dicit quando quidem hic bonus, ille autem malus, idcirco in honoribus aſſequendis prapoſitus eſt. Inuidioſius enim videbatur. Sed in Dei cognitionem rem totam reijcit, cum qua depugnare nullus audeat, ne ſi valde quidem inſaniat. Nondum enim genitis illis, ait, dictum eſt illi, Major ſeruiet minori. Ac declarat nobilitatem eam, quam caro affert, nihil prodeſſe, ſed anima virtutem quarendam eſſe, quam vel ante opera ipſa Deus nouit.* Et Homil. 1. in Epiſt. ad Epheſios, ad illa verba *ſecundùm propoſitum voluntatis ſua*, ita loquitur. *Hoc eſt propterea quòd valde velit; hoc eſt, vt ita dicam, ejus deſiderium. Deus valde cupit, valde deſiderat noſtram ſalutem. Cur ſic diligit? A ſola bonitate. Gratia enim eſt bonitas.*

Hieronym. 3. HIERONYMVS in illud ad Epheſ. 1. *Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus Sancti* ita loquitur: *Non eliguntur Paulus, & qui ei ſimiles ſunt, quia erant Sancti, & immaculati: ſed eliguntur, & prædeſtinantur, vt conſequenti vitâ, per opera atque virtutes Sancti, & immaculati ſint.* Et paulo poſt. *Secundùm propoſitum voluntatis ſua, non ſecundùm opera noſtra.*

4. PLVRA vide SS. PP. teſtimonia apud Didacum Ruiz, multæ lectionis, & fideliſſimæ citationis virum Tomo de Prædeſt. tota diſp. 10. & 11. quæ licet referat ad oſtendendum SS. PP. exiſtimaſſe, electionem ad gloriam eſſe ante præuiſa merita, ſeu ex non præuiſis, vel non præcognitis meritis, re tamen verâ aliud nihil dicunt, & probant, quàm quod hîc defendimus, electionem ad gloriam, & etiam ad gratiam merè gratuitam eſſe, & ex ſola Dei beneuolentia, & bonitate nullis noſtris meritis prouocatam. Nuſquam enim in eis reperias, electionem Dei eſſe ex non præuiſis meritis, aut eſſe ante, vel poſt merita præuiſa, aut ſimiles locutiones ordinem aliquem, & prioritatem, vel poſterioritatem inter vtramque electionem, alioſque Dei actus internos inſinuantes, nec eas ex illorum verbis, ac ſententijs quiſquam rectè & in bona ratiocinandi forma collegerit. Nam ex eo quòd dicunt, eos tantùm à Deo electos eſſe ad gloriam, vel prædeſtinatos ad vitam, quos Deus crediturос, piè, rectéque victuros, vel in fide ac pietate perſeueraturos, præuidit, vel quorum fidem & merita præſciuit, quis per bonam conſequentiam inferat, Ergo electio ad gloriam eſt poſt, vel ante

Diſſentientibus à nobis non fauent SS. PP.

Digitized by Google

electionem ad gratiam, & poſt merita præuiſa?

Cvm SS. PP. conſentit major, meliorque pars Theologorum Scholaſticorum, præſertim antiquiorum, ac nominatim id tam ſæpe, tamque clarè, & diſertè docet S. Thomas, vt de ejus mente dubitare hominis ſit in ejus libris, & doctrina penitus noui, ac peregrini. Nam præter ea, quæ retulimus ſupra Cap. 45. loco citato 1. partis. *Nullus*, inquit, *fuit ita inſanæ mentis, qui diceret, merita eſſe cauſam diuinæ Prædeſtinationis ex parte actus prædeſtinantis.* Et art. 8. quo quærit, an prædeſtinatio poſſit juuari precibus Sanctorum? *In Prædeſtinatione*, inquit, *duo ſunt conſideranda, ſcilicet, ipſa præordinatio diuina, & effectus ejus. Quantùm igitur ad primum nullo modo Prædeſtinatio juuatur precibus Sanctorum. Non enim precibus Sanctorum fit, quòd aliquis prædeſtinetur à Deo. Quantum verò ad 2. dicitur Prædeſtinatio juuari precibus Sanctorum, & alijs bonis operibus; quia prouidentia, cujus Prædeſtinatio eſt pars, non ſubtrahit cauſas ſecundas*, &c. Et ibidem ad 1. *Prædeſtinatio non juuatur precibus Sanctorum, quantum ad ipſam præordinationem.* Et quæſt. 6. de Veritate art. 2. ad 1. *Debitus gratiæ vſus eſt quoddam, ad quod diuina Prouidentia gratiam collatam ordinat. Vnde non poteſt eſſe, quòd ipſe rectus gratiæ vſus præſcitus ſit cauſa mouens ad dandam gratiam.* Et ibidem ad 2. *Prædeſtinatio includit voluntatem conſequentem, quæ reſpicit aliquo modo id, quod eſt ex parte noſtra, non ſicut inclinans diuinam voluntatem ad volendum, ſed ſicut id, ad cujus productionem diuina voluntas gratiam ordinat, vel etiam ſicut id, quod ad gratiam quodammodo diſponit, & gloriam meretur. Præſcientia* enim, vt ait ibidem ad 11. *abuſus gratiæ non fuit cauſa reprobationis Iudæ, niſi forte ex parte effectus.* Et ad 12. *Quamuis meritum poſſit eſſe cauſa effectus Prædeſtinationis, non tamen poteſt eſſe Prædeſtinationis cauſa.* Et art. 6. *Prædeſtinationem*, inquit, *juuari precibus Sanctorum dupliciter intelligi poteſt: Vno modo, quòd orationes Sanctorum juuent ad hoc, quòd aliquis prædeſtinetur, & hoc non poteſt eſſe verum ſecundùm quod in propria natura exiſtunt, quia temporales ſunt: Prædeſtinatio autem æterna. Neque etiam ſecundùm quod exiſtunt in Præſcientia Dei, quia Præſcientia meritorum, vel propriorum, vel aliorum non eſt cauſa Prædeſtinationis: Alio modo pteſt intelligi Prædeſtinationem Sanctorum poſſe juuari, quòd oratio*

Idem oſtenduntur auctoritate Scholaſticorum.

D. Thomæ varia teſtimonia.

NOTA.

Digitized by Google

juuet ad conſequendum Prædeſtinationis effectum, &c. Idem docet lib. 3. contra Gentes cap. 161. Et in cap. 9. Epiſtolæ ad Rom. lect. 3. hæc habet. *Non poteſt eſſe, quòd merita conſequentia gratiam ſint ratio miſerendi, aut prædeſtinandi; ſed ſola Dei voluntas, ſecundùm quam miſericorditer aliquos liberat. Manifeſtum eſt enim, quod juſtitia diſtributiua locum habet in his, quæ dantur ex debito, quia ſi aliqui meruerunt mercedem, vt plus laborantibus, major merces donetur; non autem habet locum in his, quæ ſponte, & miſericorditer aliquis dat; puta, ſi aliquis duos pauperes in via inueniens, det vni quod poteſt, vel diſponit in eleemoſynam dare, non eſt iniquus, ſed miſericors: ſimiliter ſi aliquis duobus æquè ipſum offendentibus vni dimittat offenſam, & non alteri, eſt miſericors vni, & juſtus ad alterum; neutri vero iniquus. Cum enim omnes homines propter peccatum primi Parentis damnationi naſcantur obnoxij, quos Deus per ſuam gratiam liberat, ſolâ miſericordiâ liberat: quibuſdam autem juſtus, quos non liberat; neutris autem iniquus.*

Et certè ſi cujuſquam orationes, & merita fuerunt cauſa æternæ Prædeſtinationis alicujus prædeſtinati, maximè Chriſti Prædeſtinatio, & merita, & orationes. At Sanctus Doctor 3. part. quæſt. 24. art. 4. disertè negat, & expreſsè probat Prædeſtinationem Chriſti noſtræ, ſecundùm actum Dei internum, nullo modo cauſam eſſe.

Scotus. Idemque docet Scotus in 1. diſt. 41. quæſt. vnica n. 4. *Quidquid Deus*, inquit, *operatur circa Creaturas, ſolo beneplacito ſuæ voluntatis operatur, vt ſuper hoc non ſit aliqua alia ratio, vel cauſa petenda.* Magiſter item Sentent. lib. 1. diſt. 40. & 41. Durandus, Ægidius, Marſilius, Major: & ex Recentioribus Eſthius ibidem, Ferrarienſis ad cap. 161. lib. 3. contra Gent. Cajetanus, Bannes, Zumel, & alij Thomiſtæ ad art. 5. quæſt. 23. 1. part. Quæ doctrina veriſſima eſt, eaque pluribus Argumentis ſequenti Cap. confirmabitur.

Digitized by Google

Idem oſtenditur varijs rationibus.

CAPVT XLIX.

1. PRIMA eſt, quam habet S. Thomas quæſt. 6. de Veritate art. 2. his verbis. *Finis diuinæ voluntatis eſt ipſa huius bonitas, quæ non dependet ab aliquo alio. Vnde ad hoc quod habeatur à Deo, nullo indiget, & ideò voluntas ejus non inclinatur primò ad aliquid faciendum per modum debiti, ſed liberalitér tantùm, in quantum eſt bonitas ejus in opere manifeſta. Vbicunque autem occurrit aliquid, ſine quo aliud à Deo volitum eſſe poßit, hoc non procedit ab eo ſecundũ rationem alicujus debiti; ſed ſecundùm meram liberalitatem. Perfectio autem gratiæ, & gloriæ ſunt huiuſmodi bona, quòd ſine eis natura eſſe poteſt. Excedunt enim naturalis virtutis limites. Vnde quòd Deus velit alicui dare gratiam, & gloriam, hoc ex mera liberalitate procedit. In his autem quæ ex liberalitate procedunt, tantùm cauſa volendi eſt ipſa ſuperabundans affectio volentis ad finem, in quo attenditur perfectio bonitatis ipſius. Vnde cauſa prædeſtinationis nihil eſt aliud, quàm bonitas ipſius Dei.*

Prima ratio eſt ex independentia Dei.

2. SECVNDA ratio eſt, quòd ex communi Theologorum doctrina cum Diuo Thoma 1. part. quæſt. 2. art. 2. & quæſt. 23. art. 4. hoc diſcriminis ſit inter voluntatem Dei, & noſtram, ejuſque amorem, & noſtrum, quòd voluntas noſtra, inquit, *non ſit cauſa bonitas rerum, ſed ab ea moueatur; ſicut ab objecto, & amor noſter, quo bonum alicui volumus, non ſit cauſa bonitatis ipſius, ſed è conuerſo eius bonitas vel vera, vel æſtimata prouocet amorem, quo ei volumus & bonum conſeruari, quod habet, & addi, quod non habet, & ad hoc operamur: ſed amor Dei eſt infundens, & creans bonitatem in rebus.* Itaque amor Dei erga homines eſt purè gratuitus, ejuſque voluntas à nullo objecto, & principio extrinſeco abſolutè mouetur ad vllum bonum nobis conferendum, ſed ex mera ſua bonitate, & gratia; & in hac vita merita, ac bona opera, quæ ejus dona ſunt, pro ſua item liberali promiſſione, & ordinatione velit eſſe media, & bona nobis vtilia ad fœlicitatem conſequendam.

2. Ratio ſumitur ex diſcrimine voluntatis diuinæ à noſtra.

Digitized by Google

3. Ratio quòd Deus ex nulla iuſtitia obligari poſſit.

3. Tertia ratio eſt, quòd inter Deum & Homines nulla propriè ſit juſtitia, quâ Deus obligetur ad quicquam eis pro bonis eorum operibus tribuendum; cùm & noſipſi, & noſtra omnia bona, & opera illius magis ſint, quàm noſtra; ijſque nihil illi tribuamus, quo obligetur ad quicquam nobis ex juſtitia tribuendum. Nam vt ait Iob cap. 35. *Si juſtè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? Homini, qui ſimilis tui eſt, nocebit impietas tua, & filium hominis adjuuabit juſtitia tua.* Et Paulus ad Rom. 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Et Auguſt. lib. 1. Confeſſ. cap. 4. Deũ alloquens. *Quis habet quicquam non tuum? Reddis debita nulli debens, donas debita nihil perdens.* Idemque Epiſt. 105. ad Sixtum Presbyterum, & alibi ſæpe *Cùm Deus*, inquit, *coronat merita noſtra, nihil aliud coronat, quàm munera ſua.*

Iob. 35.

Auguſtinus.

4. Quemadmodum igitur ſi Rex, propoſitum à ſe pro ſua liberalitate, & magnificentia in ſolemni aliquo certamine præmium victori dandum, alicui pro ſingulari ſua erga illum beneuolentia dare velit, & vt illud conſequatur, equum, arma, imò etiam vires, artem, & dexteritatem, quâ vnicat, atque adeò victoriam ſi fieri poteſt, eidem donet, non dicetur ab illa victoria prouocatus ad propoſitum præmium ei largiendum, ſed ex mera ſua liberalitate bona illa omnia ei donaſſe. Vel Pontifex, ſi erectum à ſe Epiſcopatum non niſi digno dandum, alicui pro ſua erga illum beneuolentia ita conferat, vt ſimul ei pietatem, doctrinam, prudentiam, & cæteras dotes, quæ illum tali Epiſcopatu dignum faciunt, largiatur, non ab ipſa ejus virtute, dignitate, & meritis prouocatus, ſed ſponte & vltro hæc omnia ei contuliſſe, dicetur. Ita Deus non à noſtris, vel cujuſquam alterius meritis præuiſis, aut etiam exiſtentibus mouetur, & inducitur ad quicquam nobis & volendum, & tribuendum, ſed ex mero ſuo beneplacito, & bona voluntate nobis donat gratiam & gloriam, bona opera, & eorum præmium, licet hoc per illa nobis tribuat, & beatitudinem non niſi ijs donét, & largiatur, qui in bonis operibus diem clauſerint extremum. Vide Chryſoſtomum Serm. 2. in Epiſtol. ad Coloſſ. cum exponit hæc Pauli verba. *Qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum* &c.

Similitudine declaratur.

Altera ſimilitudo.

5. Qvarta

5. QVARTA ratio. Si quis actus intellectus, aut voluntatis diuinæ aliquo modo eſt cauſatus ſiue phyſicè, ſiue moraliter, vel ab ipſomet Deo, vel ab alio extra Deum; neutrum dici poteſt. Non *ab ipſomet Deo*, quia inter cauſam, & effectum debet eſſe diſtinctio realis: actus autem intellectus, & voluntatis diuinæ re idem ſunt, cum ipſa vna ſimplici eſſentia diuina. *4. Ratio.* *Quod nihil ſit in Deo cauſatum.*

6. DEINDE in nullo genere cauſæ Deus quidquam in ſe cauſare poteſt. Non *materialis*, *aut formalis*, quia eſſet compoſitus: nec *efficientis*, quia idem non efficit ſeipſum, neque *finalis*. Licet enim ipſe, ejuſque bonitas ſit vera cauſa finalis rerum omnium creatarum, non tamen eſt finis ſuiipſius, vlliuſue ſuæ perfectionis intrinſecæ, cùm nihil in eo ſit alicujus gratiâ. Cùmque dicitur agere propter ſe, aut propter ſuam bonitatem, ſenſus non eſt bonitatem Dei eſſe finem vllius ſuæ actionis internæ, & eam ad bonum aliquod Deo acquirendum, aut conſeruandum tendere: ſed ſenſus eſt, Deum nullius boni, quo perfectior, meliorque fiat, gratiâ agere: finem ſuæ, vel naturæ, vel actionis nullum habere; ſed eſſe ipſum finem vltimum rerum omnium, omnes eſſe Dei gratiâ, ejuſq; ſimilitudinem quoad poſſunt appetere, vt pluribus explicat Sanctus Thomas lib. 3. contra Gentes cap. 18. & 19. *Quid ſit Deum agere propter ſe.*

7. NEQVE ſecundum, id eſt, actus vllus internus Dei ab alio extra ſe pendere poteſt; Tum quia non eſſet prima cauſa efficiens, nec finis vltimus omnium, ſi quid in eo penderet ab aliqua creatura; Tum quia nullius generis cauſa creata quidquam in Deo, ſiue phyſicè, ſiue moraliter, etiam ſecundùm rationem noſtram cauſare poteſt. Non materialis, vel formalis, vt patet, nec efficientis, quia hæc prior, & perfectior eſt ſuo effectu. Neque item finalis. Nihil enim eſt in Deo, nullaque ejus actio interna eſt alterius gratiâ; Tum quia ejus finis conſecutione, ſi quis eſſet, Deus perficeretur, fieretque melior. At *primo agenti*, inquit S. Thomas 1. part. quæſt. 44. art. 4. *non conuenit agere propter acquiſitionem alicujus finis, ſed intendit ſolùm communicare ſuam perfectionem, quæ eſt ejus bonitas*. Hæcque ipſa communicatio bonitatis diuinæ, inquit quæſt. 3. de Potentia art. 15. ad 15. *Nullus Dei actus ab alio pendet.* *S. Thomas.*

Digitized by Google

non eſt finis vltimus, ſed ipſa diuina bonitas, ex cujus amore eſt, quòd Deus eam communicare vult. Non enim agit propter ſuam bonitatem, quaſi appetens quod non habet, ſed quaſi volens communicare quod habet, qui agit non ex appetitu finis, ſed ex amore finis, &c. Et lib. 3. contra Gentes cap. 18. *Deo non poteſt aliquid acquiri ex actione cujuſlibet rei. Eſt enim ſua bonitas omnino perfecta: Relinquitur igitur, quòd Deus ſit finis rerum, non ſicut aliquid conſtitutum, aut effectum à rebus, neque ita quod aliquid ei rebus acquiratur, ſed hoc ſolo modo, quia ipſe rebus acquiritur.* Et paulo poſt. *Deus, qui eſt primum agens omnium rerum, non ſic agit, quaſi ſuâ actione aliquid ſibi largiatur, quia non eſt in potentia, vt aliquid acquirere poſſit, ſed ſolùm in actu perfecto, ex quo poteſt aliquid elargiri.*

Quomodo Deus ſit finis rerum omnium.

5. Ratio.

8. QVINTA ratio ducitur ex maxima, quæ eſt inter Deum, & nos, inter intellectum, ac voluntatem diuinam, & noſtram; inter ejus actus, & noſtros, differentia. Noſtræ enim potentiæ, quia finitæ ſunt, imperfectæ, & indigentes, noſtri actus, quia formæ informantes potentias, à quibus etiam re diſtinguuntur, & quia, ſunt propter aliquid, tenduntque aliô, & quia ijdem actus, & potentiæ verè dependent, & ab inuicem, & ab objectis, cùm rationes veritatis, bonitatis, & appetibilitatis in eis præſupponant, verè, & propriè ab eis cauſantur, & ab eis mouentur. Vnde Philoſophus lib. 3. de Anima textu 49. *Intellectus*, inquit, *qui propter aliquid ratiocinatur, & qui actiuus eſt, differt à ſpeculatiuo, fine; & appetitus propter aliquid omnis eſt. Cujus enim appetitus hic, id principium actiui intellectus. Vltimum autem principium actionis eſt. Quare rationabiliter hæc duo videntur mouentia, appetitus, & intelligentia actiua. Appetibile enim mouet, & propter hoc intelligentia mouet, quia appetibile principium ipſius eſt.* Et textu 52. *Semper quidem mouet appetibile, ſed hoc, aut eſt bonum, aut apparens bonum: non omne autem, ſed agibile bonum, Agibile autem eſt, quod poteſt & aliter ſe habere.*

Quantum noſtræ potentiæ à diuinis differant.

Ariſtoteles.

9. AT Deus nullius boni indigus, perfectione infinitus, à nulla re creata, nulloque objecto, quidquam accipere poteſt, nec ipſe, nec vlla ejus potentia, nullique ejus actus interni ſunt alterius gratiâ, nec ejus intellectus, aut voluntas ſunt in potentia ad vllos actus intellectionis, aut volitionis,

Digitized by Google

nec vllius ſui objecti veritatem, bonitatem, aut vllam vim motiuam præſupponunt. Primarium enim intellectus, & voluntatis diuinæ objectum eſt Deus ipſe, ejuſque veritas, ac bonitas increata, quæ ſunt vnum, & idem; Secundarium ſunt creaturæ ipſæ, à quibus nihil planè accipit; ſed contra quidquid entitatis, veritatis, bonitatis, & perfectionis habent, hoc ſuis actionibus internis illis tribuit, & vltro, ſponte, & liberaliſſimè effundit. Igitur ab eis nihil in Deo per modum, & cauſalitatis, & dependentiæ, vel motiui, aut conditionis determinantis, etiam noſtro intelligendi modo, cauſari poteſt.

Deus nihil in ſe à quo quam accipit.

DEVS igitur ita eſt à ſe, ita abſolutus, & independens ab omni alio, vt nec ſit, nec intelligi poſſit, tam in ſe, quàm in ſuis actibus ab alio dependens: proindeque impoſſibile eſt quicquam vllo modo illi eſſe cauſam etiam motiuam, & moralem vllius ſui actus interni, ſiue intellectus, ſiue voluntatis, atque adeo Prædeſtinationis internæ, quòd id inuoluat imperfectionem, ſummæ, & infinitæ ejus independentiæ repugnantem.

QVARE cùm in ſacris Litteris, vel à SS. Patribus, vel à nobis ipſis, communi loquendi vſu, dicitur hoc, aut illud velle, aut facere, quia bonus, quia potens, quia miſericors, vel propter ſe, aut nomen ſuum, vel propter ſeruos ſuos, vel hujus, aut illius rei gratiâ; hæ, & ſimiles particulæ cauſales non ſignificant vllam veram cauſam, & rationem motiuam intellectus, aut voluntatis diuinæ; ſed ſolùm rationem cauſæ reſpectu ipſarum Creaturarum, quas, vel circa quas aliquid operatur.

10. DVO tantùm hac in materia hæreticorũ noſtri temporis ſcopuli vitandi ſunt. *Primus* eſt, ne ex eo quòd dicitur Deus ex ſimplici ſua voluntate & eligere quoſdam ad gloriam, & alios reprobare, quiſquam exiſtimet Deum hos creare voluiſſe, & ad peccatum induxiſſe, vt haberet quod puniret: quaſi eorum vel peccatum, vel damnationem per ſe primò intenderit. *Deus enim*, vt ait Sapiens cap. 1. *Mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.* Peccatum quidem permittit, at non immittit, neque intendit, neque vllum ad peccandum impellit, vt habeat quod puniat; ſed ſolùm

Deus non intẽdit peccatum.

Digitized by Google

ex peccato ab eo permiſſo, & ab homine commiſſo, iræ, ac juſtitiæ ſuæ manifeſtandæ occaſionem ſumit bene malo vtens.

Alter ſcopulus vitandus eſt, ne quis, propter electionem hominum ex pura Dei voluntate, exiſtimet, ſuperflua eſſe bona opera, non eſſe meritoria gloriæ, ipſamque gloriam nullam habere mercedis rationem. Nam vt rectè Maldonatus in caput 12. Lucæ exponens verba illa Chriſti, *quoniam complacuit Patri veſtro dare vobis regnum* ſcripſit. *Quod ab omnibus* inquit, *hoc loco eſt obſeruatum, verum eſt, ſignificare hîc regnum Cœlorum gratuitâ Dei voluntate benignitateque eſſe nobis prædeſtinatum. Sed in eo hæretici errant, quòd exiſtiment, proptereà quòd ſine noſtris meritis prædeſtinatum nobis eſt, & ſine noſtris meritis dari. Non magis id profectò conſequitur, quàm ſi quis præmium illud, quod in ſtadio datur, ſine meritis dari dicat, quia non currentium meritis, ſed Principis liberalitate factum eſt, vt illis proponeretur. Nam etſi nondum merentibus proponitur, non niſi merentibus, ac vincentibus datur.*

Superflua non ſunt bona opera.

II. Deinde vita æterna, cùm in Scripturis ſacris multis, varijſque nominibus appelletur, quemadmodum *Regnum* Dei, vel Cœlorum dicitur, propter boni excellentiam: *fælicitas & beatitudo*, quia ſummum, & vltimum bonum noſtrum: *vita*, quia intellectio. Hæc enim maximè actio vitæ eſt, vitaque præſtantiſſima, eademque æterna, quia perpetua, & immutabilis, & optima, quia nulla melior & præſtantior, quòd ſit circa Deum objectum præſtantiſſimum, modoque excellentiſſimo: Et quia per eam, vt cum Auguſt. lib. 2. Confeſſ. cap, 10. loquar, nobis eſt optimè in optimo: *Viſio* propter intellectionis claritatem. Eſt enim clara, & intuitiua Dei cognitio per intellectum animæ noſtræ oculum gloriæ lumine colluſtratum: *gloria* item dicitur, propter diuinitatis ſpiendorem, & claram diuinæ eſſentiæ intellectui noſtro manifeſtationem: *torrens voluptatis*, propter delectationis abundantiam: *domus Dei* & manſio in ea, propier ejuſdem firmitatem & conſtantiam. Ita *hæreditas* dicitur, quòd filijs, Chriſtique fratribus: *merces*, quòd non niſi laborantibus, & bene operantibus: *præmium*, & *corona juſtitiæ*, quòd Deo militantibus, & ſtrenuè certantibus, ac vincentibus detur.

Variæ æternæ vitæ appellationes.

Digitized by Google

12. Nam etiam gratia dicitur triplici maximè de cauſa. Prima, quòd gratuitâ Dei voluntate ad eam homines eligantur. Ipſa enim voluntas Dei gratis aliquid promittentis, & dantis gratia vocatur; vt notat S. Thom. 1. 2. quæſt. 110. art. 1. & 3. part. q. 6. art. 7. de qua loquebatur Angelus Beatæ Virgini, cùm ei dixit, *Inuenisti gratiam apud Deum.* *Cur vita æterna dicatur gratia,*

Secunda, quòd ſupra bonorum noſtrorum operum merita, & condignitatem nobis à Deo donetur. *Non enim ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*, inquit Paulus ad Rom. 8. & ſecundæ ad Corinthios 4. *Id quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Ideoque communiter dicunt Theologi Deum citra condignum pœnâ, & vltra condignum præmio homines afficere.

Tertia cauſa eſt ea, quam reddit Auguſt. Epiſtola 105. ad Sixtum, his verbis. *Ipſa vita æterna, quæ meritis præcedentibus redditur, etiam gratia nuncupatur.* Ad Rom. 6. Gratia Dei vita æterna; *quia merita, quibus redditur, non à nobis parata ſunt, per noſtram ſufficientiam, ſed in nobis facta per gratiam. Deinde Apoſtolus ait,* ſtipendium peccati mors, *nunquid debebat dicere, quòd ſtipendium fidei, vel juſtitiæ merces vita æterna. At ſubjungit aduerſus elationem,* gratia Dei vita æterna, *& addit,* in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta Aduerſariorum.

CAPVT L.

1. DOCTRINAM Capitibus proximè ſuperioribus traditam non omnes approbant, eamque diſſentientes à nobis varijs impetunt argumentis, præcipuè Didacus Ruiz diſp. de prædeſtinatione, ſect. 3. & 4. Multis contendens intellectionis, ac volitionis, proindeque prædeſtinationis diuinæ Dei cauſam aliquã eſſe poſſe; non quidem realem, qualem noſtræ actiones habent, *Opinio Didaci Ruiz, & aliorum.*

Digitized by Google

ſed moralem, per modum objecti, meriti, aut motiui, aut diſpoſitionis determinantis voluntatem diuinam ad hominum prædeſtinationem. Idemque cum eo ſentiunt plerique Recentiores Theologi, tam qui prædeſtinationem, & electionẽ ad gloriam volunt eſſe poſt, quàm qui ante præuiſa merita, exiſtimantes illi quidem Deum moueri à meritorum præuiſione, & volitione ad decernendam, & tribuendam prædeſtinatis gloriam: hi verò contra, à voluntate dandi gloriam moueri, impelli, & inclinari ad volendam iiſdem gratiam, & ad decernenda eis merita, quibus eam conſequantur.

1 eius Argumentum.

2. PRIMVM Ruiz argumentum tale eſt. Deus de facto non ſolùm vult rem vnam eſſe propter aliam, ſed propterea vult vnam, quia vult aliam. Multæ enim in Sacris litteris ſunt, & à SS. PP. ac Doctoribus Theologis paſſim fiunt de Dei conſilijs & decretis propoſitiones cauſales ab omnibus admiſſæ: eæ autem non ſignificant cauſalitatem realem, vt patet, igitur moralem & motiuam ſecundùm noſtrum volendi & intelligendi modum.

Reſponſio.

NEGANDA Major eſt cum D. Thoma. 1. part. quæſt. 19. art. 5. Vbi hæc habet, *Sicut in Deo intelligere cauſam non eſt cauſa intellgendi effectus, ſed ipſe intelligit effectus in cauſa; ita velle finẽ non eſt ei cauſa volendi quæ ſunt ad finẽ; tamen vult ea, quæ ſunt ad finem ordinare in finem. Vult ergo hoc eſſe propter hoc, ſed non propter hoc, vult hoc.* Et ibidem ad 1. *voluntas* inquit *Dei rationabilis eſt, non quod aliquid ſit Deo cauſa volendi, ſed inquantum vult vnum eſſe propter aliud.*

Quo ſenſu propoſitiones cauſales de Deo ſint admittendæ.

3. AD confirmationem autem ejuſdem Majoris dicendum, ejuſmodi cauſales propoſitiones omnino admittendas; at non eo ſenſu, quem putat Ruiz: quaſi contineant cauſam, vel rationem motiuam vllius volitionis diuinæ; ſed quatenus continent cauſam objecti, ſeu rei à Deo volitæ, vt ante dictum eſt E. g. cum ad Epheſios 1. dicitur, quòd Deus *elegit nos in ipſo, vt eſſemus ſancti & immaculati*, noſtra ſanctitas non eſt cauſa, & ratio motiua volitionis, & electionis diuinæ; ſed ejus effectus ſimulque cauſa alterius effectus diuini, puta, noſtræ creationis vel Incarnationis Chriſti, per quam ſanctificamur, & cujus noſtra ſanctificatio eſt aliquo modo finis. *Veni*, enim inquit Chriſtus Ioannis 10. *vt vitam habeant*,

Ad Epheſ. 1.

Digitized by Google

Ita hæc Proſperi verba lib. 2. de vocat. Gent. cap. 10. alias 35. *Fruſtra dicitur, quòd ratio operandi non ſit in electis, cùm etiam ad hoc operentur, vt electi ſint*, exponit ipſe Ruiz diſp. 11. ſect. num. 6. *Proſper.*

4. Similiter quæ rationes a SS. Patribus, & Theologis communiter afferuntur ad ſatisfaciendum quæſtioni, cur Deus humanam potius naturam, quàm Angelicam aſſumpſerit, non fuerunt Deo rationes, & cauſæ motiuæ volendi Incarnationem, neque propriè eum mouerunt, impulerunt, inclinauerunt, determinarunt ad naturæ humanæ potiùs, quàm Angelicæ aſſumptionem, ſed ſolùm congruentiæ quædam ſunt, & rationes de ipſo opere, & effectu Incarnationis ex varijs capitibus ductæ, ad noſtrum intelligendi, volendi, loquendi, & agendi modum accommodatæ. Quare ſi qui Theologi diſputantes quæſtionem, *veniſſet ne Deus Adamo non peccante*, motiuum quærunt decreti diuini, aut cauſam extra Deum, quæ ipſum induxerit, ad decernendam Incarnationem, malè quærunt & inutilis eorum labor eſt, nec quæſtio eo ſenſu tractanda eſt: cùmque peccati originalis extinctionem, vel gloriam Dei, aut hominum, aut vniuerſi perfectionem pro motiuo diuinæ voluntatis aſſignant, falluntur. Hæc enim omnia Deo rationes non ſunt, diuinam ejus voluntatem mouentes, & impellentes ad Incarnationem decernendam, quā ex ſola ſua bonitate & miſericordia voluit & perfecit, ſed nobis noſtro modo, & more volentem & agentem Deum concipientibus rationes ſunt tam ex parte Dei, quàm ex parte ipſius operis, & effectuum Incarnationis deprompta. *Quales ſint rationes Incarnationis decernendæ.*

5. SECVNDVM argumentum. Reprobationis diuinæ, & illius actus æterni, quo Deus vult punire aliquem pœnâ æternâ datur aliqua ratio, & cauſa motiua ex parte noſtra, nempe hominis peccatum, & demeritum. Igitur & increatæ Prædeſtinationis ad gloriam poteſt eſſe cauſa motiua ex parte noſtra. *2. Argum.*

NEGANDVM Antecedens. Peccatum enim cauſa quidem moralis, & meritoria eſt ipſius pœnæ æternæ, quæ ei debetur, non tamen motiua increatæ voluntatis, quâ Deus vult illam pœnam infligere; Tum quia à nullo objecto externo Deus mouetur ad quicquam volendum; tum quia alio- *Reſponſio.*

Digitized by Google

qui omnes peccatores damnarentur, Deo ſcilicet per cujuſque peccatum ad pœnam damnationis volendam & infligendam ſemper commoto. Cur enim vnius peccato potius, quàm alterius ejus voluntas & juſtitia commoueatur; Igitur cùm ſæpe Deus peccatum commiſſum immiſsâ peccatorum contritione, aut vi & meritis Chriſti per Sacramentum pœnitentiæ condonet, ſignum eſt eum à peccati malitia non moueri ad illud puniendum ſed pro ſuo beneplacito illud vel condonare vel punire. Quo eodem argumento vtitur Ruiz diſp. 14. ſect. 2. ad probandum peccatum originale non eſſe cauſam, & rationem reprobationis negatiuæ, nec illius diſcretionis voluntatum, quibus Deus peccatum vni potiùs, quàm alteri vult remittere. Quare quæ totâ Diſpitatione reliquâ & ſequenti ex Auguſtino, & alijs Patribus affert idem author, oſtendunt quidem juſtas & ſanctas eſſe Dei voluntates peccati tam originalis, quàm actualis puniendi & Deum, cùm vtrumque punit, juſtum eſſe; at illius in Deo punitiuæ voluntatis, & tam negatiuæ, quàm poſitiuæ reprobationis peccatum cauſam & rationem eſſe nullo modo probant.

3. *Argum.* 6. TERTIVM argumentum. Quemadmodum ipſa Dei bonitas eſt finis vltimus increatæ volitionis diuinæ, & prima ratio, quæ eum mouet, vt velit v. g. creare mundum, aut aliquos prædeſtinare, ita ſub eo fine vltimo multi ſunt ſubordinati à Deo voliti, qui ſunt cauſæ, & rationes motiuæ volitionis increatæ Dei, Igitur, &c.

Reſponſio. NEGANDA vtraque pars Antecedentis. Neque enim Dei bonitas, aut voluntas propriè cauſa eſt, aut ratio motiua prædeſtinationis æternæ, aut vllius volitionis diuinæ, nec increata Dei volitio, aut præuiſio vllius rei eum mouet ad aliam volitionem increatam, Tum quia omnes Dei intellectiones, & volitiones re idem ſunt, Tum quia Deus non agit propter ſe tanquam propter finem à ſe conſequendum, ſed, vt ſupra dictum eſt, quemadmodum dicitur eſſe à ſe, quia non eſt ab alio, ſic agere propter ſe, quia non agit propter vllum finem ſuum, cùm nullius boni creati poſſeſſione melior, beatiorque fiat, ejuſque actiones in creatæ non ſint alterius gratiâ Igitur nullius rei creatæ conditio, aut diſpoſitio, aut meritum, aut actio voluntatem Dei mouet, aut

inclinat

Digitized by Google

inclinat ad aliquid volendum, ipſaque ejus bonitas, & voluntas, ratio, & cauſa eſt non volitionis diuinæ, ſed ipſarum rerum, & effectuum circa quæ verſatur, vt expreſſè habet S. Thomas 1. part. quæſt. 23. art. 5. *Habet*, inquit, *Prædeſtinatio ex parte effectus pro ratione diuinam voluntatem, ad quam totus effectus Prædeſtinationis ordinatur, vt in finem, & ex qua procedit, ſicut ex principio primo mouente.* Idem repetit ſolutione ad tertium. *Ex ipſa bonitate diuina*, inquit, *ratio ſumi poteſt Prædeſtinationis aliquorum, & reprobationis aliorum. Sic enim Deus dicitur omnia propter bonitatem ſuam feciſſe, vt in rebus diuina bonitas repræſentetur.* S. Thomas.

7. QVARE falſum eſt, quòd ait Ruiz ſect. 5. num. 2. S. Thomam eo loco, in corpore articuli non diſputare niſi de vera, & reali cauſa effectiua Prædeſtinationis, & in ſolutione tertij Argumenti mutare loquendi modum, & concedere rationem diuinæ electionis, & reprobationis in cõmuni. Neutro enim loco agit de cauſa, & ratione Prædeſtinationis internæ, & actus diuinæ volitionis, vt diximus ſupra Cap. 45. & ipſe S. Doctor initio articuli admonet. Deinde cùm dicat Prædeſtinationem ex parte effectus, habere pro ratione diuinam voluntatem, de Prædeſtinatione ex parte Dei loquens. *Non eſt*, inquit, *aſsignare cauſam diuinæ voluntatis ex parte actus volendi; ſed poteſt aſsignari ratio ex parte volitionum, in quantum ſcilicet, Deus vult eſſe aliquid propter aliud.* Quibus verbis non ſolùm negat quærendam, vel aſſignandam eſſe cauſam diuinæ voluntatis ex parte actus volendi, nec ſolùm dicit aſſignari poſſe ejus rationem ex parte volitorum, ſed, quid hoc ſit, & quomodo intelligendum, exponit, nempe *Deum velle aliquid eſſe propter aliud.* Hæc autem duo, *velle aliquid propter aliud*, & *velle aliquid eſſe propter aliud*, valde differunt. Nam cauſalitas importata conjunctione *propter* in primo, non ſolùm afficit, &, vt loquuntur Logici, appellat *aliquid*, ſed etiam *velle*, ſignificatque illud aliud eſſe etiam cauſam voluntatis; in ſecundo verò afficit, & appellat tantùm terminum *aliquid*, ſignificatque illud aliud habere rationem cauſæ erga id, quod eſt volitum. Quo ſolo ſenſu aſſignari poteſt ratio diuinæ voluntatis, vt conſtat ex eodem S. Thoma docente lib. 1. contra Gentes cap. 86. & 87. *Diuinæ voluntatis*

D. Thomam male exponit Ruiz.

NOTA.

Rr

rationem aſſignari poſſe, cauſam tamen eius nullam eſſe. Vbi rectè Ferrarienſis. *Dicere diuinæ voluntatis eſſe aliquam rationem, eſt dicere vnum volitum à Deo, eſſe alteri volito rationem formalem, quare ſit volitum, & actum diuinæ voluntatis terminat, quod eſt Deum velle vnum propter alterum eſſe*, vel vt ait S. Thomas ibidem. *Aliorum à Deo volitorum nullum eſt Deo cauſa volendi, ſed vnum eorum eſt alteri cauſa, vt ordinem habeat ad diuinam voluntatem: & ſic intelligitur Deus, propter vnum earum aliud velle.*

Ferrarienſis.

4. Argumentum.

8. QVARTVM argumentũ. Si Prædeſtinationis increatę nullo modo poſſibilis eſt cauſa, id eſt, ratio mouens, ſed ſolùm eſt poſſibilis cauſa, & ratio effectuum illius, fruſtra omnes Theologi deſudarint in quærenda Prædeſtinationis cauſa, cùm inter Catholicos conſtet, gratiam, & opera bona cauſare gloriam per modum meriti, & diſpoſitionis, & quodammodo cauſæ efficientis; gloriam verò eſſe cauſam finalem bonorum operum, &c.

Reſponſio.

CONCEDO ſequelam. Eſt enim bona, & vera non tamen de omnibus, ſed de nonnullis tantùm Theologis præſertim Recentioribus, qui fruſtra, & inutili prorſus labore torquent ſe, quærendo cauſam, & rationem motiuam internæ, & æternæ Prædeſtinationis diuinæ. Si attentè legiſſent, & bene conſideraſſent articulum S. Thomæ à nobis ſupra Cap. 45. recitatum, ingenij ſui neruos inani conatu tantopere nunquam intendiſſent.

5. Argumentum.

9. QVINTVM Argumentum. Si electio ad gloriam nullo alio ſenſu liberas operationes prædeſtinatorum præcederet, niſi quatenus Deus vult, vt gloria ſit finis primò intentus ab homine, & ab hac ſola prioritate volitio diuina denominatur prior, nulla prorſus eſſet ratio difficultatis in concordia libertatis cum cauſa Prædeſtinationis, & ceſſaret item controuerſia, Vtrum prædefinitio ſit ratio Præſcientiæ Dei.

Reſponſio.

TANTÒ meliùs; Ineunda igitur, & ſequenda hæc via eſt, quæ tollit has omnes difficultates.

6. Argumentum.

10. SEXTVM Argumentum. Inter actus increatos, tam intellectionis, quàm volitionis diuinæ, eſt quidam ordo, & quædam prioritas, & poſterioritas; at non alia, quàm cau-

Digitized by Google

ſalitatis ſecundùm rationem vnius erga alium. Neque enim talis ordo petitur ex ordine, prioritate, aut cauſalitate objectorum, Tum quia ordo, qui eſt inter volitiones, & intellectiones increatas, ſæpe diſcrepat ab ordine, quem ipſa objecta creata ſeruant; Tum quia Deus pro ſua libertate, volitionum ſuarum ordinem variare poteſt, manente eodem in objectis cauſalitatis ordine, & his eundem inter ſe cauſandi modum retinentibus, variari poteſt ordo decretorum diuinorum circa illa.

DISTINGVO Majorem. Inter intellectiones, & volitiones diuinas eſt etiam ſecundùm rationem noſtram ordo quidam *intrinſecus* falſa eſt Major. Eſt *extrinſecus* per denominationem ab objectorum, vel noſtrorum conceptuum ordine, concedo Majorem. Proindeque neganda eſt Minor, & vtraque ejus confirmatio, quarum probationem cùm dicat petendam eſſe ex ſect. 3. & 4. diſputationis 22. tomi ſui de Voluntate Dei, dicimus etiam, & nos reſponſiones ad illam, petendas ex dictis ſupra Capite 37. num. 9. & ſequentibus. *Reſponſio.*

RELIQVA ejuſdem Authoris omitto Argumenta, quòd ex dictis nullo negotio ſolui poſſint.

Quæ fuerit ſententia Diui Auguſtini de Prædeſtinatione Sanctorum, & de Reprobatione malorum.

CAPVT LI.

1. PLERIQVE eorum, qui Sancti Auguſtini de Prædeſtinatione Sanctorum, & reprobatione aliorum ſententiam ſe, vel ſequi, & defendere, vel deſerere, & oppugnare profitentur, neutrum mihi facere, ejuſque mentem hactenus non ſatis percipiſſe videntur. Exiſtimant enim Sanctum illum Eccleſiæ, & Doctorum doctorem, in ea ſententia fuiſſe, Deum in vnam Prædeſtinati gloriam quaſi intentum, nullamque, no- *Non omnes capiunt Auguſtinus ſententiam.*

Digitized by Google

ſtro intelligendi modo, de medijs, ad illam, deque illius Prædeſtinati bonis operibus cogitantem, ac ſtatuentem decernere abſolutè, & efficaciter eam illi dare: Hocque ipſum eſſe gloriam illi velle ante præuiſa ejus merita, vel ex non præuiſis ejus meritis. Quæ duo, quàm ſint ab Auguſtini mente, & à veritate remota, ex eo quiuis intelliget, quòd neutrum in Auguſtino, etiamſi decies omnes ejus Tomos à Capite ad calcem euoluerit, vnquam reperiet.

Deus non videt, aut vult vnum ante aliud, & ſine alio, quod cum eo eſt coniunctum.

2. Ac primum quidem falſum eſſe ex eo manifeſtè conſtat, quòd Deus ſimul, imo vno actu omnia, & videat, & velit, nec ex noſtro imperfecto, & inadæquato volendi, & cogitandi modo, quo vnum ſine alio volumus, & intelligimus, diuinæ ſcientiæ, & voluntatis ratio, moduſque definiendus ſit. Deinde vt ſæpius diximus, cùm Deus aliquid ſtatuit futurum, ſimul etiam omnes ejus cauſas intermedias, per quas futurum eſt, omnes ejus modos, vias, rationes, & circumſtantias loci, & temporis definit, ac decernit; nec aliter facere poteſt: alioqui modo valde cœco, dubio, & imperfecto decerneret, & ageret. Igitur cùm decernit efficaciter gloriam alicui dare, ſimul etiam decernit qualem, & quantam, quando, & quomodo, & quibus vijs, ac medijs illam ei daturus ſit: an per merita, & per quæ; vt adultis, an ſine meritis, vt Chriſto Domino, & paruulis poſt Baptiſmum decedentibus.

Vnum ſine alio velle, & cogitare non eſt aliud prius velle.

3. Secvndvm item falſum eſt: quia ſolam Prædeſtinati gloriam cogitare, aut decernere non eſt eam velle ante, vel poſt præuiſa, & decreta merita, vt diximus ſupra Cap. 46. Quod enim ſolùm eſt, id eſſe ante, vel poſt aliud dici non poteſt, cùm omnis ordo, omniſque prioritas, & poſterioritas in ſua ratione eſſentiali dicat multitudinem. Igitur Deum ſolam Prædeſtinati gloriam concipere, & decernere, non eſt eam velle ante, vel poſt præuiſa merita. Deinde dicant, ſi poſſunt, quænam ſit illa prioritas gloriæ, non conceptis, nec præuiſis meritis? Neque enim eſt durationis: alioquin ſucceſſio in Dei actibus eſſet, & volitio meritorum, quæ poſterior dicitur, non eſſet æterna. Neque naturæ, & cauſalitatis, quia gloria ſic ſola concepta, & decreta, nullam habet, ſiue ad merita, ſiue ad quidquam aliud, cauſæ, vel

Digitized by Google

effectus habitudinem. Neque rationis, & conſequentiæ, quia nec omnibus, quibus vult gloriam, tribuit merita, vt paruulis poſt Baptiſmum decedentibus, nec omnibus, quibus vult gratiam, & merita, vult etiam gloriam, vt conſtat in reprobis.

4. PRÆTEREA longè aliud eſt, Deum ex ſua voluntate, ſoloque ſuo beneplacito eligere quoſdam ad gloriam, & quoſdam ab ea reprobare, quod affirmat Auguſtinus, quàm eos eligere ad gloriam, vel ab ea reprobare ante præuiſa merita. Hoc enim quemdam dicet ordinem, & cauſalitatem inter æternam Dei electionem ad gloriam, & ipſam electionem ad gratiam Prædeſtinati: atque adeo inter ipſos actus internos Dei extrinſecam quamdam prioritatem, & poſterioritatem. Illud verò nullum dicit ordinem, nullam cauſalitatem inter actus diuinos; ſed eam potiùs negat, vultque electionẽ ad gloriam ex nullis prorſus eſſe meritis, ſiue proprijs Prædeſtinati, ſiue alienis, ſiue à natura, ſiue à gratia prodeuntibus: proindeque id nullum affirmat ante, vel poſt, inter electionem ad gloriam, & electionem ad gratiam; ſed ſolùm negat illam eſſe poſt, vel potiùs neutrum affirmat, aut negat. *Modus loquendi Auguſtini nullum dicit ordinem.*

5. AC licet, vt ante dictum eſt, gratia, & gloria, bona opera, & vita æterna à parte rei ita ſint ad inuicem comparata, vt illa, cùm ſint hujus gratiâ, ejuſque effectus finales, naturæ, & cauſalitatis finalis ordine ſint poſt gloriam; vt verò ejus cauſa meritoria, ac diſpoſitiua ſint ante eam, ordine cauſalitatis, materialis, & meritoriæ, & ab hoc ordine decreta Dei de illis, per extrinſecam denominationem, priora, & poſteriora dici poſſint: tamen de hoc gloriæ, & meritorum ordine, deque decretis Dei ſecundùm illum ordinatis, nuſquam mentionem fecit Auguſtinus. Qui ſi quando dicat Prædeſtinationem, & electionem, ſiue ad gloriam, ſiue ad gratiam eſſe ante aliquid aliud, more, & ſenſu Scripturæ loquitur; quæ vult internam, & actiuam Dei Prædeſtinationem, externam, & paſſiuam, hoc eſt, ipſam gratiæ, & glolationem, æternitate antecedere.

6. QVÆNAM ergo, inquies tanti Doctoris eſt de Prædeſtinatione mens, & ſententia? quæ doctrina? Eam tibi

Digitized by Google

mox ſubjicimus quibuſdam Capitibus ſummatim comprehenſam.

Diſtinctionē Prædeſt. in æternam & temporalem agnouit Auguſt.

PRIMVM. De Prædeſtinatione, tam externa, & interna Dei, quàm de externa, & temporali diſertè meminit, & vtramque diſtinguit, illam appellans *Præparationem gratiæ,* hanc vel *gratiam, vel donationem gratiæ.* Nam lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 10. *Inter gratiam*, inquit, *& Prædeſtinationem hoc tantùm intereſt, quòd Prædeſtinatio, eſt gratiæ præparatio: gratia verò jam ipſa donatio.* Et cap. 17. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, Ioannis* 15. *quia*, inquit, *non elegerunt eum, vt eligeret eos, ſed vt eligerent eum, elegit eos de mundo, cùm hîc ageret in carne, ſed jam electos in ſeipſo ante mundi conſtitutionem. Hæc eſt immobilis veritas Prædeſtinationis gratiæ.* Et lib. de Correptione, & gratia, cap. 9. tractans illum locum Pauli ad Rom. 8. *Quos vocauit hos juſtificauit, & quos juſtificauit, hos & glorificauit. Verba*, inquit, *præteriti temporis poſuit de rebus etiam futuris, quia jam vt fierent ex æternitate diſpoſuit.*

Diſtinxit electionem ad gratiam ab electione ad gloriam.

7. SECVNDVM. In Prædeſtinatione æterna agnouit, & diſtinxit electionem ad gloriam, ab electione ad gratiam. Nam libro de Dono Perſeuerantiæ cap. 14. Prædeſtinatio æterna ab eo definitur, *Præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur*: at Præſcientia, & præparatio non tantùm eſt gloriæ, ſed etiam gratiæ, & vtraque Dei donum, & beneficium eſt. Deinde illa præparatione omnino eam electionem intellexit, quàm Scriptura eodem nomine: At hæc nomen *Præparationis* electioni ad gloriam tribuit, Matthæi 25. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione Mundi.* Et cap. 20. *Sedere ad dextram meam, vel ſiniſtram non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Et primæ ad Corinthios 2. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Prætereа vrget ſæpiſſime locum illum Apoſtoli ad Epheſios. *Elegit nos in ipſo ante Mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu ejus*: At ſancti, immaculati, & adoptiui Dei filij ſumus, non in hac tantùm vita, ſed maximè in altera. Ac licet in lib. de Perſeuerantiæ dono, & lib. de Correp.

Digitized by Google

& gratia agat potiſſimùm de electione & Prædeſtinatione, ad fidem, & ad gratiam , agit etiam uon rarò de Prædeſtinatione ad gloriam æternam : vt lib. Poſteriori cap. 7. *Electi ſunt* inquit, *per electionem gratiæ, non præcedentium meritorum: electi autem ſunt ad regnandum cum Chriſto.* Et paulò poſt. *Illos elegit ad obtinendum regnum ſuum.* Et cap. 13. *De his loquor, qui Prædeſtinati ſunt ad regnum Dei.*

8. Tertiò vtramque illam electionem Dei æternam ad gratiam, & ad gloriam vult ex ſimplici Dei voluntate eſſe, & ex nullius extra Deum meritis, nullâ cauſâ motiuâ Deum ad illas permouente. Nam id ſæpius affirmat, & ad confirmandum profert, vrgetque loca Scripturæ, quæ ſupra attulimus, vt patet ex cap. 18. de Prædeſtinatione Sanctorum, & cap. 7. Libri de Dono perſeuerantiæ, & cap. 7. libri de Correptione & gratia. *Electio iſta gratiæ* inquit lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 6. *gratiæ eſt, non vtique meritorũ:* & ibidem. *Vniuerſæ viæ Dei miſericordia, & veritas Pſal.* 55. *Inueſtigabiles autem ſunt viæ ejus ad Rom.* 11. *Inueſtigabiles igitur ſunt, & miſericordia, quâ gratis liberat, & veritas, quâ juſtè judicat.* Et cap. 8. *cur*, inquit, *iſtum potiùs, quàm illum liberet, inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inueſtigabiles viæ ejus. Melius enim hîc audiuimus, aut dicimus. O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo?* Et cap. 15. *Eſt etiam* inquit, *præclariſſimum lumen Prædeſtinationis, & gratiæ ipſe Saluator, ipſe mediator Dei & hominum, homo Chriſtus* Iesvs, *qui hoc vt eſſet, quibus tandẽ ſuis, vel operum, vel fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo eſt, comparauit?* Idemque repetit lib. de Dono perſeuerantiæ cap. 24. & Chriſtus & vt eſſet, & vt gratiam, ac gloriam haberet, à pura, & ſimplici Dei voluntate, & ſine vllis meritis habuit.

Vtramque voluit ex ſimplici & gratuita Dei voluntate eſſe.

9. Et Epiſtola 105. ad Sixtum. *Quod perſonarum acceptorem Deum ſe credere exiſtimant, ſi credant quòd ſine vllis præcedentibus meritis cujus vult miſeretur, quos dignatur, vocat, quem vult, religioſum facit, parum attendunt, quòd debita reddatur pœna damnato, indebita gratia liberato.* Et paulò poſt. *Contumeliam debitam reddit juſtitia, honorem donat indebitum gratia, non meriti prærogatiuâ, non fati neceſſitate, non temeritate fortunæ, ſed altitudine diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei.* Cùm autem con-

Digitized by Google

tumeliam, & pœnam damnato debitam reddi ait, non vult Deum obligari ad pœnam inferendam damnato, ſed ſolùm: vult hunc eſſe dignum illâ pœnâ, vt habet in Enchiridio cap. 98. *Abſit* inquit, *vt ſit iniquitas apud Deum. Moyſi enim dixit, miſerebor cujus miſertus ero, & miſericordiam præſtabo, cui miſericors fuero*, *Exodi* 33. *Quis enim niſi inſipiens Deum iniquum putet, ſiue judicium pœnale inferat digno, ſiue miſericordiam præſtet indigno. Quare non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Et cap. 98. *Miſeretur magnâ bonitate, obdurat nullâ iniquitate, vt nec liberatus de ſuis meritis glorietur, nec damnatus niſi de ſuis meritis conqueratur. Sola enim gratia redemptos diſcernit à perditis, quos in vnam perditionis concreuerat maſſam ab origine ducta cauſa communis.*

Nullum in Prædeſtinatione agnouit ordinem decretorum.

10. QVARTÒ. Auguſtinus inter vtramque æternam electionem ad gratiam, & ad gloriam, nullum conſtituit, & agnouit ordinem ſecundùm prius, & poſterius. Neque vnquam diſputauit, vtra eſſet ante, vel poſt aliam: quia id ex nullis ejus verbis colligi poteſt. Proferat enim cui occurrent aliqua? Deinde reuera nullus eſt inter vtramque illam electionem ordo, vt vniuerſim de decretis Dei oſtendimus ſupra. Itaque ſenſit Auguſtinus, Deum nullis prouocatum hominum meritis, ſolâ ſuâ miſericordiâ, & gratuitâ voluntate ex maſſa damnabili certos ſegregaſſe, quibus æternam vitam tribuat, non tanquam donum merè gratuitum, ſed vt meritorum præmium, & per certam bonorum operum ſeriem, ac finalem in gratia perſeuerantiam comparandam; at neque ante, neque poſt decreuiſſe dare gloriam quam gratiam, & merita, ſed ſimul, eodemque, vt loquuntur, inſtanti, & ſine vllo ſecundùm rationem noſtram ordine, præſertim ſucceſſiuo, qualem plerique Theologi recentiores ſibi fingunt.

Quid nomine gratiæ Auguſtinus intellexerit.

11. QVINTVM eſt. Auguſtinum cùm agit de Prædeſtinatione ad extra, ſeu de gratia, & donatione gratiæ, negatque eam eſſe ex meritis, nomine gratiæ, non ſolam habitualem, & juſtificantem, neque ſolam fidem habitualem, & perſeuerantiæ donum intelligere, ſed maximè *gratiam actualem, & gratuitum Dei auxilium*, quo juuamur ad credendum, ſperandum, bene agendum, & in bonis operibus vſque ad

finem

Digitized by Google

finem perſeuerandum. De hac enim maximè gratia loquitur, de qua contra Pelagium, & Pelagianos diſputat. Hi autem dicebant poſſe nos ſine Dei adjutorio per ſolas naturæ, & liberi arbitrij vires credere, bene agere, in bonis operibus perſeuerare, & tandem gloriam conſequi.

12. ID etiam patet ex omnibus Argumentis, & Scripturæ locis, quibus vtitur ad confirmandam hujus gratiæ neceſſitatem, & donationem ſine meritis noſtris. Eam enim probat ex orationis neceſſitate. Nam Epiſt. 89. ad Hilarium *Fruſtra rogantes Deum dicimus, ne nos inferas in tentationem, ſi hoc in noſtra poſitum eſt poteſtate, vt nullo illius adjutorio id valeamus adimplere : Fidelis Deus, qui non vos permittit tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione etiam exitum.* Primæ ad Corinth. 13. *Vt quid dixit Deum facere, ſi hoc ſine ipſius adjutorio in noſtra eſt poteſtate.* Et ibidem poſtea. *Adjutor meus eſto.* Pſalm. 26. *Adjutorium poſcit, vt poſſit.* Et Epiſt. 105. ad Sixtum. *Oratio impetrando quidquid impetrat, euidenter donum Dei eſſe oſtendit. Quòd ſi in poteſtate haberetur, non vtique poſceretur.* Et lib. 6. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 14. *Non poſcerentur à Deo, quæ præcepit fieri, niſi ab illo donarentur.*

Vnde probet Auguſt. gratiæ neceſſitatem.

13. IDEM patet ex alijs Scripturæ locis, quibus contra Semipelagianos fidei, quá Chriſtiani ſumus non ſolùm incrementum, ſed etiam initium Dei donum eſſe oſtendit, lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 2. ita argumentatur ex Apoſtolo ad Rom. 11. *Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia : ergo & ipſum initium Fidei noſtræ.* Et 1. ad Corinth. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Quocirca nemo ſibi ſufficit ad incipiendum, & perficiendum quodcunque opus bonum.* Et 1. ad Corinth. 4. *Quis te diſcernit ? quid habes quod non accepiſti, ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis ?* Quibus Apoſtoli verbis cap. 3. libri citati confitetur ſe ab eo reuocatum eſſe errore, *In quo aliquando fuerat, vt exiſtimaret fidem Dei donum non eſſe, ſed à nobis eſſe in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter, & juſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo.* Hæc ille.

In quo errore fuerit aliquando Auguſtinus.

14. VTITVR etiam non raro, vt lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 8. & 16. & de Dono Perſeuerantiæ cap. 8.

Digitized by Google

9. & 11. & lib. de Corrept. & gratia, cap. 4. 6. 7. & 9. illis verbis Chriſti Matthæi 13. *Vobis datum eſt noſſe myſteria regni Cœlorum, alijs non eſt datum*, vt probet fidem Dei donum eſſe, ac ex pura Dei gratia. Apoſtolis enim myſteria regni noſſe datum eſt, non quia Prædeſtinati, aut quia digni, eâque cognitione bene vſuri erant, vt vult Maldonatus ibidem. Nam id Iudæ indigno, & non prædeſtinato, nec eo dono bene vſuro datum eſt, alijſque prædeſtinatis, & bene vſuris non eſt datum. Apoſtolis igitur datum, & alijs negatum, quia ſic Deo viſum, & ita placuit, bonumque viſum eſt in oculis ſuis.

Nomine gratiæ etiam gloria comprehendit.

15. SEXTÒ, Auguſtinum nomine gratiæ, quæ donatur etiam gloriam intelligere, vt patet ex cap. 13. libri de Correp. & gratia, ex libro de gratia, & libero arbitrio cap. 8. tractatu 13. in Ioannem, & ex Epiſt. 105. ad Sixtum, quia ſcilicet, gratioſo Dei decreto, & beneplacito, quia ſupra meritorum dignitatem, quia per merita à gratia profecta nobis donatur.

Cur gloria appellatur gratia.

NEQVE verò propterea noſtrorum bonorum operum merces eſſe deſinit, quia licet exactam, & rigoroſam noſtra bona opera non habeant cum gloria juſtitiæ æqualitatem, quales inter homines habet pretium pro opere ſolutum. (NEQVE enim inter nos & Deum eſt juſtitia propriè dicta, quòd nos, noſtraque opera, ejus magis ſint, quàm noſtra, & ab ejus gratia magis, quàm à nobis pendeant, eiſque à Deo ex ejus promiſſione, & fidelitate magis, quàm ex operis dignitate gloriæ præmium debeatur) quia tamen bona illa opera à nobis ſunt, & à noſtro libero arbitrio Dei gratiâ adjuto, ſuntque media ad æternam gloriam conſequendam à Deo ordinata, propterea eorum merces ac præmium dicitur. Vnde cùm Apoſtolus ad Rom. 4. ait quòd *ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum*, & cap. 11. *ſi gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia non eſt gratia.* Propoſitiones generales ſunt, & intelliguntur de quolibet inter homines operario, à quibus merces non æſtimatur bonū, vt gratuitum, ſed ſolùm vt debitum ex æqualitate, & valore operis, vt notat Eſtius ibidem ex Auguſtino: vel per opera, quæ opponit fidei, ea intelligit, quæ non ſunt ex fide, nec ab

Explicatur locus Apoſtoli.

homine credente, ſed ſolùm ex naturæ viribus; quibus nihil gratiæ ex Dei promiſſione, vel ex eorum condignitate debetur, quæque non ſufficiunt ad juſtificationem, & ſalutem proindeque nullâ mercede ſupernaturali digna.

Reprobationem non omnino ex præuiſis demeritis eſſe, ſed ex Dei voluntate.

CAPVT LII

1. VT Prædeſtinatio, ſic Reprobatio duplex eſt: Vna *interna, & æterna* ex parte Dei reprobantis: Altera *externa, temporalis*, & ex parte effectuum in ipſis reprobis. Illa à nonnullis definitur, *Præſcientia Dei iniquitatis quorumdam, & præparatio damnationis eorum*. Ab alijs. *Præſcientia, & permiſſio malitiæ non finiendæ, & pro ea præparatio pœnæ non terminandæ.* Hæc verò eſt, *carentia gratiæ efficacis, & neceſſariæ ad euitandum peccatum, cum pœna æterna pro eo infligenda.* *Reprobatio duplex.* *Interna.* *Externa.*

De illa hæc habet S. Thomas 1. parte quæſt. 23. art. 3. *Sicut Prædeſtinatio eſt pars Prouidentiæ reſpectu eorum, qui diuinitus ordinantur in æternam ſalutem. Ita Reprobatio* (ſcilicet interna, & ex parte Dei) *eſt pars Prouidentiæ reſpectu illorum, qui ab hoc fine decidunt.* Ex quo ſtatim infert, quòd *Reprobatio non nominat Præſcientiam tantùm, ſed aliquid addit ſecundùm rationem, ſicut & Prouidentia* (ſupple addit aliquid Præſcientiæ.) *Sicut enim Prædeſtinatio includit voluntatem conferendi gratiam, & gloriam: ita Reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa.*

2. DIFFERVNT autem Prædeſtinatio, & Reprobatio, quòd illa ſit electio ad gloriam, hæc verò excluſio à gloria. Deinde quòd aliter ſe habeat Reprobatio in cauſando, quàm Prædeſtinatio. *Nam*, vt ait ibidem ad 2. *Prædeſtinatio eſt cauſa & ejus, quod expectatur in futura vita à Prædeſtinatis, ſcilicet gloriæ, & ejus, quod percipitur in præſenti, ſcilicet gratiæ. Reprobatio verò non eſt cauſa ejus, quod eſt in præſenti, ſcilicet* *Quibus differant Prædeſtinat. & Reprob.*

Digitized by Google

culpæ, ſed eſt cauſa derelictionis à Deo. Eſt tamen cauſa ejus, quod redditur in futuro, ſcilicet pœna æterna: ſed culpa prouenit ex libero arbitrio ejus, qui reprobatur, & à gratia deſeritur. Idem habet lect. 2. in cap. 9. ad Romanos. *Reprobatio*, inquit, *quantùm ad aliquid conuenit cum dilectione, vel Prædeſtinatione: quantùm autem ad aliquid differt. Conuenit quidem quantùm ad hoc, quòd ſicut Prædeſtinatio eſt præparatio gloriæ, ita Reprobatio eſt præparatio pœnæ. Eſa.* 30. Præparata eſt ab heri Thopheth à Rege præparata. *Differt autem quantum ad hoc, quòd Prædeſtinatio importat præparationem meritorum, quibus peruenitur ad gloriam; ſed Reprobatio non importat præparationem peccatorum, quibus peruenitur ad pœnam. Et ideo Præſcientia meritorum non poteſt eſſe aliqua ratio Prædeſtinationis, quia merita præſcita cadunt ſub Prædeſtinatione: ſed Præſcientia peccatorum poteſt eſſe aliqua ratio Reprobationis ex parte pœnæ, quæ præparatur Reprobatis: in quantum ſcilicet, Deus proponit ſe puniturum malos propter peccata, quæ à ſeipſis habent, non à Deo: Iuſtos autem proponit ſe præmiaturum propter merita, quæ à ſeipſis non habent. Oſeæ* 13. Perditio tua ex te Iſraël, tantùm in me auxilium tuum.

Reprobatur duplex. *Negatiua.* *Poſitiua.*

3. DVPLICEM præterea diſtinguunt Theologi in Deo Reprobationem internam: Vnam *Negatiuam*: Alteram *Poſitiuam*. Illa eſt permiſſo peccati, ſeu negatio gratiæ efficacis, ſiue ex antecedenti aliquo Reprobi peccato, ſiue ex nullo. Hæc verò eſt ipſa Dei ordinatio, ac voluntas pœnæ infligendæ, ſiue æternæ, ſiue temporalis pro peccato, ſiue originali, ſiue actuali Reprobi. Illa negatiua dicitur, non quòd ſit in Deo mera negatio actus. Eſt enim poſitiua permiſſio peccati, ſeu nolitio non dandi prædictam gratiam efficacem: ſed quòd ſit negatio objecti. Hîc autem maximè quæſtio eſt de Reprobatione externa, & ex parte ipſorum Reproborum. Nam Reprobationis ad intra, prout in Deo eſt actus diuinæ Prouidentiæ gratiam efficacem denegantis, vel pœnam irrogantis pro peccato, nulla planè eſt cauſa, non ſecus, ac Prædeſtinationis ad intra, cùm nihil ſit in Deo ab alio pendens. Eſt præterea quæſtio tantùm de effectibus Reprobationis externæ excluſo peccato: cùm Deus nullius peccati cauſa ſit, aut eſſe poſſit, quin potiùs illud ſeuerè

Digitized by Google

prohibeat, & puniat, & ad illud euitandum peccatori plurima tribuat adjumenta.

4. Dico ergo reprobationis ex parte effectus, & ad extra cauſam efficientem, & etiam finalem, eſſe ipſam Dei voluntatem, bonitatis, & juſtitiæ ſuæ punitiuæ manifeſtandæ gratiâ.

Dei bonitas, ac ſola voluntas eſt cauſa Reprobationis.

Probatvr 1. authoritate, & verbis Apoſtoli ad Rom. 9. *Cùm nondum nati fuiſſent (ſcilicet Eſaü, & Iacob) aut aliquid boni egiſſent, aut mali (vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia major ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt; Iacob dilexi, Eſaü autem odio habui.*

Probatur ex Apoſtol. ad Rom. 9.

Etenim locus ille totus, ſiue intelligatur ad litteram de ipſis *perſonis Iacob, & Eſaü*, & hæc Dei electio, propoſitum ac vocatio, illaque dilectio Iacob, & odium, ſeu non dilectio Eſaü, intelligatur de ea Dei diſpoſitione, quâ Iacob natu minor in primogenitura, dominio, principatu, bonorumque temporalium copia prælatus eſt Eſaü natu majori, nullo vtriuſque meritò (ijs enim nondum natis, & cùm necdum aliquid boni, vel mali egiſſent, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, & reuelatum Rebeccæ, multò magis à Deo præſcitum, & prædeſtinatum, quia major ſeruiet, id eſt, ſubijcietur minori)

Sive intelligatur etiam de *populis ab vtroque naſcituris*, deque eorum temporali proſperitate, ac ſucceſſu inæquali. Rebeccæ enim Dominum conſulenti Geneſis 25. reſponſum eſt, *Duæ gentes ſunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur populuſque populum ſuperabit, & major ſeruiet minori.* Quod completum eſt quando Dauid Idumæos, Populum ex Eſaü genitum, ſibi, ac Populo Iſraëlitico fecit tributarios 2. Reg. 8.

5. Sive intelligatur allegoricè, & figuratiuè de *Gentilibus* ad fidem Chriſti, & gratiam Euangelij nullo ſuo merito vocatis, & de *Iudæis* ab ea repulſis, & in incredulitate, & duritie ſua relictis, atque adeò de quibuſuis hominibus ad fidē Chriſti, & gratiam Euangelij efficaciter vocatis, & conuerſis, vel ab ea repulſis, & neglectis. Quod maximè ſpectare videtur Paulus, vt exponunt Auguſtinus Enchiridio cap. 98. &

Digitized by Google

99. lib. 1. ad Simp. quæſt. 2. lib. de Prædeſt. SS. varijs Capitibus, præſertim 19. & alibi ſæpe, Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius in illum locum, Proſper Aquitanicus Epiſt. ad Demetriadem, & lib. 2. de Vocatione Gentium cap. 11. Fulgentius lib. de Incarnatione, cap. 1. alijque SS. Patres, & Interpretes hujus loci, ac etiam plerique Doctores Scholaſtici.

Sive intelligatur *figuratiuè de Prædeſtinatis* ad gloriam, & ſalutem æternam, & de reprobis, vt vulgò etiam accipiunt prædicti Patres, & Doctores Scholaſtici. Totus inquam ille locus euidenter monſtrat prædictarum omnium perſonarum diſcretionem, & conditionis inæqualitatem ex nullis eſſe earum præuiſis meritis, gratiam ſiue antecedentibus, ſiue ſubſequentibus, & ex nullis earum operibus bonis; vel malis, præteritis vel futuris, quibus Deus, quaſi motus ſit ad ejuſmodi hominum diſcretionem conſtituendam. Nam Paulus diſertè negat diſcretionem illam eſſe *ex operibus, & affirmat clarè ex vocante, & vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret* id eſt ex pura, ſola & ſimplici Dei voluntate, electione, propoſito, vocatione, & diſcretione dictum eſſe quia *major ſeruiet minori.*

6. Itaque ſicut Iacob, & Eſaii Fratres germani, gemini, ex nullis antecedentibus ſuis operibus bonis, vel malis, & cùm nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni, aut mali egiſſent. (Tam enim excludit Paulus actionem malam Eſaii odio habiti, quàm bonam Iacób dilecti) in conſilio, & decreto Dei inæqualiter habiti ſunt, minorque majori in primogenitura, & beneficijs temporalibus antepoſitus eſt: Ita argumento à figura ad rem figuratam ducto, ex hominibus, naturâ licet, & conditione æqualibus, ſolo voluntatis diuinæ beneplacito, vocantur quidam ad fidem, & gratiam Euangelij alij non: & quidam ad ſalutem & gloriam eliguntur, alij non eliguntur; ſed reprobantur. Non quòd vllum Deus immeritò damnet, ſed quòd ſicut totus prædeſtinationis effectus non cadit ſub merito, (nam primam gratiam non meremur) ſic nec totus reprobationis effectus ſub demerito. Reprobatio enim negatiua, & permiſſio peccati primi ac negatio gratiæ efficacis ex nullo eſt demerito, & peccato reprobi, ſed ſolùm re-

Digitized by Google

probatio poſitiua, & punitiua, ex parte effectus, ſcilicet pœna æterna, eſt ex demerito reprobi.

7. IDEM confirmant verba Malachiæ 1. *Iacob dilexi, Eſaü autem odio habui*, quæ, cùm, vt liquet ex ſequentibus Prophetæ verbis, *Et poſui montes in ſolitudinem, & hæreditatem ejus in dracones deſerti*, &c. Ad litteram de beneficijs, & bonis temporalibus Iacob, ejuſque poſteritati conceſſis, Eſaü autem ejuſque poſteris negatis, intelligenda ſint, argumento tamen à figura ad rem figuratam Paulus transfert ad demonſtrandum Prædeſtinatorum electionem, & Reproborum rejectionem ex nullis eorum operibus, ſed ex ſolo diuinæ voluntatis arbitrio eſſe. Dicitur autem Eſaü odio habitus, id eſt, minùs, quàm Iacob dilectus, Hebræa phraſi, quâ odiſſe, pro minùs amare dicitur: vt Geneſ. 29. Lia dicitur à Iacob odio habita, id eſt, minùs, quàm Rachel amata. Ergo Deus Eſaü, id eſt, reprobum odio habuiſſe, & minùs, quàm prædeſtinatum amaſſe dicitur primùm *odio negatiuo*, quatenus non dedit ei gratiam, quam ſciebat fore efficacem, ſed ſolùm dedit ſufficientem, quâ tamen poterat reprobus bene agere, ſalutem conſequi, peccatum, & damnationem vitare, quamque ſuâ culpa reddidit inefficacem. Deinde *odio poſitiuo*, quatenus propter peccatum admiſſum eum excluſit à gloria, & addixit pœnis æternis. *Alterum teſtimonium.*

8. SECVNDÒ, probatur ex duplici objectione, earumque ſolutione, quam ſtatim proponit idem Apoſtolus. *Prima* quidem per interrogationem hunc in modum, *Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum?* Cui per negationem vno verbo reſpondet, *Abſit.* Quæ vox negantis, & repudiantis eſt. *2. Probatio.* *1. Obiectio.*

QVAM negationem, ſimulque authoritatem Scripturæ duplicem antea allatam, duabus alijs confirmat. Prima eſt Moyſis Exodi 33. *Moyſi enim dicit; miſerebor, cujus miſereor*, id eſt, cui mihi placuerit, *& miſericordiam præſtabo, cujus miſerebor*, id eſt, cujuſcunque mihi viſum fuerit miſereri. *Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Secunda eſt capite 9. Exodi. *Dicit enim Scriptura Pharaoni, in hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te virtutem meam, & annuncietur nomen meum in vniuerſa terra.* Ex quibus duobus teſtimonijs *Reſponſio.*

Digitized by Google

hanc infert concluſionem : *Ergo cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.* Quaſi diceret, ſicut Deus ejus, quem eligit, præuiſis operibus bonis non obligatur, neque ejuſdem volentis per actum internum, aut currentis per actum externum, meritis mouetur ad ipſum eligendum, ſed id facit ex ſua bonitate, & miſericordia : ita quem, vt Pharaonem rejicit, ac reprobat, permittitque labi in peccatum, cùm ex ejus peccato juſtitiæ ſuæ manifeſtandæ occaſionem ſumat, nulli facit injuriam, nec vlla in eo eſt iniquitas.

9. PORRO duobus modis Deus indurare dicitur : Vel *poſitiuè*, ſed per accidens, cùm ex bene agendi, & pœnitendi opportunitatibus, quas peccatori offert, ſumit ipſe occaſionem obdurandi in peccato cor ſuum. Vt patet in Pharaone, ex Moyſis admonitionibus, & plagis Ægypto inflictis. Ita Lex, peccati cauſa dicitur ad Rom. 9. Vel *negatiuè*, vt docet

Auguſtinus. Auguſtinus lib. 1. ad Simp. quæſt. 2. *Obduratio Dei eſt*, inquit, *nolle miſereri, vt non ab illo irrogetur aliquid, quo homo ſit deterior, ſed tantùm quo ſit melior non erogetur.*

2. Obiectio. 10. SECVNDAM autem objectionem ſibi ſic proponit Apoſtolus *dicis itaque mihi : Quid adhuc queritur. Voluntati enim ejùs quis reſiſtit ?* Id eſt, cur de nobis Deus queritur ? quid nos reprehendit ? nos accuſat ? & cur à nobis pœnas exigit ? quandoquidem ejus voluntati obſiſtere nemo poteſt?

Reſponſio. QVAM objectionem, quaſi à nimia humanæ rationis audacia, & temeritate profectam retundit, ac reprimit Apoſtolus his verbis reprehenſionem quandam admonitoriam continentibus, *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo* ? quaſi diceret, ſatis tibi eſſe debet, quod Deus eſt, qui hoc facit : neque tu, homo cùm ſis, cum Deo contendere debes, ſed profundè, reuerenter, ac ſubmiſſio capite cum ſilentio ejus adorare judicia, & opera admiratione proſequi debes, quæ hoc ipſo, quòd ab eo ſunt, non niſi recta & juſta eſſe poſſunt. Sit *hoc fixum, atque immobile in mente ſobria pietate, atque ſtabili fide*

Auguſtinus inquit, Auguſt. ſupra, *quòd nulla eſt iniquitas apud Deum, atque ita tenaciſſimè firmiſſimèque credatur, id ipſum, quòd Deus cujus vult miſeretur. & quem vult obdurat hoc eſt, cujus vult miſeretur & cujus non vult, non miſeretur, eſſe alicujus occultæ, atque ab humano modulo inueſtigabilis æquitatis.*

11. HANC

11. Hanc autem ſuam reprehenſionem Paulus confirmat argumento à minori ad majus, *Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, Quid me feciſti ſic? an non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere vas, aliud quidem in honorem, aliud verò in contumeliam?* Si enim vas & figmentum luteum, figulum, cujus arte & manibus factum eſt, non reprehendit, nec ab eo quærit, *quid me feciſti ſic?* ſiue ad honeſtos vſus, ſiue ad minus honeſtos factum ſit: quia ex eadem maſſa lutea ejuſdem omnino diſpoſitionis, nullaque qualitatum naturalium inæqualitate diſtincta, poteſtatem habet figulus pro ſuo arbitrio facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam: cùm longè major ſit hominis ad Deum inæqualitas, quàm luti ad figulum, Deique in homines jus, & poteſtas longè altior, & ſuperior, quàm figuli in lutum, quis audeat dicere Deo, *Cur me feciſti ſic?* id eſt, vas reprobum, & non electum: illum verò alium vas electum ad gloriam, & honorem. *Exponitur ſimilitudo figuli.*

12. Svnt autem qui exiſtiment, idque nonnunquam indicat Auguſtinus, nullam propterea in Deo eſſe injuſtitiam, ſi quoſdam pro ſua voluntate, & libero arbitrio reprobet; quòd cùm tota generis humani maſſa per peccatum originale ſit corrupta, omnes homines juſtè à Deo damnari, & à gloria excludi potuerint; ideoque reprobos nullam habere cauſam conquerendi de Deo. *Quorumdam expoſitio.*

Verum, vt rectè notat Eſtius in illum locum, hæc Deum ab injuſtitia vindicandi ratio pugnare videtur, & cum hac interrogatione Pauli, *Nunquid iniquitas apud Deum?* Fruſtra enim eam feciſſet, ſi hæc ratio valeret. Et cum ſimilitudine figuli, & maſſæ luteæ quâ vtitur. Neque enim ait, quòd ſicut figulus ex maſſa, vel corrupta, vel inæqualiter diſpoſita; ſed ex eadem, id eſt, eodem modo ſecundùm omnes ſuas partes præparata, diuerſi generis, & vſus vaſa fictilia pro ſuo fingit arbitrio, nullaque in maſſa lutea eſt ratio, cur ex hac ejus parte fiat vas in honorem, & ex illa altera vas in contumeliam; ſed tota hæc inæqualitas, ac differentia ex ſolo pendet figuli arbitrio, & voluntate: Ita in eadem maſſa generis humani, ſeu in hominibus non eſt ratio, cur hic eligatur, ille reprobetur: ſed in Dei voluntatem, ac beneplacitum tota hæc diſcretio rejicienda eſt. *Improbatur.*

Præterea ex Angelis, in quibus nulla erat naturæ, & maſſæ corruptio, quidam à Deo electi, alij rejecti, & reprobati ſunt. Igitur aliunde petenda ratio vindicandi Deum ab injuſtitia, nempe quòd, cùm ſit Dominus, pro ſua poteſtate, & mero beneplacito de hominibus, & de Angelis in vtramque partem ſtatuere potuit ſine vlla injuria.

Nulla apud Deum eſt iniquitas.

13. Neqve *propter hoc*, inquit rectè S. Thomas 1. part. quæſt. 25. art. 5. ad 3. *eſt iniquitas apud Deum, ſi inæqualia non inæqualibus præparat. Hoc enim eſſet contra juſtitiæ rationem, ſi Prædeſtinationis effectus ex debito redderetur, & non daretur ex gratia. In his enim quæ ex gratia dantur, poteſt aliquis pro libito ſuo dare cui vult, plus, vel minus (dummodo nulli ſubtrahat debitum) abſque præjudicio juſtitiæ. Et hoc eſt, quod dicit pater familias Matthæi* 20. Tolle, quod tuum eſt, & vade. An non licet mihi quod volo facere? Nemo igitur de Deo jure, ac meritò queri poteſt, nullaque apud Deum eſt perſonarum acceptio ad Rom. 2. ad Epheſ. 3. & ad Coloſſ. 3. *Si enim,* vt ait Proſper lib. 2. de vocatione Gentium cap. 32. vel vt alij numerant 10. *de parentum carnalium judicijs conqueri non audemus, cùm aliquos filios ſuos, ante vlla morum examina, ante aliqua pietatis obſequia indulgentiori amplectuntur affectu: in Dominis quoque erga famulos, libera eſt diſpoſitio: neque juſtè quoque reprehenditur, qui de vnius conditionis familia quoſdam ſibi, quos benigniùs honeſtaret, & quos liberaliùs erudiret, elegit. Nunquid de ſummi Patris, & veri Domini beneuolentiſſima æquitate cauſandum eſt, quòd in magna domo ejus innumeris differentijs vniuerſa variantur.* Igitur cur hic, vel ille, ſit vel electus, & prædeſtinatus, vel reprobatus, cauſa alia non eſt, quàm diuina voluntas.

S. Proſper.

3. Probatio.

14. Probatvr tertiò. Deus nemini obligatus eſt, igitur quòd bona ſua, ſiue naturalia, ſiue ſupernaturalia vni tribuat, aut deneget, atque adeo aliquem prædeſtinet, aut reprobet, injuriam nulli facit. Antecedens probatur, quia Deus eſt prorſus independens ab omni creatura, idemque cùm ſit mouens primum, proindeque mouens immobile, à nulla re, ſiue phyſicè, ſiue moraliter moueri, impelli, vel obligari poteſt ad quicquam faciendum, ſed vt ante dictum eſt, ex propoſito ſuæ voluntatis facit, quidquid facit. Ergo

Digitized by Google

quem vult prædeſtinat, & quem vult reprobat.

QVOD ita S. Thomas declarat ſupra. *Quare*, inquit, *hos elegit in gloriam, & illos reprobauit, non habet rationem, niſi diuinam voluntatem: ſicut in rebus naturalibus poteſt aſſignari ratio (cùm prima materia tota ſit in ſe vniformis) quare vna pars ejus eſt ſub forma ignis, & alia ſub forma terræ à Deo in principio condita; vt ſic ſit diuerſitas ſpecierum in rebus naturalibus, Sed quare hæc pars materiæ eſt ſub iſta forma, & illa ſub alia, dependet ex ſimplici voluntate diuina: ſicut ex ſimplici voluntate artificis dependet, quòd ille lapis eſt in iſta parte parietis, & ille in alia, quamuis ratio artis habeat, quòd aliqui ſint in hac, aliqui in illa.*

QVVM autem reprobationem voluntati diuinæ aſcribit Sanctus Doctor, non propterea vult Deum vllum reprobare reprobatione poſitiuâ, ſine ſuo aliquo peccato, vel originali, vel actuali: ſed ſolùm vult reprobationem negatiuam, id eſt, negationem gratiæ efficacis, quâ peccatum vitaret, & ipſam pœnam propter ejus peccatum, eſſe ex ſimplici Dei voluntate, quatenus eam ſi vellet, poſſet non exigere; ſed erga peccatorem miſericordiâ vti.

Eadem doctrina confirmatur Authoritate,

CAPVT LIII.

1\. AVGVSTINVM, quod nos Capite præcedenti de cauſa reprobationis ſenſiſſe, & docuiſſe ex dictis cap 51. facilè intelligi poteſt. Quibus addo, quæ habet Epiſtola 106. vbi ita loquitur. *Auguſtinus.* *Naturas ipſas, quæ ſine dubio bona ſunt, & in quibus ex arbitrio voluntatis futura erant vitia peccatorũ, & in multis talia, quibus eſſet æterna pœna reddenda, quis niſi Deus creauit? Quare? niſi quia voluit. Quare autem voluerit, O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo. Nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quare me ſic feciſti? &c.* Vbi luculenter exponit locum illum Pauli ad Rom. 9. & Epiſt. 157. Optato. *Cur crearentur* inquit, *etiam illi, quos Creator præſciuit ad damnationem, non ad gratiã*

Digitized by Google

pertinere, commemorat Paulus ad Rom. 9. dum dicit, Deum volentem oſtendere iram, & demonſtrare potentiam ſuam, tuliſſe in multa patientia vaſa iræ in perditionem, vt notas faceret diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ. Meritò autē videretur injuſtum, quòd fiunt vaſa iræ ad perditionem, ſi non eſſet ipſa vniuerſa ex Adam maſſa damnata. Quòd ergo fiunt naſcendo vaſa iræ, pertinet ad debitam pœnam: quòd renaſcendo fiunt vaſa miſericordiæ, pertinet ad indebitam gratiam.

Varij auctores.

2. IDEM cum Auguſtino ſentiunt, non ſolùm D. Thomas locis à nobis ſupra recitatis, ſed etiam Magiſter ſententiarum, Durandus, Scotus, Cajetanus, Ferrarienſis, & alij plurimi, quos refert Didacus Ruiz tomo de Prædeſtiatione diſp. 7. ſect. 4. Hugo Victorinus in Epiſt. ad Rom. quæſt. 233. & 235. fateturque Argentina in 1. diſt. 41. quæſt. 1. hanc ſententiam, quam tamen non ſequitur, plures habere defenſores. Pererius item diſp. 12. in cap. 9. ad Rom. Guillelmus Eſtius ibidem, & ad diſt. 41. lib. 1. Sent. Eamque ita certam habuit Ianſenius in hæc verba Eccleſiaſtici *Si nati fueritis, in maledictione naſcemini*, vt errorem vocet eam, quæ propter præuiſa mala merita aſſerit quoſdam à Deo reprobari.

3. PLERIQVE nihilominus docti viri, & nobiles Theologi, tam veteres, quàm noui aliter ſentiunt. Nam quemadmodum vbi primum Auguſtinus ſuam illam de diſcretione electorum à reprobis ex ſolo Dei beneplacito ſententiam euulgauit, nonnulli bene Catholici, & non contemnendæ in Eccleſia authoritatis viri eâ ſunt offenſi, dicebantque, vt vera eſſet, populis prædicandam non eſſe, quòd homines in ſalute procuranda ſegnes, bonorumque operum minùs ſtudioſos reddere poſſet: Sic non defuêre poſtea, ſuntque adhuc, qui doctrinam illam non modo falſam, ſed valde duram, & inhumanā exiſtiment. Verùm vt illorum offenſio & oppugnatio Auguſtinum à ſua illa ſententia, quam doctore Apoſtolo, & magiſtrâ Scripturâ ſacrâ didicerat, non deterruit, nec poſtea S. Thomam, alioſque Scholaſticos ab Auguſtino ſeduxit: Ita nec nos ab eodem nunc remouere debet diſſentientiū ab illo authoritas, aliorumque ſcandalum. Quin potiùs doctrinam hanc ad gratiæ diuinæ commendationem, ad admirandam judiciorum Dei altitudinem, ad hominum de ſe ſuiſque

Docenda & prædicanda noſtra hæc ſententia.

Digitized by Google

meritis nimis præſumentium ſuperbiam deprimendam, vt cum timore ac tremore Domino ſeruiant, ac ſalutem ſuam operentur, & in Dei bonitate, ac miſericordia ſperent, & non in ſeipſis, ſed in Domino glorientur, palam ac publicè prædicandam cum Auguſtino lib. 2. de Dono Perſeuerantiæ cap. 19. 22. 23. & 24. exiſtimamus,nec in ea docenda timendum ſcandalum, eò quòd, vt nos monet Gregorius Magnus homil. 7. in Ezechielem, *cùm de veritate ſcandalum oritur, magis eſt ſuſtinendum ſcandalum, quàm veritas relinquatur.*

4. QVIBVS autem durior videtur hæc ſententia, id inde accidit, quòd putent nos velle Deum pœnis æternis addicere reprobos, nullâ habita ratione peccatorum, & finalis impœnitentiæ eorundem: Quòd Deum ex ſe æſtiment, eumque quaſi ſuo pede metiantur, putantes eum in conſilijs, ac decretis ſuis ab objectis bonis & malis, ſicuti nos pendêre, ac permoueri: Quòd naturæ diuinæ eminentiam, & ſupremæ in res omnes etiam homines & Angelos poteſtatis magnitudinem non ſatis attendant: Neque cogitent illud Iſaiæ 40. *Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt: Ecce inſulæ quaſi puluis exiguus, & libanus non ſufficiet ad ſuccendendũ, & animalia ejus non ſufficient ad holocauſtũ. Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilũ, & inane reputatæ ſunt ei.* Aut illud Iob 35. *ſuſpice cœlum & intuere, & contemplare æthera, quòd altior te ſit, ſi peccaueris, quid ei nocebis? & ſi multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? porro, ſi juſtè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? homini qui ſimilis tui eſt, nocebit impietas tua, & filium hominis adjuuabit juſtitia tua.* Aut illud Sapientiæ 12. *Quis enim dicet tibi, quid feciſti? aut quis ſtabit contra judicium tuum? aut quis in conſpectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit, ſi perierint nationes, quas tu feciſti?*

Cur nonnullis videatur dura.

Iſaiæ 40.

Iob 35.

Audiant Pauli exclamationem ad Rom. 11. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inueſtigabiles viæ ejus? Quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit?* Audiant eundem Paulum ibidem quemque admonentem. *Tu fide ſtas. Noli altum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat.* *Ad Rom. 11.*

Digitized by Google

5. Qvod ſi quam ſibi facit Apoſtolus quæſtionem, vel objectionem nobis opponant, dicantque, quòd *erit iniquitas apud Deum*, cum eodem reſpondendum erit, Absit, & ſubijcienda à nobis Capite præcedenti expoſita. Neque enim in dicta reprobatione & peccati permiſſione, ac negatione gratiæ efficacis, plus eſt vel in Deo iniquitatis, & acceptionis perſonarum, vel in nobis difficultatis ad eam capiendam & explicandam, quàm in reddenda ratione, cur Deus voluerit infantem hunc ex parentibus Catholicis naſci, baptiſari, & ſaluari, illum ex Barbaris, & Canadæis natum, ſine baptiſmo decedere: illum in tugurio ex pauperibus naſci, hunc in palatio, ex diuitibus: cur ex duobus in idem peccatum lapſis, vni det gratiam contritionis, neget alteri: cur ex duobus juſtis vni perſeuerantia in juſtitia concedatur, quæ alteri non conceditur, *Deus enim*, inquit S. Thomas 1. 2. quæſt. 104. art. 9. *gratis perſeuerantiæ bonum largitur, cuicunque illud largitur.* Itaque ſi Deus hæc, & alia ſapienter, & ſine iniquitate facit, quia Deus & Dominus: etiam nullâ lege tenetur impedire omne peccatum, & ſaluare omnes.

Illuſtratur exemplis.

6. Adde quòd, vt quædam ſunt in ordine naturali bona, quæ malum aliquod neceſſariò præſupponunt, v. g. delectatio cibi & potus, famis & ſitis dolorem, conſumptionem herbarum conſeruatio animalium, & vita leonis mortem cerui, & noſtra eſum animalium, ac vniuerſim bonum generationis cujuſcunque ſubſtantiæ naturalis non eſt ſine malo corruptionis alterius: Ita & in ordine rerum moralium, non eſt patientia Martyrum ſine perſecutione Tyrannorum, nec contritio ac pœnitentia ſine peccato præterito, proindeque nec bonum juſtitiæ vindicatiuæ ſine crimine commiſſo: vnde ejuſmodi bona non per ſe, ſed ex accidenti bona dici poſſunt, quemadmodum cibi & potus voluptates Philoſophus lib. 7. Ethicorum cap. vltimo appellat delectationes per accidens, eo quòd in animali earum capaci ſupponant aliquam naturæ indigentiam, & malum ſitis & famis, quod expellunt.

Alia declaratio.

Ariſtoteles.

7. Qvare ſi ſapientis gubernatoris eſt permittere in Republica quædam mala, ne impediantur multa bona, cur à ſapientia, bonitate, & juſtitia diuina alienum erit peccatum hominis, ſiue primum, ſiue ſecundum, & vltimum per-

Digitized by Google

mittere, & non impedire, ne magnum aliquod bonum, v. g. manifeſtatio miſericordiæ, & juſtitiæ diuinæ impediatur? Rectè enim Auguſt. in Enchiridio cap. 1. *Malum bene ordinatum, & loco ſuo poſitum eminentiùs commendat bona, vt magis placeant & laudabiliora ſint, dum comparantur malis. Neque enim Deus omnipotens, rerum cui ſumma poteſtas, cùm ſummè bonus ſit, vllo modo ſineret mali aliquid eſſe in operibus ſuis, niſi vſque adeo eſſet omnipotens, & bonus, vt benefaceret etiam de malo.* *Auguſtinus.*

8. SED aduerte malum ordinari, & diuinæ prouidentiæ ordinem ingredi non per ſe, & tanquam aliquid intentum, & per ſe ad bonũ finem aliquem ordinatum, cùm ex ſe potius ſit priuatio boni, & defectus ordinis: ſed ſolùm materialiter & per accidens, quatenus ex eo Deus vel bonum pœnitentiæ, vel miſericordiæ, aut juſtitiæ ſuæ manifeſtationem elicit: vnde malum, & peccatum permittere, ſeu non impedire licet, facere verò nunquam licet, etiam ex intentione boni. *Quomodo malum ſit capax ordinis.*

9. NEC inutile forſan erit diluere hîc, & manifeſtè oſtendere ſtultam prorſus eſſe, & illuſoriam imperitorum, vel prauorum quorundam hominum in negotio ſalutis ſatis vulgarem ratiocinationem, qui ſic de ſe argumentantur. *Si à Deo prædeſtinatus ſum, ſaluabor: ſi ſum reprobus, damnabor; Quocunque ergo modo ſiue benè, ſiue malè vixero, ſaluabor, ſi ſum prædeſtinatus, & damnabor, ſi reprobatus ſum.* *Praua quorundam ratiocinatio.*

CVR enim alijs in negotijs non pari modo ratiocinantur? Cur non dicunt, Nouit Deus meum hunc agrum v. g. hoc anno feracem fore, aut ſterilem; ſi feracem nouit, ſiue à me cultus fuerit, ſiue non, vberes mihi fructus feret: ſi ſterilem, ergo talis erit etiam ſi ipſum nauiter, & aſſiduè coluerim. Vel præuidit Deus fore me doctum, vel non fore: ſi primum, omnino doctus ero, ſiue ſtudeam, ſiue non: ſi ſecundum etiamſi nulli parcam labori, & totos ponam dies noctesque in ſtudijs, nihil proficiam. Similiter præuidit Deus te hodie cœnaturum, vel non: ſi primum, licet de cœna nihil cogites, nihil ad eam pares, nec te loco moueas, cœnabis tamen opiparè: ſi ſecundum, quantumuis pro cœna ſollicitus ſis, incœnatus eris. An non ridendi hi diſcurſus, & vt contra communem omnium ſenſum explodendi? *Refellitur ſimilibus conſequentijs ineptis.*

10. NVLLA igitur tua illa eſt conſequentia, *Si ſum præ-*

Digitized by Google

deſtinatus, quidquid fecero ſaluabor. Si enim es à Deo electus ad gloriam, vtique, non per quæcunque, ſed ſolùm per bona opera conſequendam. Statuit enim Deus non niſi per media idonea finem concedere. Et vt ſanitatem per ambulationem, aut medicinam; victoriam, per ſtrenuam pugnam; ſcientiam per diligentiam in ſtudijs; remiſſionem peccatorum, per contritionem, & eorum confeſſionem tribuit: ſic ſalutem æternam per bona opera &c. Nam ſi non ſunt, nec adhibentur, quæ ad finem ordinata ſunt, nunquam finis erit. Et finem ſine medijs, vel per ea, quæ fini contraria ſunt, ſperare, vel à Deo petere, peccatum præſumptionis eſt, & tentationis Dei.

Ad finē per media idonea perueniitur.

ERGO vt ab æterno Deus præuidit, & conſtituit fertilem fore agrum tuum per diligentem à te ejus culturam, vel ſterilem, ſi nullam adhibeas culturam; te doctum fore per aſſiduam in litteris operam, indoctum per ſtudiorum negligentiam, te cœnaturum ijs, quæ paraueris, & non cœnaturum per deſidiam, & otioſitatem tuam. Ita præuidit, & prædeſtinauit te ſaluandum per mandatorum ejus obſeruantiam, non ſaluandum propter eorum tranſgreſſionem: diceṫque Chriſtus reprobis, quod habetur Luc 17. *Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis.* Quare juxta Petri admonitionē Epiſtolæ 2. cap. 1. *Satagite fratres, vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis. Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter vobis miniſtrabitur introitus in æternum regnum Domini noſtri, & Saluatoris* IESV CHRIST.

Vt quiſque prædeſtinetur.

Ordinem effectuum reprobationis alium eſſe, quàm ordinem effectuum prædeſtinationis.

CAPVT LIV.

1\. QVEMADMODVM effectus Prædeſtinationis omnes, & vniuerſa beneficiorum diuinorum ſeries, ac copia auxiliorum, quibus prædeſtinati ad ſalutem certò & infallibiliter perducuntur, ad duo ſumma capita reducuntur, ſcilicet ad gratiam, & ad gloriam, ſeu ad merita cum dono perſeuerantiæ

finalis

Digitized by Google

finalis in gratia, & ad præmium vitæ æternæ: Ita ſeries effectuum, quibus conſtat reprobatio externa ad tres, vt vult Cajet. 1. part. quæſt. 23. art. 5. vel ad quatuor, vt vult Ferrarienſis in cap. 161. lib. 3. contra Gentes reducuntur, ſcilicet, ad permiſſionem peccati, ſeu carentiam gratiæ efficacis, quâ vitatur peccatum. Deinde ad peccatum ipſum: poſt ad finalem impœnitentiam, ſeu negationem gratiæ efficacis ad reſurgendum à peccato. Vltimò ad pœnam peccati temporalem, & æternam, ſiue damni, ſiue ſenſus. *Ad quæ capita reducuntur omnes effectus reprobationis.*

2. VERVM, meo quidem judicio, peccatum recenſeri non debet inter effectus reprobationis, ſaltem ex parte Dei, eò quòd Deus peccati cauſa non ſit. Itaque inter effectus prædeſtinationis, & reprobationis hoc eſt diſcriminis, quòd ordo effectuũ prædeſtinationis conſtet ex diuerſis ab agente & prædeſtinante per ſe intentis, & ab eo ſic ad inuicem ordinatis, vt vnus alterius ſit cauſa per ſe, & alter reſpectu alterius rationem boni, & finis habeat. Etenim gratia, & auxilium Dei efficax eſt cauſa per ſe boni operis ac meriti, & meritum cauſa per ſe augmenti gratiæ, aliorumque donorũ Dei, ac tandem gloriæ ac ſalutis æternæ, hæcque omnia ad manifeſtationem bonitas, & gloriæ diuinæ ex ipſa ordinantur intentione Dei. Quò fit vt ni omnes prædeſtinationis effectus ſint à Deo per ſe voliti, & directè intenti, & ſalus æterna prædeſtinatorum, & gloria Dei ſit per ſe cauſa finalis aliorum omniũ effectuum prædeſtinationis: inter quos propterea verus eſt ordo per ſe ſecundùm cauſalitatem. *Vnus prædeſt. effectus eſt cauſa per ſe alterius.*

3. AT verò inter omnes effectus reprobationis non eſt talis ordo per ſe, ſed ſolùm per accidens, cùm vnus non ſit ex intentione alterius, nec cauſa per ſe illius, ſed per accidens tantùm ſeſe conſequantur. Ex permiſſione enim peccati, peccatum ipſum non niſi per accidens oritur. Deus enim negando gratiam efficacem non eſt cauſa peccati, eò quòd non teneatur illam dare. Nam is tantùm eſt cauſa mali & peccati, qui cùm illud impedire poſſit, etiam tenetur. Deinde Deus non intendit peccatum, nec ad illud inclinat; ſed contra illud odit, prohibet, multaſque peccatori offert vias, & plurima ſuppeditat auxilia non peccandi. Peccatum itaque, ſi originale eſt, ex peccato Adami *Deus non eſt per ſe cauſa peccati.*

deſcendit, ſi actuale & proprium, oritur ex defectu voluntatis, & libertatis humanæ, quæ cùm diuinæ legi parere teneatur, poſſitque per gratiam & auxilia ſufficientia, quæ à Deo illi ſubminiſtrantur; non paret tamen, nec eam ſequitur, ſed deſerit, & ab ea deflectit.

Peccatum nõ eſt cauſa per negationis gratia

NEQVE item peccatum eſt cauſa permiſſionis peccati, & negationis gratiæ efficacis. In quo enim genere eſſet ejus cauſa? Non in genere cauſæ efficientis, aut formalis, aut materialis vt patet, quia peccatum eſt formaliter priuatio, & non ens. Nec etiam in genere cauſæ finalis, quia malum nullius cauſa finalis eſſe poteſt, cùm finis habeat ſemper rationem boni, & Deus, negando gratiam efficacem, ac permittendo hominem labi in peccatum, non intendat ipſum peccatum.

Peccatum eſt cauſa per accidens pœna.

S. Thomas

4. SIMILITER pœna ſiue temporalis, ſiue æterna, ſiue damni, ſiue ſenſus, ſiue animi, ſiue corporis, vt mors, & amiſſio gratiæ diuinæ, & damnatio æterna, ſunt tantùm effectus per accidens peccati, & peccantis. Neque enim qui peccat pœnam intendit, imo vellet, ſi fieri poſſet, peccando nulli pœnæ eſſe obnoxius. Igitur peccatum per accidens tantùm eſt cauſa pœnæ, & hæc illud per accidens tantùm ſequitur, vt pluribus oſtendit S. Thomas 1. 2. quæſt. 72. & 85. art. 5. & quæſt. 87. art. 1. ad 1. *Sicut malum*, inquit, *eſt per accidens in actu peccantis præter intentionem ipſius: ita & reatus pœnæ*, & paulò poſt ad 2. *Pœna*, inquit, *juſta eſſe poteſt à Deo, & ab homine inflicta. Vnde ipſa pœna non eſt effectus peccati directè, ſed ſolùm diſpoſitiuè; ſed peccatum facit hominem eſſe reum pœnæ, quod eſt malum. Dicit enim Dion. cap. 4. de diuinis nominibus, quòd puniri non eſt malum, ſed fieri pœnâ dignum: vnde reatus pœnæ directè ponitur effectus peccati.*

5. ITAQVE licet pœnæ pro peccatis irrogatæ ſint à Deo per ſe volitæ, eædemque ſapienter ordinatæ, ac juſtè inflictæ, ad diuinæ juſtitiæ ſuæ manifeſtationem, interdum etiam ad bonum, & emendationem, vel ipſorum qui peccant, quando ſcilicet, ſunt medicinales, (Afflictio enim dat intellectum) vel aliorum, qui ſimilium pœnarum metu à peccando deterrentur: non ſunt tamen effectus per ſe peccati, neque finis peccati. Peccatum enim ad nullum bonum per ſe tendit, ſed ſolùm per accidens, quatenus ex eo Deus, pro

Digitized by Google

ſua bonitate & ſapientia, boni alicujus occaſionem ſumit, cùm, ſi illud condonat miſericordiæ ſuæ benignitatem, ſi punit, juſtitiæ ſuæ æquitatem, manifeſtat; aut ex eo alterius boni occaſionem ſumit, v. g. Incarnationis Filij ſui ex peccato originali, peccatoris humilitatem, contritionem, pœnitentiam, & feruorem majorem in cultu Dei ex peccati à ſe commiſſi grauitate, & memoria.

6. QVARE vt hæc bona, ſic & pœnæ à Deo inflictæ per accidens tantùm ex peccato conſequuntur. Nam ſicut ex cœcitate cœci à natiuitate Ioan. 9. Chriſtus diuinitatis, potentiæ, & beneficentiæ ſuæ teſtificandæ occaſionem ſumpſit: & Apoſtolis ipſum rogantibus, cur homo ille cæcus natus eſſet, ſapientiſſimè reſpondit, *Quòd neque hic peccauit, neque parentes ejus, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.* Quod *vt* nullam innuit cauſalitatem per ſe in cœcitate: (hæc enim cùm ſit nihil, & priuatio, nullius rei cauſa vel effectus per ſe eſſe poteſt) ſed ſolam rei conſequentiam, gloriæ nimirum diuinæ per ſequens illuminationis miraculum manifeſtationem ſignificat: Ita Deus ex peccatis hominum & miſericordiæ ſuæ illis parcendo, & puniendo juſtitiæ ſuæ oſtendendæ ſumit occaſionem, cùm tamen omne peccatum verè à parte rei dignum ſit pœnâ, & reatus pœnæ ſit proprietas per ſe ac neceſſariò ſequens naturam peccati.

DENIQVE quod de morte, alijſque defectibus corporalibus ait S. Thomas ſupra quæſt. 85. art. 5. *Mors, & omnes defectus corporales conſequentes, ſunt quadam pœnæ originalis peccati, & quamuis hujuſmodi defectus non ſint intenti à peccante, ſunt tamen ordinati ſecundum juſtitiam Dei punientis:* Hoc idem de qualibet pœna, quæ effectus reprobationis eſt, dici poteſt.

Aliter ordinantur effectus reprobationis, quàm prædeſtinationis.

7. Ex his conſtat, quòd alius eſt ordo inter effectus reprobationis, quàm inter effectus prædeſtinationis. Eſt enim inter hos ordo per ſe, veraque prioritas, & poſterioritas ſecundùm cauſalitatem tum finalem, tum effiicientem: inter illos verò magna ex parte eſt tantùm ordo per accidens, cum ordine ſecundùm tempus & ſucceſſione conjunctus, non autem ordo per ſe ſecundùm propriam cauſalitatem. Peccatum enim adeò inordinatum eſt, & contra omnem ordinis perfectionem, vt ad nullum ordinem per ſe pertineat, nullamque

Digitized by Google

in reprobatione propriè habeat rationem cauſæ, nullam propriè rationem prioris, aut poſterioris per ſe ſecundùm cauſalitatem, ſiue erga reprobationem negatiuam, & ad negationem gratiæ ad reſurgendum, ſiue erga poſitiuam & erga pœnam tam damni, quàm ſenſus propter ipſum, tam ab homine, quàm à Deo inflictam. Cauſa tamen demeritoria dicitur, quæ ad materialem, vel ad efficientem moralem aliquo modo reduci poteſt, propter reatum, & quatenus pœnâ dignum, & ex eo quòd niſi præceſſiſſet, pœna à Deo nulla juſtè infligeretur. Denique quatenus ex eo præter ejus, ſeu peccantis intentionem Deus occaſionem ſumit gloriæ ſuæ, hoc eſt bonitatis, & juſtitiæ ſuæ punitiuæ per irrogatam pœnam manifeſtandæ.

Tria corollaria.

8. Ex hactenus de Prædeſtinatione, & Reprobatione à nobis diſputatis, duo, aut tria corollaria ſummatim colligi poſſunt.

Primum.

Primvm eſt. Prædeſtinationem & reprobationem ex pura, ac ſimplici eſſe Dei voluntate, quòd Deus operetur omnia ad extra ſecundùm conſilium ſuæ voluntatis, nullâque re creatâ extra ſe exiſtente, ſiue bonâ, ſiue malâ obligetur, prouocetur, & moueatur ad quidquam faciendum circa prædeſtinatos, & reprobos, ac diuinæ, & internæ ejus actiones à nulla re externa pendeant.

Secundum.

Secvndvm eſt, Deum prædeſtinatis adultis ex ſimplici voluntate, ac bonitate ſua gloriam decernere & donare, non quòd nulla ſint (vt dictum eſt) eorum merita & bona-opera æternæ gloriæ præmio condigna; ſed quòd ex ſuo beneplacito, meraque libertate, hæc eorum merita, bonaque opera, & gratiam efficacem ad illa exercenda eis tribuerit, & ijſdem bonis operibus præmium gloriæ promiſerit, ac vtrumque bonum gratiæ ac gloriæ ita inter ſe comparare, ordinare, & prædeſtinatis tribuere ſtatuerit, vt hoc per illud, illudque hujus gratiâ dare ac conferre voluerit.

Tertium.

Tertivm reprobationem ex ſimplici Dei voluntate eſſe, non quòd Deus crearit reprobos vt peccarent, vel eos ad peccandum incitaret, aut permittat peccare eo fine, vt æternis pœnis addicat. Id enim à Dei ſapientia, bonitate, & juſtitia prorſus abhorret, ſuntque hæ Caluini blaſphemiæ: ſed quòd

Digitized by Google

cùm varij, & diuerſi ſint reprobationis effectus, & vt communiter loquuntur, reprobatio alia ſit negatiua, quæ eſt carentia gratiæ efficacis, vel primæ ſine vllo peccato præuio, vel alterius propter peccatum commiſſum: Alia poſitiua, inflictio ſcilicet pœnæ, ſiue temporalis, ſiue æternæ pro peccato commiſſo, potuerit pro ſua voluntate, ſuoque beneplacito ſine cujuſquam injuria, quem reprobat non reprobare, ſiue negatiuè, ſiue poſitiuè; ſed ei tribuere gratiam efficacem ad non peccandum, vel ad reſurgendum à peccato commiſſo, atque adeò ipſum non punire pœnâ ęternâ.

9. Reprobis autem Deus nullam facit injuriam; neque cùm reprobat negatiuè, quia cùm gratiam eis det ſufficientem ad vitandum peccatum, non tenetur eis dare efficacem: neque cùm reprobat poſitiuè. Cùm enim ex naturali ſua conditione Deo, vt ſupremo ſuo Domino, & creatori ſubditi ſint, eſt ſapientiæ & prouidentiæ diuinæ leges eis dare, quarum ductu, & obſeruatione ad ipſum, vt finem & bonum ſuum vltimum tendant, & aliquando perueniant. Quòd ſi ſuæ voluntati propriæ nimis indulgentes, à diuinis legibus, & præceptis recedant, & Deum ſuâ inobedientiâ & contemptu ſuarum legum grauiſſimâ injuriâ afficiant, ejus odium ac indignationem merentur, huncqne ſui contemptum æternis damni, & ſenſus pœnis juſtè ac meritò vlciſci & punire poteſt. Iuſtum enim eſt, vt qui peccando Dei voluntatem contemnens, ſuæ, pluſquam debeat, indulſit, contra ſuam eandem voluntatem à Deo cogatur aliquid pati, ſicque fiat aliqua juſtitiæ æqualitas. Eſt enim de ratione pœnæ, vt ſit malum voluntati contrarium, ſicut & præmium eſt bonum voluntati gratum, & jucundum. Et vt Sapientis & optimi Legiſlatoris eſt, propoſitis præmijs ac pœnis ad legum obſeruantiam, & ad colendam virtutem ciues inducere, ſic diuina prouidentia homines ad ſuarum legum obſeruationem peccatique fugam æternorum præmiorum ſpe, ac pœnarum metu inducere voluit. Iuſtè igitur Deus ſui contemptum, ſuique diuini juris ac dominij violationem per pœnam peccatori irrogatam vlciſcitur; vtque peccatum malum eſt injuſtum, quatenus debitum Deo honorem, debitamque obedientiam, ac reuerentiam violat: ita & pœna eſt damnum juſtum, ex Philoſopho

Iuſtè Deus punit peccantum.

Digitized by Google

lib. 3. Rhet. cap. 10.

10. Cum autem pœnarum à Deo inflictarum aliæ *ſpirituales* ſint, vt amiſſio gratiæ, & amicitiæ diuinæ, jactura gloriæ, virtutum, aliorumque bonorum ſpiritualium. Aliæ *corporales* vt mors, morbus, dolores corporis, honorum, aliorumque bonorum externorum jactura, illæ tametſi abſolutè & per ſe loquendo his longè grauiores ſint, quia priuant majoribus bonis, nihilominus, vt obſeruat S. Thomas lib. 3. contra Gentes cap. 141. quia pœna non ſolùm eſt priuatiua boni, ſed etiam contraria voluntati, & plerique hominum, prauo licet & judicio, & affectu, ad bona corporalia magis afficiuntur, quàm ad ſupernaturalia, ac corporis incolumitatem, ſenſuum, membrorumque integritatem, doloris vacuitatem, honoris, gloriæ, amicitiæ, diuitiarum, aliorumque bonorum externorum poſſeſſionem, & abundantiam, ac fœlicitatem temporalem pluris faciunt, quàm Dei amicitiam aliorumque bonorum animi poſſeſſionem, propterea hujuſmodi bonorum corporalium jactura & priuatio videtur illis pœna longè grauior, quia eorum affectui ac voluntati magis contraria, ejuſque metu vt plurimùm magis deterrentur. Quanquam aliunde, quia tales pœnæ temporales medicinales ſunt, & ſalubres pleriſque, qui dolore, paupertate, ignominia, alijſque ejuſmodi malis ad virtutis bonum, rectamque ſalutis ſuæ viam reducuntur, abſolutè leuiores ſunt pœnis ſpiritualibus, minoremque ex hoc capite mali, & pœnæ rationem habent.

Quæ pœnæ ſunt grauiores.

De Ordine cauſarum ad eundem effectum concurrentium.

CAPUT LV.

1. NON hîc agitur de ordine inter cauſam & cauſatum. Conſtat enim ex dictis ſupra cap. 2. num. 17. & cap. 3. omnem cauſam ſuo cauſato priorem eſſe: tum naturâ, quòd hoc ab illa pendeat, & hæc ad illud habitudinem habeat principij & originis. Principium enim, præter quàm in diuinis,

Digitized by Google

naturâ prius eſt principato; tum verò etiam ſæpè tempore. Nam licet cauſa formalis ſuum effectum formalem non præcedat tempore: aliæ tamen, ſi non ſemper, ſaltem aliquando tempore ſuum præcedunt: cùm perſpicuum ſit cauſas tum materialem, tum efficientem, tum etiam finalem extrinſecam compoſito naturali, ſuo effectu, tempore vt plurimùm priores eſſe. Materia enim prima v. g. tempore eſt & ante, & poſt formas, quę in eam inducuntur, & ante ipſum compoſitum, eoque corrupto permanet: & ſimiliter ſol eſt & ante, & poſt elementorum, plantarum, rerumque ſublunarium generationem & corruptionem: ędificator eſt ante, & poſt ædificium. Interdum tamen tempore ſimul ſunt cauſa & effectus, vt ignis, & ejus leuitas, ſol, & lumen.

Cauſæ quomodo priores ſuis cauſatis.

2. ITAQVE cùm Ariſtoteles lib. 12. Metaphyſicæ textu 17. hoc diſcrimen ponit inter cauſas efficientes, & formales, quòd *cauſæ*, inquit, *mouentes tanquam antea ortæ exiſtunt, quæ verò vt ratio, ſimul ſunt. Cùm enim ſanus ſit homo, tunc etiam ſanitas eſt, & forma æneæ Sphæræ ſimul atque ænea Sphæra.* Id intelligendum eſt vt plurimùm. Cauſę enim efficientes tempore pręcedunt ſuos effectus: Nam, vt ait lib. 9. Metaph. text. 17. *Tempore ſemper præcedit actus alius ante alium, vſque ad eum, qui eſt primò mouentis; veruntamen etiam magis principaliter. Æterna enim priora corruptibilibus ſubſtantia ſunt: nihil verò potentiâ æternum eſt.*

Explicatur locus Ariſtotelis.

3. QVARE hîc ſolùm quæſtio eſt de ordine naturæ & cauſalitatis plurium inter ſe cauſarum ad eundem effectum concurrentium, quæ cùm ſint generis vel *diuerſi*, vt materia & forma, efficiens & finis in rebus naturalibus; vel *ejuſdem*, vt plures efficientes, vel finales, vel materiales & formales: de vtriuſque generis cauſis, tum inter ſe, & ad inuicē; tum ad effectum ipſum comparatis, quæſtio moueri poteſt, ſitne inter eas aliqua ordinatio?

4. AC primùm inter cauſas diuerſi generis ad eundem effectum concurrentes in cauſando, aliquem eſſe ordinem, cùm omnes fateantur, de eo nihil, meo quidem judicio, clarius & diſtinctius dici poteſt, quàm quod habet S. Thom. quæſt. 28. de Veritate art. 7. his verbis. *In quolibet genere cauſæ, cauſa naturaliter eſt prior cauſato. Contingit autem ſecundùm*

D. Thomas.

Digitized by Google

diuerſa genera cauſarum, idem reſpectu ejuſdem eſſe cauſam & cauſatum; ſicut purgatio in genere cauſæ efficientis, eſt cauſa ſanitatis: ſanitas verò eſt cauſa purgationis, ſecundùm genus cauſæ finalis: Similiter materia, eſt cauſa formæ aliquo modo inquantum ſuſtinet formam, & forma eſt aliquo modo cauſa materiæ, in quantum dat materiæ eſſe actu. Et ideo nihil prohibet, aliquid altero eſſe prius & poſterius ſecundùm diuerſum genus cauſæ, ſed tamen illud eſt prius ſimpliciter dicendum ordine naturæ, quod eſt prius ſecundùm genus illius cauſæ, quæ eſt prior in ratione cauſalitatis: ſicut finis qui dicitur cauſa cauſarum, quia à cauſa finali omnes aliæ cauſæ recipiunt, quòd ſint cauſæ, quia efficiens non agit, niſi propter finem, & ex actione efficientis forma perficit materiam, & materia ſuſtinet formam.

Cauſæ ſunt ſibi inuicem cauſæ.

Idem alio prius & poſterius eſſe poteſt.

Sic *ergo dicendum, quòd quandocumque à materia vna forma expellitur, & alia inducitur, expulſio formæ præcedentis eſt prior naturaliter in ratione cauſæ materialis. Omnis enim diſpoſitio ad formam reducitur ad cauſam materialem: denudatio autem materiæ à forma contraria eſt quædam diſpoſitio ad formæ ſuſceptionem. Subjectum etiam, id eſt, materia, vt dicitur in primo Phyſic. numerabilis eſt. Numeratur enim ſecundùm rationẽ, in quantum in eo præter ſubjecti ſubſtantiam inuenitur priuatio, quæ ſe tenet ex parte materiæ & ſubjecti. Sed in ratione cauſæ formalis eſt prior naturaliter introductio formæ, quæ formaliter perficit ſubjectum, & expellit contrarium. Et quia forma, & finis in idem numero incidunt; forma verò & efficiens in idem ſpecie, in quantum forma eſt ſimilitudo agentis, ideo formæ introductio eſt prior naturaliter ſecundùm ordinem cauſæ efficientis & finalis; Et ex hoc patet ſecundùm prædicta, quòd ordine naturæ ſit ſimpliciter prior.* Hęc S. Doctor.

Quis ſit ordo inter cauſas diuerſi generis.

Varia corollaria.

4. Ex quibus conſtat, non ſolùm quòd cauſæ diuerſi generis ſunt ſibi inuicem cauſæ, & quoad cauſalitatem, & etiam aliquæ qnoad entitatem, quòdque idem reſpectu eiuſdem eſt prius & poſterius, ſaltem in diuerſo ordine, diuerſoque prioritatis & poſterioritatis genere, vt oſtendimus ſupra capite 11. ſed inſuper quoad eundem effectum naturalem ordine generationis & potentiæ, materia primò concurrit, deinde forma, poſt efficiens, vltimò finis; hoc eſt, eadem entitas formæ, vt eſt finis generationis, & terminus actionis

totius;

agentis, contra verò ordine actus & perfectionis primò concurrit forma vt finis; deinde Agens: poſt eadem forma, vt informans materiam, & pars formalior totius; vltimò materia, quæ per formã perficitur. Cõſtat præterea, quòd finis in ratione cauſandi eſt, & dicitur ſimpliciter prior, quia eſt cauſa cauſarum, & in ratione cauſandi eſt prima, licet in ratione effectus ſit vltima, quando nimirum eſt quid producibile ab ipſa cauſa efficiente, quam mouet ad agendum.

5. IAM verò, ſi quæſtio ſit de cauſis ejuſdem generis ad eundem effectum concurrentibus, vt de pluribus efficientibus, ordo cauſalitatis inter eas interdum nullus eſt, nullaque ſubordinatio in agendo, vt cùm eundem currum plures equi trahunt, idem pondus ferunt ſimul plures homines, aut idem lignum plures ignes comburunt. Sunt enim tunc ejuſdem effectus plures cauſæ partiales, ejuſdem & generis, & ordinis: interdum verò inter eas verus eſt ordo & ſubordinatio quædam, ratione cujus, vna prior, & ſuperior, alia poſterior, & inferior dicitur; Idque duobus modis, ſcilicet, in prædicando, & communitate, ſuperioritate ac prioritate rationis; quo modo artifex ſtatuario, ſtatuarius Polycleto prior dicitur: Deinde etiam in agendo, & eo ordine reali, quo cauſa prior & ſuperior dicitur, cujus cauſalitas ad plura ſe extendit, & ſine qua alia, quæ inferior dicitur, agere nequit: ita in homine ſubordinantur habitus potentijs, & hæ ipſi animæ ad intelligendum & volendum; & appetitui ſpiritus, qui ſunt in corpore, his nerui, aut muſculi ad motum membrorum: ita in Vniuerſo corpora ſublunaria cœleſtibus; hæc Intelligentijs, & hæ Deo primo & ſupremo rerum omnium agenti, & opifici in agendo ſubſunt.

Cauſæ eiuſdẽ generis dupliciter ſubordinantur.

Ordine rationis.

Et ordine reali.

6. VTRVMQVE illum ordinem cauſarum ejuſdem ordinis docet Philoſophus lib. 2. Phyſic. text. 32. vbi cauſarum modos referens, hos primo loco enumerat, quòd cauſarum per ſe, & ejuſdem generis alia ſit prior, alia ſit poſterior: eam priorem appellans, quæ communior & vniuerſalior eſt, quæque ambitus amplitudine aliam, quæ poſterior dicitur, quòd ſit magis contracta & limitata, continet. *Dicuntur*, inquit, *cauſæ multipliciter: & ipſarum, quæ ſimilium ſpecierum ſunt, prior, & poſterior alia aliâ, vt ſanitate medicus, & ar-*

Ariſtoteles vtrumque indicat ordinem cauſarum.

Digitized by Google

tifex, & ipſo diapaſon duplum, & numerus, & ſemper quæ continent ad ſingulares.

D. Thomas. IN quem locum notat S. Thomas, cauſam dici priorem & communiorem, non ſolùm quæ communior eſt communitate prædicationis, vt artifex reſpectu medici, ſed etiam quæ communior eſt communitate cauſalitatis, id eſt, cujus virtus amplior eſt, & ad plura ſe extendit: quomodo ſol eſt cauſa communior, atque adeo prior arbore fructificante, & arbor cauſa poſterior eorundem fructuum.

7. IN hoc autem ordine cauſarum, cùm vna ſit prima nempe Deus, quem propterea Philoſophi *primum mouens, primumque agens* nominant; & hæc cauſa prima dicatur ab omnibus priùs naturâ agere, quàm vlla cauſa ſecunda, quomodo hoc intelligendum ſit exponemus poſtea. Magni enim refert id rectè intelligere ad grauiſſimas in Theologia, & Philoſophia controuerſias componendas. Nam mihi nullo vnquam modo probari potuit, quod quidam dicunt, concurſum noſtrum ratione priorem eſſe diuino, quatenus Deus non ſe applicaret ad coefficiendam nobiſcum actionem liberam, niſi voluntas obijceretur operabunda, & priùs ratione agnoſceretur à ſe determinari. Voluntas enim noſtra ſiue operabunda, ſiue actu operans, nullo prorſus prioritatis genere, Dei vel decreto, vel concurſu prior eſt. Neque ex eo quòd Deus ſe applicet ad operandum cum ea vnquam inferri poteſt, noſtræ voluntatis concurſum priorem eſſe diuino. Quemadmodum ex eo quòd anima ſe applicet cum viſu ad viſionẽ, cum manu ad ſcriptionẽ, cum penicillo ad picturam, nemo rectè inferat viſum, manum, & penicillum priùs ratione agere, quàm ipſa anima.

Concurſus noſtra voluntatis nullo modo prior eſt diuino.

Similitudine oſtenditur.

8. DEINDE falſum eſt voluntatem à ſe priùs determinari, idque Deum priùs cognoſcere, quàm cum illa velit concurrere. Voluntatem enim determinare ſe aliud nihil eſt, quàm ex ſeipſa agere, huncque ſingularem & numericum actum, & non alium producere: hoc autem nec explicitè, nec implicitè dicit, voluntatis concurſum ratione priorem eſſe diuino.

PRÆTEREA verum non eſt, quod refertur ex Gregorio ib. 2. diſt. 34. quæſt. vnica art. 3. *Deum ſequi determinationem*

Digitized by Google

voluntatis, quoniam ideo Deus agit, quia voluntas agit. Contrarium enim potius dicendum, & inferendum eſt, cùm voluntas in agendo Deo eſſentialiter ſubordinetur. Denique ſi cauſa prior ea eſt, quæ, vt ait Ocham in primo diſt. 42. quæſt. vnica littera F. principalior, illimitatior, & perfectior eſt, in nullo prorſus genere, voluntas, ſiue vlla alia cauſa ſecunda in agendo ratione, vel naturâ prior eſſe poteſt causâ primâ cum ea concurrente.

Quod Deus agat cum cauſis ſecundis.

CAPVT LVI.

1. SVPPONO res creatas, & ſubſtantias naturales vnà cum ſuis potentijs, & viribus naturalibus, & per eas verè agere. Quod experientiâ & ratione manifeſtum eſt. Experientiâ quidem. Quis enim non videt ſolem illuminare; non ſentit ignem calefacere; ſe videre, currere, ſcribere, aliaſque operationes facere? Ratione item patet, quia vnumquodque eſt propter operationem ſuam propriam, tanquam propter perfectionẽ ſuam, finemque vltimum, vt viſus propter viſionem, intellectus propter intellectionem. Deinde res omnes naturâ otioſas eſſe, etiam ipſum hominem per ſe abſurdiſſimum eſt. Vt enim ait Philoſophus lib. 1. Ethic. cap. 7. *vtrum fabri & ſutoris opera ſunt aliqua, & actiones: hominis verò opus eſt nullum, ſed naturâ homo otioſus eſt? An quemadmodum oculi, pedis, manus, & denique vniuſcujuſque membri opus quoddam extat, ſic etiam hominis, præter omnia hac, opus quoddam ſtatuere aliquis poſſet?*

Res creatæ ſunt actiuæ & de facto agunt.

Ratione probatur.

2. PRÆTEREA ſi homo v. g. nihil ageret, nihil boni, vel mali faceret, nullũ bene, aut malè factũ ei imputari poſſet: nullâ laude aut vituperio, nullâ pœnâ, & præmio dignus eſſet. Denique ſi res naturales nihil agerent, ſed omnia fierent vel ab Ideis ſeparatis, vt putauit Plato, vel ab Intelligentia quadam, vt ſenſit Auicenna de productione formarum ſubſtantialium, vel à ſolo Deo, vt putauit Alpharabius: nihil cauſæ

Digitized by Google

eſſet cur ligno, ad producendum ignem, ignis applicaretur potiùs, quàm aqua. Deus enim ad præſentiam lapidis, vel aquæ, ignem è ligno æquè, & tam facilè excitare poſſet, atque ad præſentiam alterius ignis. Igitur dedit Deus rebus omnibus vt eſſentiam & naturam, ſic etiam virtutes & potentias naturales ad agendum, eiſque contulit, vt ait S. Thomas, nobilitatem agendi, & communicandi alijs eſſe, ad majorem cum eo ſimilitudinem. Hoc ſuppoſito.

DICO primò, Deum agere & concurrere cum cauſis ſecundis agentibus, earumque effectus cũ eis producere. Probatur primò ex ijs omnibus Scripturæ locis, quibus rerum omniũ effectio, & effectuum, qui in natura ſunt, productio disertè Deo aſcribitur. Vt Ioan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt*; ad Rom. 12. *ex ipſo, per ipſum, & cum ipſo ſunt omnia*; ad Epheſ. 1. *operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Actorum 17. *Deus*, inquit Paulus, *qui fecit Mundum, & omnia, quæ in eo ſunt, cùm ipſe det omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia*, & paulò poſt, *in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus.* Iſaiæ 26. *omnia opera noſtra operatus es in nobis* (vel vt alij legunt) *nobis Domine.* Ioannis 5. *ſine me nihil poteſtis facere*; plenaque eſt Scriptura ſacra verbis, & ſententijs, quibus ſingularum rerum, & actionum naturalium effectio Deo tribuitur, vt Iob 10. *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu*; *Sicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti* &c. Pſal. 103. *producens fœnum jumentis, & herbam ſeruituti hominum.* Et Pſal. 146. *qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam, qui producit in montibus fœnum.* Pſal. 147. *Qui dat niuem ſicut lanã, nebulam ſicut cinerem ſpargit: mittit criſtallum ſuam ſicut buccellas*, & alia plurima, quæ Dei in res omnes, earumque actiones & effectus influxum disertè pronunciant. *Abundantiùs* inquit Paulus 1. ad Corinthios 15. *illis omnibus laboraui. Non egò autem, ſed gratia Dei mecum.* ad Rom. 15. *Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus in obedientiam gentium, verbis, & factis.*

Probatur teſtimonijs Scripturæ.

2. Argum. 3. PROBATVR ſecundò, quia Deus naturâ ſuâ maximè actiuus eſt, cùm ſit actus perfectiſſimus. Vnumquodque enim agit inquantum eſt actu, idemque entitati tam ipſius cauſæ

quàm effectus ejuſdem præſentiſſimus eſt, & maximè intimus, nihilque obſtat, quo minus agat. Igitur eum omnipotentem, & naturâ ſuâ maximè liberalem & actiuum, ac etiam rebus omnibus intimè præſentem, illis vbique, & perpetuò agentibus, nihil eorum, quæ faciunt, cum eis, & per eas efficere; ſed ceſſare, feriari, & earum agentium otioſum ſpectatorem eſſe, non ſolùm à Scripturis paulò ante citatis, alijſque plurimis omiſſis, ſed etiam à ratione, ſenſuque communi prorſus alienum eſt.

PROBATVR tertiò. Nulla cauſa efficiens alteri in agendo per ſe, & eſſentialiter ſubordinata quidquam efficere poteſt, ſine actuali influxu ſubordinantis in ejus effectum. Aliter enim in agendo illi alteri ſubordinata non eſſet eſſentialiter, cùm ad ſubordinationem in agendo, præſertim eſſentialem, non ſufficiat, eam, quæ ſubordinata eſt à ſubordinante ſuam eſſentiam & virtutem aliquando accepiſſe; alioqui grauia & leuia generanti, à quo ſuam grauitatem, & leuitatem accepêre, & filius patri eſſentialiter in generando ſubordinari diceretur. At cauſæ omnes ſecundæ eſſentialiter ſubordinatæ ſunt primæ, non ſolùm ratione ſuæ entitatis ac virtutis, ſed etiam ratione ſuæ actionis. 3. *Argum.*

4. QVARTVM argumentum, Vt ſe habent potentiæ & virtutes naturales cùm agunt, ad formam & ſubſtantiam, cui inſunt, & inſtrumenta artis, ad artificem: ſic res omnes naturales, omneſque cauſæ ſecundæ, cùm aliquid efficiunt, ſe habent ad cauſam primam: tum quia ab ea magis pendent, & in eſſendo, & in agendo, quàm virutes naturales à formis ſubſtantialibus: tum quia hâc comparatione non rarò vtitur Scriptura, vt Act. 10. *Vas* (id eſt inſtrumentum) *electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coram Regibus, Gentibus, & Populis.* Et Iſaiæ 10. *Aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe eſt*, & ibidem paulò poſt, *Nunquid gloriabitur ſecuris contra eum, qui ferit in ea? aut exaltabitur ſerra contra eum, qui ſecat in ea?* 4. *Argum.*

AT potentiæ & virtutes agentium naturalium ſic agunt, vt in earum effectus formæ ſubſtantiales verè, ac etiam immediatè influant: tum quia, vt patet, ipſæ potentiæ animæ ſine ea nihil operari poſſunt: tum quia propterea earum

Digitized by Google

actiones debilitantur, cùm anima ſimul per plures potentias agit, quòd eadem anima pluribus ſimul potentijs in agendo cooperetur. Pluribus enim intentus minor eſt ad ſingula ſenſus: tum ex eo quòd eadem virtus naturalis pro diuerſitate formarum ſubſtantialium, quæ eâ vtuntur, diuerſos effectus producit, vt patet in calore, qui in igne aliud, quàm in arbore facit, aliud in ventre bouis, quàm equi, aut hominis, & ſic de alijs.

Pari modo etiam inſtrumenta artium, & varia opera producunt à varijs artificibus adhibita, & non agunt niſi agente ipſo artifice cum eis, & ipſa mouente: igitur agentia omnia creata nihil, niſi Deo cum illis coagente, efficiunt. Imò & res omnes ſublunares, elementa, & mixta omnia ſine cœlorum, & corporum cœleſtium actuali influxu nil agere poſſunt, vt probat D. Thom. quæſt. 5. de potentia art. 8. Igitur cùm agentia creata in agendo à Deo per ſe eſſentialiter, proindeque magis pendeant, quàm corpora ſublunaria à cœlis, potentiæ ab anima, & ab arte inſtrumenta; multò magis indigent actuali Dei influxu & cooperatione.

Deus ſuo cõcurſu attingit entitatẽ effectuum.

5. Dico ſecundò, Deum concurrere cum cauſis ſecundis non eo ſolùm nomine, quòd naturam, quam habent, & virtutem agendi quâ agunt, eis tribuat, & conſeruet, & etiam applicet ad agendum; ſed præterea quòd cùm ipſis influat & attingat entitatem effectus illarum.

Ratio eſt, quia aliud eſt Deum cauſis ſecundis dare eſſe, & vim agendi, illamque conſeruare, vel etiã applicare ad agendum, aliud cum eis agere: cùm vnum ſine altero eſſe poſſit; fiatque aliquando, vt Deus & cauſam, & ejus virtutem conſeruet, aut etiam applicet ſubjecto ad ejus actionem recipiendam idoneo, nulla tamen ſequatur actio, nullus Dei concurſus, Deo hunc ſuſpendente: vt in igne fornacis Babylonicæ: vel etiam naturaliter, ſubjecto reſiſtente, ita corpus opacum reſiſtit lumen immittenti. Igitur concurſus Dei cum cauſis ſecundis, præter prædicta omnia, dicit aliquid aliud, influxum ſcilicet, in ipſam entitatem effectus cauſæ ſecundæ, ſeu cum illa actu eſſe principium, vnde eſt ipſa entitas effectus vtriuſque.

Dico tertiò, Deum concurrere cum cauſis ſecundis, non

ſolùm quòd eas agendo ſocias habeat, & cum eis effectum attingat, ſed etiam quòd per eas illum attingat, eaſque in agendo ſibi ſubordinatas habeat.

RATIO eſt, quia alio modo Deus cum cauſis ſecundis ſibi eſſentialiter ſubordinatis concurrit ad eundem effectum, quàm cauſæ partiales non ſubordinatæ, ſed ejuſdem ordinis, & quaſi ex æquo ad eundem effectum concurrentes, vt plures equi eundem currum trahentes, plures homines idem pondus ferentes : hic autem modus diuerſus alius non eſt, quàm quòd Deus non ſolùm cum cauſis ſecundis, ſed etiam per illas, earumque vim agendi attingat, & producat earum effectus. Deinde Deus cum cauſis ſecundis agit hoc ſaltem modo, quo formæ & ſubſtantiæ naturales concurrunt cum ſuis potentijs, & virtutibus naturalibus ad agendum, vt forma ignis cum ſuo calore ad alium producendum, & quo cauſæ primariæ concurrunt cum ſuis inſtrumentis ad agendum, vt ſcriba cum calamo, & faber lignarius cum ſecuri. Cauſæ enim ſecundæ reſpectu Dei, ſunt veluti ejus inſtrumenta ei eſſentialiter ſubordinata etiam in agendo, à quo multò magis pendent, quàm omnia inſtrumenta, omneſque virtutes naturales à ſuis cauſis primarijs : Hæ autem non ſolùm cum, ſed etiam per ſua inſtrumenta, virtuteſque naturales agunt, producuntque ſuos effectus. Igitur.

Deus agit per cauſas ſecundas.

Deum concurrere immediatè cum cauſis ſecundis tam liberè, quàm neceſſariò agentibus.

CAPVT LVII.

Durandus.

1. SENTENTIÆ Durandi 1. Sent. diſt. 1. quæſt. 5. & diſt. 37. quæſt. 1. realem & immediatum Dei concurſum ad omnes agentium naturalium actiones, & præſertim ad liberas tam Angelorũ, quàm hominum, tam bonas, quàm prauas, negantis, ab alijs Theologis merito rejectæ, & exploſæ patrocinium non paucis ab hinc annis ſuſcepit Ludouicus à Dola, tanto, tamque

Ludouicus à Dola.

acri ſtudio, & ardore animi, vt pro ea librum integrum in lucem ediderit, in quo omnibus ingenij neruis, totiſque doctrinæ ſuæ viribus contendit, non modo eam eſſe veriſſimã, & viam vnicam ad ſedandas magnas in Theologia controuerſias: ſed etiam contrariam eſſe falſiſſimam, ſæpius dictitans, & identidem repetens, hanc, tametſi ab omnibus ferè Theologis vulgò receptam, nihilominus reuocandam, corrigendam, & reformandam eſſe, vt pote ab Eccleſia in Concilio Tridentino clarè, & expreſſè ſub anathemate damnatam, & Deo injurioſam, quòd eum & peccati authorem, & libertatis tam humanæ, quàm Angelicæ oppreſſorem faciat.

VERVM quantùm opinione fallatur quàmque vera, & fidei Catholicæ proxima ſit Theologorum tam veterum, quàm Recentiorum ſententia, Deum Phyſicè, realiter, proximè, & immediatè, imò intimè ad omnes creaturarum effectus, motus, & actiones etiam liberas, tam bonas, quàm prauas Angelorum, & hominum, concurrere, oſtendetur, vbi duo prænotata fuerint.

Quo ſenſu Deus agat mediate.

PRIMVM Deum cum cauſis ſecundis concurrentem ad earum effectus, hoc ſenſu dici poſſe mediatè agere, quòd illos effectus producat non ſe ſolo, ſed adhibitis ipſis cauſis ſecundis: non ſecus ac anima ſuos actus per potentias, & habitus, & ignis alium ignem per intermedium ſuum calorem mediatè agere dicuntur. Vnde etiam communi ſermone, quas res Deus ſe ſolo producit, vel conſeruat, has immediatè producere, & conſeruare dicitur: quas verò per adhibitas alias cauſas ſocias efficit, his mediantibus illas producere dicitur.

Duobus modis aliquid agit mediatè.

VERVM cùm duobus modis dici poſſit aliquid mediatè agere. Primo *per ſe*, quando illud, quod medium dicitur, ſimul etiam, verè & realiter in effectum influit, vt ante dictum eſt: ita ſol mediatè cum arbore fructum producit, manus per calamum characteres, pictor penicillo formam mediatè pingit. Secundò *per accidens*, idque duobus modis. Primò nihil prorſus efficiendo in ipſum agens intermedium, cùm actu agit, ſed ſolùm quòd ipſum aliquando produxit; ita grauia & leuia à generante mediatè moueri dicuntur; ita auus nepotis, & Abraham Iacobi cauſa mediata per accidens dicitur, quòd genuerit Iſaac, à quo Iacob per ſe genitus eſt.

Nihil

Nihil enim generans in grauia, & leuia, cùm mouentur, influit, nec Abraham in Iſaac cùm genuit Iacob. Secundò conſeruando ſolùm ſubſtantiam, aut virtutem actiuam, vel vtramque agentis immediati, cùm actu agit, & aliquid producit. Quo ſecundo volunt prædicti authores Deum agere mediatè cum cauſis ſecundis.

NOTANDVM ſecundò, ex communi Philoſophorum doctrina, immediationem eſſe duplicem. Vnam *ſuppoſiti*, alterā *virtutis*. Immediatio ſuppoſiti eſt, quando inter agens,& ſuum effectum nullum eſt corpus intermedium, quod faciat diſtare vnum ab alio, vt ignis tangens lignum in quod agit. Immediatio autem virtutis dupliciter accipitur, vt notat Ferrarienſis lib. 3, contra Gentes cap. 70. vel *ex parte effectus*, cùm ſcilicet virtus actiua agentis immediata eſt, & in ordine cauſarum, inferior, vltima, & proxima effectui, vt inter calorem ignis agentis & lignum ab eò calefactum; vel *ex parte cauſæ ſupremæ* quâ in ordine cauſarum nulla prior & ſuperior eſt; eo modo, quo in propoſitionibus illa immediata dicitur, quæ nullâ aliâ priore probatur. *Actio enim*, inquit S. Thom. loco citato, *Non ſolùm eſt ab agente per virtutem propriam, ſed per virtutem omnium ſuperiorum agentium. Agit enim in virtute omnium. Et ſicut agens infimum inuenitur immediatum actiuum, ita virtus primi agentis inuenitur immediata ad producendum effectum. Nam virtus infimi agentis non habet quòd producat effectum ex ſe, ſed ex virtute ſuperioris; & ſic virtus ſupremi agentis inuenitur ex ſe productiua effectus, quaſi cauſa immediata; ſicut patet in principijs demonſtrationum, quorum primum eſt immediatum. Sicut igitur non eſt inconueniens, quòd vna actio producatur ex aliquo agente, & ejus virtute: ita non eſt inconueniens quòd producatur idem effectus ab inferiori agente, & à Deo, ab vtroque immediatè licet alio, & alio modo.* Et quæſt. 3. de Potentia art. 7. ad 4. *Tam Deus, quàm natura immediatè operantur, licet ordinentur ſecundùm prius & poſterius.*

Immediatio ſuppoſiti quid ſit.

Immediatio virtutis ſumitur dupliciter.

S. Thomas.

DEVS igitur concurrens cum cauſis ſecundis agit immediatè, & *immediatione ſuppoſiti*, cùm ſit vbique, & à nullo effectu diſtet, imò intimè præſens ſit vnicuique, & *immediatione virtutis* ſecundo modo accepta, quia, cùm ſit prima & ſuprema cauſa, ejus virtus actiua à nullâ alia ſuperiore pen-

Digitized by Google

det; ſed contra omnes omnium cauſarum inferiorum virtutes ab ea pendent, aguntque in virtute cauſæ primæ, cùm ſine ea nihil efficere poſſint, quod his prænotatis.

1. *Argum.* PROBATVR primò ijs omnibus ſacræ Scripturæ locis, quibus Capite præcedenti vſi ſumus, ad oſtendendum Deum agere cum cauſis ſecundis; tum innumeris alijs, quæ breuitatis causâ, & quod vbique paſſim in ea occurrant, omittimus; quæ rerum creatarum actiones, tam naturales, quàm morales ita Deo tribuunt, vt ab eo pene ſolo manare videantur. Vt 1. ad Cor. 3. *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Et cap. 15. *abundantiùs omnibus laboraui; non ego, ſed gratia Dei mecum.*

Reſponſio Aduerſarij. AD hæc teſtimonia reſpondet Ludouicus à Dola, ea intelligenda eſſe de remota, mediata, & permiſſiua tantùm Dei actione, quæ Deo ſolùm tribuitur, quatenus cauſæ ſecundæ, quæ ſolæ proximè, & immediatè agunt, earumque virtus à Deo ſolo, & immediatè productæ ſunt, & conſeruantur, cùm actu agunt.

Reÿcitur. QVÆ reſponſio dura, & Scripturæ verbis nimis violenta videtur, eademque eſt veritati non immediata, ſed ab ea remotiſſima, vt pote inter quam, & rei veritatem, falſitatis chaos, ac medium valde magnum ſit interjectum. Nam ſacræ Scripturæ verba in vi ac ſignificatione propria ſumenda ſunt, cum nihil continent, quod fidei ac pietati repugnet: remotè autem, mediatè, & permiſſiuè tantùm aliquid facere, non eſt id verè, & propriè efficere. Coquus enim ligna igni, & ignem ollæ apponens, & infusâ in hanc aquâ carnes immittens, non niſi valdè impropriè eas calefacere, & coquere dicitur.

DEINDE quonam ex Sanctis Patribus, & Scripturæ Interpretibus authore ſuam illam mediatam, & permiſſiuam tantùm Dei actionem colligit? Si enim ei ſic Scripturam exponere licet, eodem jure, parique licentiâ quilibet cœli ac terræ, omniumque rerum, ac Mundi vniuerſi productionem, & conſeruationem Deo, non niſi remotè, mediatè, & permiſſiuè tribuet. Quo enim argumento reuincet dicentem Mundum vniuerſum ab vno ex Angelis, aut Seraphinis proximè, & immediatè factũ, à Deo verò non niſi remotè, media-

tè & permiſſiuè.

3. SECVNDÒ probari poteſt eadem veritas ijs omnibus argumentis, & tam Scripturæ, quàm Conciliorum, Sanctorumque PP. teſtimonijs, quibus Pelagiana hæreſis jugulatur, & oſtenditur nos ad quodlibet opus bonum indigere gratiâ Dei, ejuſque adjutorio. Per illam enim gratiam, illudque Dei auxilium maximè intelligi debet actualis, & immediatus Dei concurſus nobiſcum ad bona illa opera. Neque enim ſola Fides, Spes, Charitas, aliarumque virtutum habitus ad ea ſufficiunt, cùm ijs præſentibus, & in anima exiſtentibus homo plerumque peccet, omittatque bene agere. Neque etiam per illam gratiam intelligi debet ſola excitans, ſiue externa, ſiue interna, vt ſunt primi, & indeliberati Dei motus, & illuſtrationes, quibus ad bene agendum prouocamur: tum eadem de cauſa quòd permultis ſæpe immittantur ejuſmodi ſubiti motus, & illuſtrationes, qui eis non conſentiunt, nec propterea bene operantur: Tum quia indigemus Dei gratiâ & auxilio actuali, non ſolùm ad inchoandum bonum aliquod opus, & ad excitandum conſenſum voluntatis: ſed etiam ad bonum opus inchoatum continuè producendum; in qua continuatione ceſſant primi illi, & indeliberati motus intellectus & voluntatis, vel ſi manent, ſunt tunc liberi. Igitur per gratiam illam, & auxilium Dei ad omne opus bonum nobis neceſſarium, maximè intelligendus eſt ipſe actualis, & immediatus Dei concurſus nobiſcum ad opus bonum, quod facimus. 2. *Argum.*

4. HANC autem diuini auxilij, & gratiæ neceſſitatem ex neceſſitate orationis, quâ ejuſmodi Dei auxilium petimus, ex gratiarum actione pro bonis cogitationibus, ſanctis deſiderijs, & pijs affectibus à Deo nobis immiſſis, & pro bonis operibus, quæ perfecimus, nec-non ex innumeris Scripturæ teſtimonijs oſtendunt SS. PP. & Doctores Catholici contra Pelagium diſputantes, quæ breuitatis cauſa omitto, vno, aut altero contentus Auguſtini, & Hieronymi teſtimonio. Auguſtinus enim lib. de Spiritu & litt. cap. 24. ita loquitur. *Etſi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipſe facit, vt illi faciant, quæ præcepit; non illi faciunt, vt ipſe faciat quæ promiſit.* *Auguſtinus.*

Digitized by Google

Hieronymus HIERONYMVS Epiſt. ad Cteſiphontem. *Ipſum liberum, vt diximus, arbitrium Dei innititur auxilio, illiuſque per ſingula ope indiget, quod vos non vultis; ſed id vultis, vt qui ſemel habet liberum arbitrium, Deo adjutore non egeat.* Idem eâdem Epiſt. *Putas deſtrui arbitrij libertatem, ſi ex illius pendeas voluntate, & dicas, ex Pſal. 24. Oculi mei ſemper ad Dominum quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos. Vnde & audes linguâ proferre temerariâ, vnumquemque arbitrio ſuo regi. Et ſi ſuo arbitrio regitur, vbi eſt auxilium Dei? Si Chriſto rectore non indiget, quomodò ſcribit Hierem. Non eſt in homine via ejus, & à Domino greſſus hominis diriguntur?* Et lib. 1. Dial. aduerſus Pelag. *Non ſic donata eſt liberi arbitrij gratia, vt Dei per ſingula tollatur adminiculum*; Et mox: *Scilicet nunc mihi Scripturarum teſtimonia replicanda ſunt, quomodo per ſingula Dei à Sanctis flagitetur auxilium, & in ſingulis operibus ſuis illo adjutore, & protectore vti deſiderent. Lege totum Pſalterium, omnes Sanctorum voces: nihil erit, niſi ad Deum in cunctis deprecatio.*

3. Argum. TERTIVM argumentum eſt. Si Deus agit cum cauſis ſecundis, earumque effectus ſimul cum eis operatur, neceſſe eſt, vt agat immediatè. Conſequentia probatur: quia ſi ignis v. g. in lignum, quod tangit, agit immediatè immediatione, tam ſuppoſiti, quàm virtutis, multò adhuc immediatiùs ageret, ſi tota ejus virtus & ſubſtantia omnibus, & ſingulis ligni partibus penetratiuè præſens eſſet. Igitur cùm Dei & ſubſtantia, & omnipotentia, virtuſque actiua rebus omnibus intimè præſens ſit, non niſi immediatè immediatione tam ſuppoſiti, quàm virtutis cum cauſis ſecundis earum effectus producere poteſt.

6. QVOD autem hîc fallit aduerſarium eſt, quòd putet Deum non agere per ſe, & immediatè, niſi cùm ſolus agit, & aliquid efficit: ſed longè alius eſt conceptus agentis ſolius, à conceptu agentis immediatè. Agens enim ſolum omnis alterius agentis ſocietatem excludit: immediatum verò hoc non dicit, ſed tantùm negationem medij, & diſtantiæ, tam ſuppoſiti, quàm virtutis, ab effectu, & ſubjecto patiente, in quod agit: Vnde anima per ſuas potentias, & habitus in eis exiſtentes proximè, & immediatè, nec tamen ſola ſuos actus

efficit, producitque: & ſi duæ candelæ penetratiuè ſimul exiſtentes idem lumen in vicinum corpus producerent, quælibet immediatè, & proximè, nec tamen ſola illud produceret. Igitur Deus non ſolùm quando ſolus, ſed etiam quando cum cauſis ſecundis aliquid efficit, id per ſe proximè, & immediatè producit.

7. QVARTVM argumentum eſt. Contingit aliquando ex ſecunda cauſâ, ejuſque virtute actiua paſſiuo bene diſpoſito applicata, nullam ſequi actionem, vt accidit in igne fornacis Babylonicæ ardentiſſimo, à quo Iudæi pueri in eam injecti nihil prorſus læſi ſunt: hoc autem aliter factum eſſe probabiliter dici non poteſt, niſi Deo ſuâ vim, ſuumque concurſum immediatum cohibente, & nolente cum igne agere. Quod enim ait, Aduerſarius part. 4. cap. 19. num. 7. id factum eſſe per qualitatem quandam igni impreſſam ſtupefactiuam, ac hebetatiuam caloris ignis, nihil habet rationis, ac veri ſimilitudinis. Ejuſmodi enim qualitas feciſſet, vt ignis in ligna fornaci injecta, & in homines, qui juxta eam combuſti ſunt, nihil ageret. 4. *Argum*

8. QVINTVM argumentum. Si ad actus noſtros liberos Deus immediatè non concurrit, vel quia eos ſingulos, & in particulari diſtinctè non nouit, vel quia non vult, aut non poteſt, aut aliqua alia de cauſa. Non *primum. Deo enim nuda & aperta ſunt omnia* ad Heb. 4. Nec *ſecundum*. Cur enim hoc nolit, cùm rationem boni & perfecti habeat? immediatè enim agere, vel actiuum eſſe ſiue ſe ſolo, ſiue cum alio, perfectio eſt ſimpliciter ſimplex, meliorque eſt ipſa, quàm non ipſa. Non *tertium*. Alioquin Deus non eſt omnipotens, ſi quid eſt in rerum natura ab aliqua cauſa factibile, quod ipſe, ſe ſolo, vel cum ea efficere non poſſit. Nec denique *quartum*. Quæ enim ab aduerſarijs afferuntur cauſæ, nullas prorſus eſſe, poſtea oſtendetur. 5. *Argum.*

9. SEXTVM argumentum eſt S. Thomæ in 2. diſt. 37. quæſt. 1. art. 2. ad 5. & quæſt. 2. ad 2. vbi docet, quòd ſi quæ cauſa ſecunda ſiue libera, ſiue neceſſaria ederet ſuam operationem ſine influxu, & concurſu cauſæ primæ ad eandem, eſſet prima cauſa, & in agendo independens ab altiori cauſâ, quod eſt contra dignitatem, & perfectionem primi 6. *Argum.*

Digitized by Google

entis, & primi principij. *De ratione*, enim inquit, *primi principij eſt, vt agere poßit ſine auxilio prioris agentis, & influentia ejus. Vnde ſi voluntas humana actionem aliquam poſſet producere; cujus author Deus non eſſet, voluntas humana rationem primi principij haberet.* Et paulò poſt. *Si actiones peccati à Deo non ſunt; aliquod ens eſſentiam habens à Deo non eſſet, & ita Deus nõ eſſet vniuerſalis cauſa omnium entium, quod eſt contra perfectionem primi entis: & ideo actus, vt actus eſt, à Deo eſt, & vt ſic non habet aliquid, quod deformitatem habeat.*

7. *Argum.* 10. SEPTIMVM argumentũ ducitur ex ſupremo, & altiſſimo, quod Deus habet in res omnes dominio, quo quemadmodum ſe abdicare non poteſt, etiam cùm homini dominium tribuit, & poteſtatem in alios homines, & alias creaturas: ita licet vim agendi, & dignitatem communicandi eſſe cauſis ſecundis conceſſerit; cum illis tamen agentibus nihil non efficere poteſt. Quæ comparatio, ad confirmandũ actualem & immediatum Dei in res omnes influxum, eò potentior eſt, quòd ſupremum illud in res omnes dominium Scriptura Deo tribuat ob earum creationem, vt Pſal. 37. *Tui ſunt cœli, tua eſt terra, orbem terræ, & plenitudinem ejus tu fundaſti*, & Pſal. 94. *Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud, & aridam fundauerunt manus ejus*, rationem reddens, quare ſit dominus maris ac terræ. Et meritò, cùm rei alicujus poſſidendæ titulus nullus juſtior, & nullum jus in quiduis æquius ſit, quàm ejus effectorem eſſe. Qui enim calceum, qui cultrum, qui ſtatuam effecit, idem omni jure, omniumque conſenſu legitimus ejus Dominus eſt. Supremum igitur, & altiſſimum Dei in res omnes dominium ex eo maximè fluit capite, quòd vſque ad earum, vt cum Auguſtino 1. Confeſſ. cap. 6. loquar, *fundum*, id eſt vltimum, & imum eſſentiæ cujuſque gradum earum, & creator, & effector ſit. Hoc igitur jure actionum noſtrarum Dominus erit, quòd earum cauſa ſit. Nam ſi nihil in eas influeret verè, & propriè, earum Dominus non eſſet.

11. Ex quo intelligitur, quantùm communis hæc, & noſtra de immediato Dei in noſtras actiones influxu ſententia pietati ſeruiat, quantum valeat ad ingenerandam in noſtris animis, & alendam noſtram erga Deum, reuerentiam, & gra-

Digitized by Google

titudinem, quantumque Dei potentiam & beneficentiam erga nos commendet. Ideoque valde inconſideratè, ne dicam iniuriosè prædictus Author part. 4. ſui lib. cap. 19. num. 5. nos, id eſt, Theologos ferè omnes, qui immediatam illam Dei in res omnes efficientiam defendimus, *fatuos Dei adulatores* appellat, noſque dicit *falſas, & mendaces Deo laudes* tribuere. Videat ipſe, ne ſuâ illâ doctrinâ orandi ſtudium, & debitum Deo honorem, omnemque gratitudinis erga Deum ſenſum in hominum animis extinguat, eoſque doceat diuinæ gratiæ ingratos eſſe. Nam dicere, Deum mediatè tantùm agere, & hoc ſolùm nomine, quòd & nobis, & rebus alijs dedit, & conſeruat agendi virtutem, quæ ſe ſola actionis noſtræ ſubſtantiam procreet, Deo nihil in eam influente, eſt non ſemi, & ex parte ſed totum Pelagianum eſſe, cùm id ſit omnium actionum, & operationum noſtrarum non ſolùm initium ſed & medium, & finem, vno verbo, totam ſubſtantiam ſoli creaturæ attribuere.

12. PORRO ad hanc de immediato Dei concurſu veritatem defendendam, nihil intereſt, an is re idem ſit cum concurſu cauſæ ſecundæ, & cum ipſo effectu, qui producitur (quod verum eſſe putamus) vel an ab vtroque diſtinctus re aut modaliter, vt nonnulli volunt; proindeque nihil eſt, quòd prædictus author tam ſæpe inſonet, & inculcet immediatum, & realiter identificatum Dei concurſum actionum noſtrarum libertatem deſtruere. Nihil enim ſiue voluntatis, ſiue actionum ejus libertati officit, ſiue ab eis re differat, ſiue ijs realiter identificetur.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta Durandi.

CAPVT LVIII.

1. PRIMVM Durandi argumentum eſt. Actio non excedens virtutem ſpeciei agentis, ab ea ſola ſufficienter elici poteſt: At actio cauſæ ſecundæ particularis non excedit virtutem ſpeciei agentis. *1. Argum. Durandi.*

Digitized by Google

Terminatur enim ad effectum ipſi cauſæ vel vniuocum, vt cùm ignis ignem producit; vel æquiuocum, ipsâque causâ inferiorem, vt idem ignis à ſole. Igitur præſuppoſitâ conſeruatione naturæ & virtutis cauſæ ſecundæ ſola hæc, & ſine ſpeciali influxu Dei agere poteſt.

Reſponſio. NEGANDA Major. Nullum enim agens creatum ſiue vniuocum, ſiue æquiuocum, ſiue excedens ſuam ſpeciem, ſiue non, ſine Deo, ejuſque concurſu quidquam agere poteſt, cùm & in exiſtendo, & in agendo tam ipſum, quàm ejus effectus eſſentialiter à Deo pendeant.

2. Argum. Durandi. 2. SECVNDVM argumentum Durandi eſt. Si Deus agit immediatè cum cauſa ſecunda, ejus effectum attingit vel eâdem actione, quâ illa, vel diuersâ. Non eâdem, quia impoſſibile eſt, eandem numero actionem à duobus, vel pluribus agentibus immediatis, & perfectis eſſe, niſi in vtroque idem ſit principium, eademque numero virtus: Propterea in Diuinis Pater & Filius vnâ numero ſpiratione Spiritumſanctum ſpirant, quia in illis vna numero eſt vis ſpiratiua; vel niſi ſint agentia particularia, quorum neutrum ſolum poteſt effectum communem producere, vt duo equi vnum currum trahentes, aut duæ candelæ vnum lumen producentes. Nec aliâ actione eundem effectum immediatè attingere poſſunt. Vel enim vna priùs quàm alia, vel ſimul effectum illum attingent. Non *primum* quia ſi Deus, v. g. effectum priùs attingat, cauſa ſecunda nihil efficiet. Neque *ſecundum*, quia ſuperflua erit alterius actio, cùm ſufficiat vna cauſa ad totũ effectum producendum, & quia actio re eadem eſt cum termino, igitur ſi eſt idem terminus, duæ actiones eſſe non poterunt.

Reſponſio. ADMISSA ſequelâ Majoris, negatur Minor. Vtrumque enim dici poteſt, eâdem ſcilicet, & diuersâ actione Deũ & cauſam ſecundam eundem effectum attingere; eâdem ex parte termini, cùm idem ſit realiter terminus: non eâdem, ſed diuersâ, quatenus diuerſa ſunt principia, & diſtinctæ virtutes actiuæ. Nam vt oſtendimus lib. de Hypoſtaſi, capite 56. perfecta actionis vnitas, & identitas idem numero agens, eundem numero terminum, idem tempus, eundumque agendi modum requirit: à Deo autem aliter, quàm à cauſa ſecunda

Digitized by Google

effectus pendet. Neque verò ex eo quòd agant ſimul tempore ſequitur vnam ex illis actionibus eſſe ſuperfluam. Cùm enim creatura, ſine Deo agente, nihil efficere poſſit, vtraque actio neceſſaria eſt. Neque item ex eo quòd Dei actio naturâ prior ſit, quia illud agere prius naturâ dicit ſolùm dependentiam, & ſubordinationem in agendo cauſæ ſecundæ à Deo, vt explicatum eſt ſupra cap. 56. Nam, vt obſeruat S. Thom. 3. part. quæſt. 19. art. 1. *vbicumque ſunt plura agentia ordinata, inferius mouetur à ſuperiore; ſicut in homine, corpus mouetur ab anima, & inferiores vires à ratione. Sic igitur actiones, & motus inferioris principij ſunt magis operata quædam, quàm operationes: id autem quod pertinet ad ſupremum principium eſt propriè operatio.*

3. Tertium argumentum Durandi. Vnius rei duo fines immediati, & perfecti eſſe non poſſunt; ergo nec vnius effectus duo erunt agentia immediata. ***3. Argum. Durandi.***

Diſtinguendum Antecedens. Si per finem immediatum intelligatur is, qui in ordine finium ſubordinatorum proximus eſt effectui finali, omnino vnius rei, & operis vnus tantùm eſt finis immediatus, vt victoria pugnæ, ſanitas purgationis. ***Reſponſio.***

Dixi *in ordine finium ſubordinatorum*, quia fines diſparati, & non ſubordinati ejuſdem operis plures eſſe poſſunt immediati, vt ſi artifex propter lucrum, & gloriam opus efficiat. At ſi immediatio finis ſit ſecundùm ſuppoſitum, falſum eſt Antecedens.

Possvnt enim plures fines ſubordinati, ſecundùm ſuppoſitum immediati eſſe eidem operationi, v. g. miniſterij, quod exhibetur ægroto propter Deum, Deus, & ipſe æger, & vtriuſque bonitas eſt cauſa finalis, & immediata. Si verò ſermo ſit de immediatione virtutis ſumpta eodem modo, quo in cauſis efficientibus, quemadmodum ſola cauſa prima agit immediatè immediatione virtutis, quòd ipſa à nulla alia pendeat, cùm aliæ ei ſubordinatæ ſint, agantque in ejus virtute, ſic ſolus finis vltimus eſt immediatus immediatione virtutis, quòd ejus bonitas non ſit alterius gratiâ, ſed alij omnes fines & bonitates ei ſubordinentur, ſintque illius gratiâ. Quare hoc argumentum probat ſolùm, quòd ſicut ejuſdem rei non poſſunt eſſe duæ cauſæ primæ: ita nec

Digitized by Google

duo fines vltimi.

4. Argum. 4. QVARTVM argumentum Durandi eſt. Si Deus eſt cauſa immediata actionis liberæ, & producit ſubſtantiam actus peccati, erit etiam cauſa deformitatis & malitiæ, quæ illi ineſt, & peccatum ei imputabitur. Omnis enim defectus culpabilis alicujus actus imputatur ei, qui talem actum liberè, id eſt, ſciens, & volens efficit: Deus autem ſciens, & volens actum peccati, cujus non ignorat deformitatem, producit. Igitur erit cauſa deformitatis peccati.

Reſponſio. NEGANDA eſt ſequela Antecedentis, & Major ſyllogiſmi, quâ confirmatur. Neque enim omnis, qui liberè, ſciens, & volens concurrit ad ſubſtantiam alicujus actionis, cui malitia, & deformitas peccati ineſt, hujus eſt cauſa. Nam ſi ex duobus idem opus efficientibus, aut idem onus portantibus, vnus bonâ, alter malâ intentione, vnus ex officio, alter contra prohibitionem id efficiat, aut docens alium ſcribere, ejuſque manum ducens, id prauo fine faciat, quod diſcens, bono facit, peccabit vnus, & non alter. Ratio eſt, quia peccatum imputatur ei dumtaxat, qui ſciens, & volens producit actum, quo deflectit à lege Dei, rectoque ad Deum ordine recedit, cùm peccatum formaliter, & completè aliud nihil ſit, quàm actus inordinatus, quo peccans à Dei lege, & à Deo fine vltimo deficit, Deumque offendit: Deus autem concurrens ad ſubſtantiam actus peccati à nulla lege diſcedit, nec ſe, aut vllum alium à ſe auertit. Quæ eſt ratio S. Thomæ 1. 2. quæſtione 79. art. 1. *Deus*, inquit, *non poteſt eſſe directè cauſa peccati vel ſui, vel alterius, quia omne peccatum eſt per receſſum ab ordine, qui eſt in Deum, ſicut in finem: Deus autem omnia inclinat, & conuertit in ſeipſum*, &c. Igitur Deus concurrens ad actum peccati, non peccat, ſed ſolus homo, quatenus per actum, quem producit à Deo fine ſuo vltimo, recedit.

Cur Deus nō peccet concurrens ad entitatē actꝰ mali.

Digitized by Google

Proponuntur & ſoluuntur Argumenta Ludouici à Dola.

CAPVT LIX.

1. PRIMVM, quod exponit toto capite 9. partis 4. ſui Libri, ſæpiuſque paſſim inculcat, eſt doctrinã communem de proximo, & immediato Dei concurſu ad noſtras actiones à Concilio Tridentino ſub anathemate diſertè condemnatam eſſe, ſeſſione 6. Can. 6. his verbis. ***Si quis dixerit non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ita vt bona, Deum operari, non permiſſiuè ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe, adeo vt ſit proprium ejus opus, non minùs proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli, anathema ſit.*** *1 Argum. Lud. à Dola*

2. QVASI verò Canonis hujus verum ſenſum nemo hactenus, præter nouum hunc, & heſternum Theologum tenuerit, germanamque Concilij mentem primus, aut ſolus aſſequutus fuerit. Quis enim ad hanc vſque diem hæc Concilij verba eo, quo ille, modo intellexit? Quis credat Concilij Patres, voluiſſe omnes ferè, non ſolùm veteres, ſed etiam Recentiores Theologos, Doctores Catholicos, imò & ſeipſos cum hæreticis inuoluere, & tremendo anathemate damnare? Qui enim in eo ſedebant Cardinales, Epiſcopi, Prælati, ac Theologi idem, quod S. Thom. 1. 2. quæſtione 79. art. 2. Et quæſt. 3. de Malo art. 2. quodque alij omnes, Durando excepto, ſenſerunt, Deum eſſe cauſam Phyſicam, & immediatam entitatis actus peccati. *Reſponſio.*

3. VT igitur Concilij mentem, & Canonis ſenſum verè, ac dilucidè exponamus; tres in eo continentur Hæreticorum noſtri temporis propoſitiones à Concilio damnatæ. *Prima* eſt *non eſſe in hominis poteſtate vias,* (id eſt actiones) *ſuas malas facere.* Quæ propoſitio eſt Lutheri, Zuinglij, & Caluini affirmantium impios quaſi frœno cogi ad peccandum, nec eſſe in poteſtate hominis cogitare bona, vel mala (quorum verba refert Bellarminus lib. de Amiſſione gratiæ cap. 1. & 4.) *Propoſitiones à Concilio damnatæ. prima.*

Digitized by Google

In qua propoſitione, vt patet, Concilium, non concurſum Dei ad ſubſtantiam actus liberi, ſed ſolam ad eum coactionem, & ad malitiam, quæ ei ineſt, negat, condemnatque dicentes neutram eſſe in noſtra poteſtate.

2. Propoſitio. 4. SECVNDA propoſitio à Concilio damnata eſt, *Deum mala opera, vt bona, operari, non permiſſiuè ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe.* Quæ eſt prædictorum Hæreticorum apud Bellarminum ſupra cap. 3. quæque omnino intelligenda eſt de operibus malis, quâ mala ſunt, & de bonis quatenus bona; Tum quia Concilium dixit expreſsè *opera mala*, id eſt, quâ formaliter habent malitiam: quo pacto *permiſſiuè* tantùm ſunt à Deo, & non *propriè, ac per ſe*: Tum quia nullo modo ibi agitur de operibus noſtris, quatenus ſunt entia poſitiua, & actus vitæ. Neque item fit comparatio ſubſtantiæ actus mali cum ſubſtantia actus boni, ſed ſolius deformitatis malitiæ, quæ actui ineſt, cum honeſtate operis boni: Tum quia Concilium quando negat Deum mala opera, vt bona operari, nullo modo intendit negare, Deum concurrere per ſe, & propriè ad entitatem, & ſubſtantiam actus ſiue mali, ſiue boni, cùm nulla in Concilio mota ſit hac de re quæſtio, & diſputatio, nec vlli eorum, qui ei interfuerunt in mentem vnquam venerit de hac veritate dubitare; nec vlli propterea Hæretici ab vllo vnquam Concilio damnati ſint. *Explicatur.*

IGITVR Concilium loquitur de bonis operibus, vt bona ſunt, & de malis, vt mala, damnatque dicentes Deum æquè eſſe cauſam deformitatis malitiæ, quæ operibus malis ineſt, ac honeſtatis, quæ bonis, illamque à Deo eſſe, non ſolùm permiſſiuè, vt dicunt Catholici, ſed & etiã propriè & per ſe, vt volunt Hæretici, id eſt, ex directa & expreſſa Dei voluntate, intentione, & ordinatione, ac eo modo, quo vult, & intendit honeſtatem bonorum operum, adeò vt æquè mala opera, quà mala ſunt, intendat, velit, decernat, operetur, & ad ea nos eodem modo expreſsè inuitet, hortetur, & impellat manifeſtandæ juſtitiæ ſuæ cauſâ, & vt habeat, quod puniat; quo nos inuitat, hortatur, & impellit ad honeſtatẽ bonorum operum, bonitatis, & miſericordiæ ſuæ nobis oſtendendæ gratiâ. Quod omnino erroneum, & Deo injurioſum eſt. Nam vt rectè S. Thom. in 2. diſt. 37. quæſt. 2. art. 1. ad 1. *Deus non* *Hæreticorũ mens & ſententia.* *D. Thomas.*

eodem modo inclinat voluntatem in bonum, & in malum. Inclinat ſi quidem voluntatem in bonum adminiſtrando virtutem agendi, & directè monendo ad bonum: ſed ad malum dicitur inclinare, in quantùm gratiam non præbet, per quam quis à malo retraheretur, & non quod directè voluntatem in malum ordinet.

5. TERTIA propoſitio à Concilio damnata eſt, quòd *proditio Iudæ non minùs proprium Dei opus eſt, quàm vocatio Pauli.* Quæ eſt Melanchthonis in cap. 8. ad Romanos, vbi ait *ſic eſſe opus Dei Dauidis adulterium, & Iudæ proditionem, vt Pauli vocationem.* Quæ quidem à Concilio damuatur non intellecta de ſubſtantia ipſorum actuum vocationis Pauli, & proditionis Iudæ. Vtraque enim ſecundùm ſubſtantiam æquè eſt à Deo, & non minùs vna, quàm altera, idque in omni ſententia, tam proprium & immediatũ ad eam Dei concurſum defendente, quàm in altera Aduerſarij remotum tantùm, mediatum, & permiſſiuum defendentis. Igitur propoſitio de ſola bonitate vocationis Pauli, & ſola traditionis Iudæ malitia intelligenda eſt. Illa enim cùm à Deo ſit directè, propriè, & per ſe, hæc non niſi permiſſiuè, propterea proditio Iudæ, minùs à Deo eſt, quàm vocatio Pauli, meritòque damnatur anathemate, qui id negat. *3. Propoſitio damnata.* *Exponitur quo ſenſu.*

ATQVE hic eſt verus, & germanus prædicti Canonis ſenſus. Ex quo intelligitur, quàm temerè ac perperam ad proximum, & immediatum Dei ad noſtras actiones concurſum euertendum à prædicto Authore afferatur. Qui etiam hoc loco feriò monendus videtur, videat ne tam frequenti, & identidem repetitâ prædicti Canonis objectione cum noua ſua, & praua interpretatione, Concilio Tridentino erroris, ac falſitatis notam inurat, ejuſque authoritatem etiam apud Catholicos non parum eleuet. *Admonitio.*

6. ATQVE, vt hìc etiam ad contradictionem inter has duas propoſitiones, *Omnis actus humanus, ac liber, fit à Deo verè, & propriè, & per ſe,* & *Aliqui actus humani, praui nimirum, non fiunt à Deo verè, propriè, & per ſe, ſed ſolùm permiſſiuè,* quàm eodem cap. num. 12. vir modeſtus, &, vt ait, contentus ab omni exaggeratione ſibi temperare, nobis objjcit, obiter reſpondeamus: Vno verbo ſuæ oblitus Logicæ videtur, falliturque, cùm inter dictas propoſitiones contradi- *Propoſitiones duæ*

ctio nulla ſit. Eſt enim enunciationum contradictio, vt docent Logici, *affirmatio, & negatio ejuſdem de eodem, eodem modo, & reſpectu ſumpto*; at de actu humano non eodem modo ſumpto in prædictis propoſitionibus affirmatur, & negatur *fieri verè, & propriè, & per ſe à Deo.* In prima enim, & vniuerſali affirmatur de actu humano *materialiter* tantùm, & ſecundùm entitatem ſuam Phyſicam, ſumpto. In ſecunda verò, & particulari negatur de actu humano malo, non ſecundùm ſuam entitatem Phyſicam, ſed ſolùm ſecundùm malitiæ ſuæ deformitatem.

Nullam habent contradictionem.

8. SECVNDVM prædicti authoris argumentum eſt quartum Durandi Capite præcedenti, Deum, ſcilicet, fore authorem peccati, ſi Phyſicam actus mali entitatem proximè, immediatè, & identificato concurſu producat. Quod fuſiſſimè probat cap. 10. num. 3. ex eo quòd nulla ſufficiens afferatur ratio, cur homo efficiens liberè actionem intrinſecè turpem aduerſus rectam rationem, & contra diuinum amorem, & ſanctitatem agat: Deus autem eandem actionem illicitam ſecundùm omnes ſuæ entitatis gradus genericos, ſpecificos, & ſingulares efficiens excuſetur ab iniquitate, nec agat contra rectam rationem.

2. Argum. Lud. à Dola

Reſponſio. NEGANDA eſt ſequela Antecedentis. Neganda item ejus confirmatio, nullam ſcilicet eſſe rationem ſufficientem ad tuendam Dei immediatè ad ſubſtantiam actus mali concurrentis ſanctitatem, & innocentiam. Inter enim eas decem, quas eodem cap. refert, & vt poteſt refellit, omiſit veram & propriam (niſi fortè dixerit, eam eſſe, quam tertio loco poſuit) nempe quòd nequidem homo ipſe præciſè peccet, quòd entitatem actus mali immediatè, & per ſe efficit. Nam in peccato omiſſionis nullum producit actum. Deinde ipſa realis ſubſtantia cujuſcunque actus, etiam ejus, cui ineſt deformitas malitiæ, & peccati, ſecundùm omne ſuum poſitiuum, omneſque ſuos gradus entis, accidentis, qualitatis, vitæ, & motus liberi arbitrij, actuſque voluntatis, mala non eſt, ſed bona bonitate entis, & naturæ; Alioqui omnes actus vitæ, motuſque liberi arbitrij hominis eſſent mali.

PRÆTEREA vt Capite præcedenti dictum eſt, ex duobus hominibus idem opus facientibus, eandemque ſubſtan-

Digitized by Google

tiam actus producentibus, ſi vnus ex præcepto, alter contra prohibitionem faciat, hic peccabit, non ille. Tum quia vt ait Capreolus in 2. Sent. diſt. 37. ad 5. Si Deus ſubſtantiam odij Dei, aut alterius actus mali ſe ſolo produceret, aut conſeruaret extra omne ſubjectum, non propterea peccaret, neque talis actus odij Dei eſſet peccatum, neque haberet deformitatem odij Dei, eo quòd talis deformitas non neceſſariò conſequatur ſubſtantiam talis actus in ſe, vel etiam vt à Deo procedit, ſed ſolùm vt procedit à libero arbitrio defectibili, ſuoque illo actu recedente à lege, & obedientia diuina, & à recto ordine ad Deum finem ſuum vltimum: tale autem eſt ſolum liberum arbitrium creatum.

8. Vera igitur cauſa cur homo peccet peccato ſiue commiſſionis, ſiue omiſſionis eſt præciſè, quòd faciendo actũ vetitum, vel omittendo imperatum, à Dei, Domini ſui ſupremi obedientia, & à legis ac voluntatis diuinæ regula diſcedat, à rectoque ad Deum finem ſuum vltimum ordine deflectat. Peccare enim in vniuerſum, vt ſupra diximus (ſiue ſit peccatum naturæ, ſiue artis, ſiue moris) eſt deficere à fine, nec inuenitur peccatum, niſi in ijs quæ ſunt propter finem. Igitur ſi homo peccat, cùm ſuâ vel actione, vel omiſſione à lege ac regula ſua diſcedit, & à recto ad Deum ordine deflectit: Deus autem, phyſicè licet & immediatè ad eandem entitatem actus mali concurrens, à nulla lege, nulla regula, nullo fine, & ordine ad finem recedit, (nullam enim habet legem, nullumque ſuperiorem, idemque cùm ſit extra, & ſupra omnem ordinem, nullum finem habet, ſed ipſe eſt omnium finis) propterea peccare, deficere, aut vlli alteri cauſa peccati eſſe non poteſt.

Cur homo peccet non Deus.

Etenim cùm affirmationis cauſa ſit affirmatio, & negationis negatio, igitur, ſi homo peccat, quia deficit, & à rationis, legiſque diuinæ regula, & ordine deflectit, ſequitur neceſſariò Deum non peccare, quia agendo, & concurrendo cum homine peccante, à nulla lege, nulloque recto ordine recedit.

9. Præterea peccatum eſt dictum, factum, & concupitum contra legem Dei æternam: impoſſibile autem eſt Deum quicquam velle, dicere, aut concupiſcere contra legẽ

Digitized by Google

ſuam æternam. Hæc enim eſt ipſa æterna ratio ſapientiæ Diuinæ, ſecundùm quam, inquit S. Thom. 1. part. quæſt. 21. art. 1. ad 2. *Dei voluntas recta, & juſta eſt. Vnde quod ſecundùm ſuam voluntatem facit, juſtè facit; ſicut & nos, quod ſecundùm legem facimus, juſtè facimus. Sed nos quidem ſecundùm legem alicujus ſuperioris: Deus autem ſibi ipſi eſt lex.*

Nulla Deo lex impoſita

10. QVANQVAM Deo nulla lex propriè impoſita eſt: quia nõ imponitur lex niſi ſubditis & ab eo, cui ſubſunt, *omniſque lex*, inquit S. Thom. 2. 2. quæſt. 16. art. 1. *eorum, qui illâ tenentur, ad eum qui legem imponit, ſubjectionem præſupponit*. Ideoque Deus, Exodi 20. & Deuteron. 6. Legem Decalogi populo ferens, ita præfatur: *Ego ſum Dominus Deus tuus*, Deus autem nulli ſubeſt. Deinde lex obligationem indicit ei, cui impoſita eſt: Deus autem à nullo obligari poteſt. Accedit quòd legis habendæ tantùm capax eſt, qui ad finem aliquẽ ordinatur, cùm lex ſit menſura, & regula alicujus agendi, vel omittendi propter finem vltimum conſequendum: Deus autem aliò non ordinatur, cùm ſit ipſe finis rerum omnium: Igitur cum homine peccante concurrens non peccat, quia non deficit, vel facit contra vllam legem.

Inſtantia.

11. NEQVE dixeris cum prædicto Authore cap. 12. num. 1. rationem hanc, quâ Deum cum homine peccante

Reſponſio.

phyſicè & immediatè concurrentem à peccato vindicamus, petitionem principij eſſe, & idem per idem probare. Etenim cùm definitio, vt tradunt Logici, notior ſit definito, ejuſque, ſi bona eſt, cauſas contineat, qui definitum per ejus definitionem, de aliquo concludit, vel per eam negatam negat, is non vitioſè, ſed maximè analyticè, & ſcientificè diſputat, & argumentatur. Angelum enim non eſſe hominem, vel equum non eſſe leonem, quî certiùs & euidentiùs probari poteſt, quàm dicendo illum animal rationale, hunc animal rugibile non eſſe. Cum igitur *à recta ratione, & Dei lege, rectoque ad eum ordine deflectere, vel contra æternam Dei legem aliquid dicere, aut facere*, ſint ipſæ peccati definitiones, ejus in Deo immunitas, & perfectiſſima Dei innocentia, nullâ ratione meliùs euinci poteſt, quàm prædictarum definitionum de eo negatione.

RECTE igitur S. Thom. 1. 2. quæſt. 79. art. 2. *Deus*, inquit, *eſt cauſa*

eſt cauſa omnis actionis in quantum eſt actio : ſed peccatum nominat ens, & actionem cum quodam defectu : defectus autem ille eſt ex cauſa creata, ſcilicet libero arbitrio, in quantum deficit ab ordine primi agentis, Dei ſcilicet. Vnde defectus iſte non reijcitur in Deum, ſed in liberum arbitrium : ſicut defectus claudicationis reducitur in tibiam curuam, vt in cauſam; non autem in virtutem motiuam, à qua tamen cauſatur quidquid eſt motionis in claudicatione. Et ſecundùm hoc, Deus eſt cauſa actus peccati. Non eſt tamen cauſa peccati, quia non eſt cauſa hujus, quòd actus ſit cum defectu. Et ibidem ad 2. *In hominem*, inquit, *ſicut in cauſam reducitur non ſolùm actus, ſed etiam defectus; quia ſcilicet non ſubditur ei, cui debet ſubdi, licet hoc ipſe non intendat principaliter: & ideo homo eſt cauſa peccati : ſed Deus ſic eſt cauſa actus, quòd nullo modo eſt cauſa defectus concomitantis actum, & ideo non eſt cauſa peccati.*

12. At inſtat ille Author eodem loco. Deus habet legem naturalem dictantem ſibi quid agendum, & omittendum ſit. Igitur falſum eſt Deum non peccare, quia non habet legem. *Altera inſtantia.*

Negandum Antecedens. Ipſa enim æterna Dei ſapientia, & voluntas, ratio quidem, ac regula infallibilis eſt, imò & lex tum gubernationis rerum omnium, tum noſtræ omnis honeſtatis, & ſanctitatis : non tamen lex reſpectu Dei, propter ſupra dictas rationes: tum etiam quia lex, vt ait S. Thom. 1. 2. quæſt. 91. art. 1. *importat ordinem ad finem actiuè, non paſſiuè*, id eſt, ordinem ſuperioris ad inferius : Deus autem ſuperiorem nullum habet. Igitur cùm ejus ſapientia, natura, & bonitas, quibus dirigitur, & mouetur in agendo, lex Dei appellatur, metaphorica, & impropria eſt locutio, quatenus ſcilicet, Deus ſeipſum negare non poteſt, nihilque facere, quod naturæ, bonitati, ac ſapientiæ ſuæ repugnet. *Reſponſio.*

Qvare cùm ibidem num. 6. idem Author quærit *cur non ſit aliqua lex immutabilis, & æterna rectitudinis, quâ Deus ligetur non cooperari proximè, & identificè ad actiones intrinſecè turpes, atque illicitas?* Inepta quæſtio eſt; Tum quia Deo nulla lex imponi poteſt; Tũ quia perinde eſt, ac ſi quæreret; cur Deo poſita non ſit lex immutabilis, & æterna, quâ ligetur Mundum non creare, non conſeruare, non gubernare, nullique rei benefacere? hujus enim quæſtionis eadem eſt ratio, quæ illius, quam facit, *Inepta quæſtio.* *Refellitur.*

Digitized by Google

Quid nomine legis in definitione peccati intelligatur.

13. Falsvm item eſt quod ait ibidem, communem peccati definitionem, quâ dicitur *dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam*, intelligendam, non de lege naturali prohibente actus intrinſecè malos, ſed ſolùm de lege poſitiua, quâ actus ex natura ſua indifferens prohibetur. Nam S. Thom. 1. 2. quæſt. 71. art. 2. docet legem Dei æternam regulam eſſe, non ſolùm legis poſitiuæ, ſed etiam legis naturalis.

3. Argum.

Tertivm prædicti Auctoris argumentum eſt, immediatum Dei cum voluntate noſtra concurſum, & cum ipſo voluntatis actu, & concurſu realiter identificatum ejus deſtruere libertatem, quòd plurimis vijs, ac rationibus obtinere nititur toto cap. 13. 4. partis ſui libri: Quas rationes, ne longior ſim omitto, quòdque cognitâ libertatis noſtræ naturâ facilè diſſolui poſſint.

Reſponſio.

Ergo negamus Deum, ſuo cum voluntate noſtra liberè operante immediato concurſu, ejus officere libertati; cùm integram ei relinquat agendi, & non agendi facultatem. Ita enim cum ea concurrit, vt potuerit non agere, quod agit, & actum, quem, Deo cum ipſa agente, producit, intendere, vel remittere, continuare, vel penitus omittere, & ab agendo ceſſare poſſit. Neque enim Deus ſuo cum cauſis ſecundis concurſu earum naturas, modumque agendi proprium, & naturalem deſtruit: ſed confirmat, & perficit, & vt notat S. Thom. 1. 2. quæſt. 6. art. 2 ad 3. *Sicut non eſt contra rationem naturæ, quòd motus naturæ ſit à Deo, ſicut à primo mouente: in quantum natura eſt quoddam inſtrumentum Dei mouentis: ita non eſt contra rationem actus voluntarij: quòd ſit à Deo in quantum voluntas à Deo mouetur.*

Digitized by Google

Quid ſit Deum ad eundem effectum cum cauſa ſecunda concurrentem, agere priùs naturâ, & quot titulis id ei conueniat.

CAPVT LX.

1. STVDIOSE legenda, & diligenter notanda videtur hujus Capitis doctrina, ad rationem concurſus diuini cum cauſis, tam liberis, quàm neceſſarijs bene cognoſcendam, & maximè ad repudiandam qualitatem Phyſicam, quam vocant, prædeterminantem, ejuſque in cauſis ſecundis inutilitatem demonſtrandam. Cauſam primam ad eundem numero effectum cum ſecunda ſiue libera, ſiue neceſſaria concurrentem priùs naturâ agere, non eſt effectum illum tempore, aut inſtanti aliquo reali prius ab ea pendere, & produci, quàm à ſecunda. Puerilis enim eſt hic ſenſus, inquit Cajetanus 1. part. quæſt. 19. art. 8. ſub finem. Nam jam eſſet in rerum natura effectus, antequam ageret cauſa ſecunda, proindeque eum nunquam primò produceret. Igitur vtriuſque concurſus tempore ſimultaneus eſt. *Non agit Deus prius tempore quã cauſa ſecunda.*

2. NEQVE item eſt in eodem inſtanti reali duo concipi, & diſtingui inſtantia rationis, ordinem inter ſe aliquem habentia, in quorum primo concipiatur cauſa prima agere, & non ſecunda: Tum quia in eodem inſtanti reali nulla & falſa ſunt illa ſecundùm rationem inſtantia, ordinem prioris & poſterioris ad inuicem habentia, cùm ad nullum verum genus ordinis ac prioris referri poſſint; vt patet inductione factâ per omnes modos Prioris à nobis enumeratos ſupra cap. 2. Tum quia concipere dumtaxat Deum agentem, & non cauſam ſecundam, ſi aliud nihil addatur, non eſt eum priùs naturâ agere. In hoc enim non conſiſtit prioritas naturæ, præſertim ſecundùm cauſalitatem, vt oſtenſum eſt ſupra cap. 3. num. 2. & 3. & cap. 4. num. 6. & ſeqq. *Neque prius aliquo inſtanti rationis.*

3. NEQVE item cauſam primam agere, priùs naturâ,

quàm ſecunda, eſt illam in hanc immittere qualitatem aliquam ei inhærentem ſiue phyſicam, ſiue intentionalem, quā eam moueat excitet, roboret, & determinet ad agendum: Tum quia nulla eſt ejuſmodi qualitas, nec eā cauſæ ſecundæ ad agendum indigent: Tum quia ſine ejuſmodi qualitate rectè intelligitur, quomodo Deus naturâ priùs agat, quàm cauſa ſecunda. Nam & Sol per lumen calorem producens, & a qua per ſuam frigus manum frigefaciens, & anima per ſuas potentias, & habitus, actus ſuos eliciens, & vniuerſim omnia agentia naturalia cùm per virtutes naturales aliquid efficiunt, naturâ prius, quàm hæ id efficiunt, & tamen neque Sol lumini, nec aqua ſuo frigori, nec anima ſuis potentijs nec vllum agens naturale ſuis proprietatibus vllam ſuperaddit, & imprimit qualitatem ſiue phyſicam, ſiue intentionalem. Igitur neque Deus agens cum cauſis ſecundis.

Non concurrit Deus per qualitatem immiſſum.

4. Alia igitur de cauſa, alijſque titulis cauſa prima priùs naturâ dicitur agere, quàm ſecunda. Primvs eſt, quòd ſicut genus vnum. Prioris naturâ eſt, à quo non valet ſubſiſtendi conſequentia, tam objectiua, quàm formalis, ex Philoſopho in Poſtprædicamentis cap. 2. & lib. 8. Phyſic. text. 56. Ita prioritas quædam naturæ inter cauſas ad eundem effectum concurrentes eſt, à qua non valet cauſandi conſequentia: à cauſa autem prima ad ſecundam, vt exiſtendi, ſic & agendi non valet: Si enim cauſa ſecunda agit, ergo & prima, conſequentia bona & neceſſaria eſt; ſi verò prima agit, etiam ſecunda, non valet conſequentia. Igitur cauſa prima non ſolùm in ratione entis, ſed etiam in ratione cauſæ, & in agendo, & cauſando naturâ prior eſt quàm cauſa ſecunda.

2. Quia ad plura ſe extendit.

Secvndò Cauſa prima priùs natura agit, quàm ſecunda, quia cauſa *eſt vniuerſaliſſima*, & ejus cauſalitas ad plura, ſe extendit, quā cauſalitas & influxus cauſæ ſecundæ. Eſt enim hoc vnum genus prioris naturæ à nobis recenſitū ſupra cap. 2. n. 19. Dicitur autē Deus cauſa vniuerſalis, ejuſque influxus cōmunis, non quòd nō attingat quemlibet effectū ſecundū omnes ſuos gradus genericos, ſpecificos, & indiuiduales. Neque quòd ejus concurſus ſit indifferens ad hunc, vel illum effectum ſingularem, & indiuiduum hujus, vel illius ſpeciei, & determinetur ac ſpecificetur ad hunc numero illius ſpeciei effectum ab

actione, & concurſu cauſæ ſecundæ ac particularis, vt nonnulli putant. Hic enim agendi modus Deo non conuenit: vt pote, imperfectus, ſecundùm quem Deus entitatem effectus adæquatè, & ſecundùm omnes ſuos gradus particulares non attingeret, nec cognoſceret, quid, concurrendo cum cauſa ſecunda, facturus eſſet: & præterea idem & æqualis eſſet Dei concurſus ad omnes omnium cauſarum effectus: ſed cùm omnis Dei actio ad extra à parte rei æquè indiuidua, ac ſingularis ſit, ac actio cauſæ ſecundæ, & æquè effectum attingat, eique ſecundùm omnes ſuos gradus realiter identificetur; nihilominus Deus cauſa vniuerſalis, ejuſque influxus communis dicitur; quia ad plures effectus ſe extendit, quàm virtus, aut influxus cujuſlibet cauſæ ſecundæ, vt rectè exponit S. Thom. Opuſc. 13. cap. 15. *In rebus*, inquit, *talis ordo inuenitur, quòd ſuperiora in entibus vniuerſalibus, eſſe, & bonitatem habent, non quidem ita quod obtineant eſſe, & bonitatem ſolùm ſecundùm rationem communem, prout vniuerſale dicitur, quòd de pluribus prædicatur; ſed quia quidquid in inferioribus inuenitur, in ſuperioribus eminentiùs exiſtit, & hoc ex virtute operatiua, quæ eſt in rebus, apparet. Nam inferiora in entibus habent contractas, ſeu determinatas virtutes effectiuas ad determinatos effectus: ſuperiora verò habent virtutes vniuerſaliter ad multos effectus ſe extendentes: & tamen virtus ſuperior, etiam in particularibus effectibus, plus operatur, quàm inferior; & hoc maximè in corporibus apparet. Nam in inferioribus corporibus ignis quidem per ſuum calorem calefacit, & ſemen hujus animalis, vel plantæ ita determinatè producit indiuiduum hujus ſpeciei, quòd non producit alterius ſpeciei indiuiduum. Vnde patet, quod virtus vniuerſalis in ſuperioribus entibus dicitur, non ex hoc, quòd non ſe extendat ad particulares effectus, ſed quia ſe extendit ad plures effectus, quàm virtus inferior, & ſuperior in ſingulis eorum vehementiùs operatur. Per hunc igitur modum quantò virtus cognoſcitiua eſt altior, tantò eſt vniuerſalior; non quidem ſic, quòd cognoſcat ſolam vniuerſalem naturam; ſic enim quantò eſſet ſuperior, tantò eſſet imperfectior. Cognoſcere enim aliquid in vniuerſali, eſt cognoſcere imperfectè, & medio modo inter potentiam & actum: ſed ob hoc ſuperior cognitio vniuerſalior dicitur, quia ad plura ſe extendit, & ſingula magis cognoſcit* Cùm igitur quod magis commune eſt, & ad plura vim ac potentiam ſuam extendit,

Quare Dei influxus dicatur communis.

S. Thomas.

naturâ prius, & dignius ſit, quàm quod contractum, & ad certum tantùm genus definitum eſt, Dei autem actio fundatur latiùs, & ad plura ſe extendat, quàm cujuſuis agentis virtus; propterea etiam ad eundem effectum cum hoc concurrens, priùs naturâ dicitur agere.

3. Quia Deus potentius agit.

5. TERTIÒ, Deus priùs naturâ agere dicitur, quia *magis & potentiùs agit*, ac influit in effectum, quàm cauſa ſecunda, ejuſque effectus à Deo magis pendet, quàm ab illa: Plus autem & potentiùs Deus in effectum influit; 1. quia in eundem per cauſas alterius generis, ſi quas habet, influit. Concurrit enim cum qualibet cauſa in cauſando, cujuſcunque generis ſit, etiam cum materiali, & formali, non tamen materialiter aut formaliter, ſed effectiue. 2. quia dat illis omnibus, & conſeruat vim cauſandi, pendentque eſſentialiter ab eo, cùm effectus ſuos cauſant. 3. quia eſt cauſa plurimorum effectuum non tantùm in fieri, ſed in eſſe. 4. quia eſt cauſa cujuſlibet effectus ſimpliciter, & abſolutè ſecundùm omnes gradus entis, qui in eo ſunt, vt Leonis v. g. non ſolùm quatenus eſt Leo, ſed etiam quatenus eſt animal, viuens, corpus, ſubſtantia & ens: cauſa verò ſecunda ſi ſit vniuerſalis, vt Sol, eſt cauſa ejuſdem effectus ſecundùm aliquos gradus tantùm, nempe quatenus eſt viuens, animal & Leo; ſi verò ſit particularis, vt Leo generans, eſt ſolùm ejus cauſa, quatenus eſt hic Leo. Neque enim ejus virtus eò pertingit, vt producat Leonem, aut animal, aut viuens, aut ſubſtantiam abſolutè, alioquin poſſet producere omnem ſubſtantiã, immò omne ens, atque adeò ſeipſum. Igitur Deus hoc nomine dicetur, & potentiùs, & priùs naturâ influere, quàm cauſa ſecunda. Nam vt ait S. Thom. 2. Phyſic. Lect. 6.

Quia per plures cauſas producit eundem effectũ.

S. Thomas.

Qualibet virtus extenditur in aliqua ſecundùm quòd communicant in vna ratione objecti: & quantò ad plura extenditur, tantò oportet illam rationem eſſe communiorem: cumque virtus proportionetur objecto ſecundùm ejus rationem, ſequitur quòd cauſa ſuperior agat ſecundùm formam magis vniuerſalem, minuſque contractam: Vnde & id, quod eſt prius in cauſando, inuenitur eſſe, prius quodammodo ſecundùm rationem vniuerſalioris prædicationis.

DENIQVE cauſa prima dicitur plus in effectum influere, quia cauſæ primæ effectus intimior, & permanentior eſt in

Digitized by Google

cauſato, quàm effectus cauſæ ſecundæ, inquit S. Thom. quæſt. 5. de Veritate, art. 9. ad 10. Vnde Cajetanus ſupra hæc habet, *Quòd cauſa prima priùs naturâ reſpicit effectum, quàm quæcunque alia, intelligendum eſt, quoad independentiam & intimitatem. Attingit enim cauſa prima effectum ſecundæ & independentius & intimius, quàm cauſa ſecunda.* *Caietanus*

6. QVARTÒ Deus priùs naturâ agere dicitur, quàm cauſa ſecuuda, quia eſt *omnium cauſa cauſarum* tum efficiens tum finalis, hocque ipſum, quod agunt, & cauſant, dat illis, ab eo pendent eſſentialiter, non ſolùm in exiſtendo, ſed etiam in cauſando, & agendo. *Propter quod enim vnumquodque tale, & illud magis,* id eſt, *potius & prius* 1. Poſteri. text. 5. & omnis cauſa ſi hoc ipſo quod cauſat effectum ſuum, eo naturâ prior eſt, etiam cauſa cui alia in cauſando eſſentialiter ſubordinatur, & quæ eſt cauſa actionis, eiuſdem, illius effectum attingens, in hunc priùs naturâ dicetur influere. *4. Titulus.* *Quia eſt cauſarum cauſa*

7. QVINTÒ, quia cauſæ ſecundæ reſpectu cauſæ primæ ſunt veluti *inſtrumenta*, quia non agunt, nec mouent, niſi mota à prima cauſa. Quemadmodum igitur manus baculo mouens lapidem, hunc naturâ priùs, quàm baculus, mouere dicitur: ita & cauſa prima in effectus cauſarum ſecundarum, quas mouet, prius naturâ influet: ſicut anima per intellectum & ſpeciem intelligibilem producens intellectionem, his ad eam priùs naturâ concurrere dicitur, quia his vtitur haſque mouet ad agendum; mouet autem ſine vlla eis ſuperaddita qualitate. *5 Titulus.* *Quia aliæ cauſæ eius ſunt inſtrumenta.*

8. SEXTÒ, quia prima cauſa, vt pote agens per intellectum, omnes cauſas ſecundas tam vniuerſales, quàm particulares, tam proximas, quàm remotas, tam vnius, quàm diuerſi generis, componit & conjungit ad vnum effectum producendum, eaſque ad hunc ſpecie, & numero, & non alium producendum determinat. Cùm enim quælibet ſit indifferens ad plures numero effectus producendos, quòd hunc potiùs, quam illum fundat, id ad cauſam primam intelligentem, quæ hunc potiùs quàm illum alium per eam producere velit, referri debet. *6. Titulus.* *Quia alias cauſas componit applicat & determinat.*

9. SEPTIMÒ, Deus priùs naturâ agere dici poteſt, eo quòd pluribus, diuerſiſque actionũ generibus v. g. creatione, *Quia pluribus modis.*

eductione, tranſſubſtantiatione, alijſque modis illi cognitis eundem effectum producere poſſit.

CONCLVDENDVM igitur quod concurſus Dei, tempore quidem ſimultaneus eſt cum concurſu cauſæ ſecundæ: at propter prædictos omnes prioritatis modos ac titulos, & maximè propter quintum, quòd hic ab illo pendeat, eo natura prior eſt, non ſolùm in principio actionis cauſæ ſecundæ, vt NOTA. plerique imaginantur; ſed etiam in ejus medio, ac toto tempore, quo durat: cùm prædictos omnes titulos, & rationes prioritatis erga eam habeat toto eo tempore, quo fit ab agente creato.

Quid ſit modificatio, & determinatio concurſus diuini à concurſu cauſæ ſecundæ.

CAPVT LXI.

1. CONCVRSVM cauſæ primæ modificari, & determinari à cauſa ſecunda, ejuſque concurſu, non eſt tantùm Dei concurſum conjungi cum concurſu cauſæ creatæ ad eundem effectum producendum, quia cùm duo equi v. g. eundem currum ſimul trahunt, aut duo ignes tertium aliquem conjunctim producunt, non propterea vnius concurſus alterius concurſum, & actionem determinare, aut modificare dicitur.

NEQVE item eſt Dei actionem ab influxu, & actione cauſæ ſecundæ quidquam pati, & recipere, vel ab ea informari, & determinari, vt ſubjectum ab accidente, materia à forma determinatur.

2. NEQVE item eſt contrahi, & ſpecificari per modum, quo genus à differentia ſpecifica, vt animal à rationali contrahitur; vel res à ſuo modo, vt ens ab vnitate, veritate, contingentia, vel neceſſitate, ac ſimilibus Modis modificatur, & contahitur. Nam differentia ejuſdem eſt Categoriæ, quo genus, quod contrahit, & Modus ad Categoriam ejus, cujus eſt modus, reductitiè pertinet: At Dei, & ſecundæ cauſæ

coucurſus,

Digitized by Google

concurſus, licet ex parte termini re idem ſint, tamen ex parte principij, quod in conceptu cujuſque actionis includitur, plus quàm genere, & Categoriâ differunt. Deinde nec concurſus Dei de concurſu creaturæ, nec viciſſim hic de illo prædicatur, nec ambo vnam aliquam ſpeciem actionis conſtituunt. Adde quòd omnis actio ſpeciem, & indiuiduationem ſuam accipit potiſſimùm à termino, ac etiam à ſuo principio, vt pluribus declarauimus libro de hypoſtaſi cap. 56. non autem à ſocietate & concurſu vllius cauſæ ejuſdem generis.

3. NEQVE item eſt ipſum Dei concurſum ex ſe quaſi vagum, & indifferentem ad omnem effectum, & veluti dubium, ac ancipitem, à cauſa ſecunda, & particulari quaſi ſiſti, reſtringi, inclinari, accommodari ad ſuum particularem effectum. Quilibet enim Dei concurſus, cùm aliud nihil ſit à parte rei, quàm ipſa entitas termini, vt à Deo, & conjunctim à cauſa ſecunda pendet, re idem eſt cum ipſo termino. Igitur ex ſe æquè ſingularis, & determinatus eſt, ac ipſe & terminus, & concurſus cauſæ ſecundæ. Deinde Dei influxus, quo ignem v. g. cum alio igne producit, non eſt aptus arborem producere; alioqui vno, eodemque influxu, & eâdem actione Deus vteretur ad res omnes paruas, mediocres, maximas, ſpirituales, corporeas, liberas, & neceſſarias; quod eſt abſurdiſſimum. *Concurſus Dei non eſt vagus.*

4. ITAQVE, vt mihi quidem videtur, actionem & concurſum cauſæ primæ ab actione, & concurſu cauſæ ſecundæ ſpecificari, determinari, & modificari aliud nihil eſt, quàm Dei actionem ab ampliſſima, & vniuerſaliſſima ejus agendi potentia exeuntem, cum potentia, & actione cauſæ ſecundæ, quæ naturâ ſuâ magis contracta, & ad certæ tantùm ſpeciei effectus limitata eſt, ita conjungi; vt cum ea, & per eam hujus, vel illius ſpeciei effectus, & non alterius producat. Sic enim analogiâ quâdam ad contractionem graduum ſuperiorum ab inferioribus, actio cauſæ ſecundæ, quæ ex ſe effectum ſuum, non niſi ſub ratione magis contracta, reſpicit, actionem Dei, quæ eundem etiam ſub alijs magis communibus gradibus aſpicit, contrahere, & determinare dicitur. *Quid ſit concurſum modificari determinari.*

5. QVARE licet vtraque cauſa eandem & totam effectus en-

Digitized by Google

titatem ſuâ actione, ſuoque influxu verè attingat, & producat, & etiam vtriuſque actio illi entitati particulari, & ſingulari realiter identificetur; tamen cùm in illa vna ſingulari, & indiuidua entitate termini, varij gradus, rationeſque diuerſæ reperiantur, aliæ alijs magis communes, minùſque contractæ, vt in leone v. g. rationes entis, ſubſtantiæ, corporis, viuentis, animalis, leonis, & hujus leonis, & hanc leonis v. g. entitatem cauſæ ſecundæ virtute propriâ non attingant, niſi ſub rationibus magis contractis, & ſpecificis, ſcilicet leo generans ſub ratione tantùm indiuiduali hujus leonis producti; cauſa verò prima vi, ac virtute ſuâ eandem reſpiciat, & attingat ſecundùm omnes omnino gradus, non ſolùm indiuiduales, ſed etiam genericos, & ſpecificos, qui communes ſunt, & in alijs rebus, & effectis reperiuntur; propterea cauſæ ſecundæ influxus, cauſæ primæ influxum, & actionem ſpecificare, & determinare dicitur.

6. Dixi autem cauſas ſecundas ex virtute propria non attingere effectus ſuos, niſi ſecundùm gradus indiuiduales, aut ſpecificos; quia virtute cauſæ primæ, & vt ſunt ejus inſtrumenta, etiam alios ſuperiores attingunt, cùm totam effectus entitatem producant, vt docet S. Thom. quæſt. 3. de Potentia art. 7. his verbis. *Quantò aliqua cauſa eſt altior, tantò & communior, & efficacior; & quantò eſt efficacior, tantò profundiùs ingreditur in effectum, & de remotiori potentia ipſum reducit in actum. In qualibet autem re naturali inuenimus quòd eſt ens, & quòd eſt res naturalis, & quòd eſt talis, vel talis naturæ: quorum primum commune omnibus entibus; ſecundùm omnibus rebus naturalibus; tertium in vna ſpecie, & quartum, ſi addamus accidentia, eſt proprium huic indiuiduo. Hoc ergo indiuiduum agendo non poteſt conſtituere aliud in ſimili ſpecie, niſi prout eſt inſtrumentum illius cauſæ, quæ reſpicit totam ſpeciem, & vlterius totum eſſe naturæ inferioris: Et propter hoc nihil agit ad ſpeciem in iſtis inferioribus, niſi per virtutem corporis cæleſtis: nec aliquid agit ad eſſe, niſi per virtutem Dei. Ipſum enim eſſe, eſt communiſſimus effectus, primus, & intimior omnibus alijs effectibus, & ideo ſoli Deo competit ſecundùm virtutem propriam talis effectus: vnde etiam, vt dicitur in libro de cauſis, Propoſitione 9.* Intelligentia non dat eſſe, niſi prout eſt in ea virtus diuina. D. Thomas

Ex his conſtat actionem, & concurſum cauſæ primæ à concurſu, & actione cauſæ ſecundæ, vel cauſæ vniuerſalis à cauſa particulari non niſi abuſiuè, & valde impropriè modificari, ſpecificari, & determinari: ideoque S. Thomam cùm de hac ſpecificatione, & modificatione loquitur, particulam diminutiuam *quodammodo* vel *quaſi* non rarò addere, vt quæſt. 5. de Veritate art. 9. ad 10. & lib. 3. contra Gentes, cap. 66. *Agentia ſecunda ſunt quaſi particulantia, & determinantia actionem primi agentis.*

Nullam dari qualitatem Phyſicam, quâ Deus moueat, & prædeterminet cauſas ſecundas ad agendum.

CAPVT LXII.

1 AVGVSTINVS Nyphus ſuis in Metaphyſicam Auerrois contra Algazelem Commentarijs diſp. 3. folio 95. hæc habet: *Vidi in quodam libro de Subſtantia orbis, quòd Deus eſt vnum ſimplex, a quo producitur vna qualitas ſpiritalis, qua recipitur in omnibus entibus extra Deum, per quam ligantur omnia entia ligatione majori, quàm ſit per villos, & lacertos in animali, & mediante iſtâ qualitate, Deus eſt cauſa omnium, qua ſunt in Vniuerſo.* A qua opinione, quam varijs rationibus ibidem refellit, non longè abſunt plerique Thomiſtæ præſertim Recentiores, necnō etiā Ferrarienſis lib. 3. contra Gentes cap. 7. vbi ita loquitur: *Duplex vis ad agendum rebus creatis ineſt dum agunt; vna eſt forma habens eſſe firmum, & ratum in natura; per quam agunt tanquam propriâ, & naturali virtute. Alia eſt vis, qua eſt intentio ſola virtutis diuina habens eſſe incompletum, per modum quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento: Et iſta vis non conuenit rebus, niſi quando actualiter operantur, & agunt, tanquam diuina virtutis inſtrumenta, ſicut & virtus artis non remanet in inſtrumento, niſi quando ipſo vtitur ad operationem artis.* Quæ verba, maxima ex parte ſumpſit ex S. Thoma, quæſt. 3. de Potentia art. 7. ad 7.

Auguſtinus Nyphus.

Ferrarienſis doctrina & Recentiorū Thomiſt.

Digitized by Google

2. Eiusmodi autem vim, & virtutem Thomiſtæ Recentiores putant eſſe formam inhærentem, & qualitatem realem, non quidem ſolidam, firmam, & permanentem, ſed veluti ſpiritualem & intentionalem in cauſa, cùm agit, à Deo receptam, & tandiu ſolùm durantem, quandiu durat cauſæ ſecundæ actio: quam alij determinationem Phyſicam, alij motionem ipſius cauſæ ſecundæ appellant. Et quia cauſa ſuperior inferiorem, vniuerſalis particularem, & prima ſecundas ſibi ſubordinatas mouere, & naturâ priùs agere, & influere in effectum dicitur, particulam *præ* illam anteceſſionem & prioritatem naturæ in agendo importantē motioni, & determinationi præfigentes, vulgò nunc in Scholis, ſcriptiſque hac de re libris, prædictam qualitatem Præmotionem, & Prædeterminationem Phyſicam, & qui illam tuentur Prædeterminantes appellant. Quamquam Didacus Aluarez, inſignis ejus propugnator, de Auxilijs lib. 3. diſp. 19. negat eſſe qualitatem, vultque eſſe quid medium inter actum primum, & ſecundum à Deo ſolo productum.

Contraria ſententia longè probabilior.

3. Alii verò, & pene reliqui omnes tam Theologi, quàm Philoſophi ejuſmodi qualitatem reijciunt, voluntque Deum cum cauſis ſecundis tam liberis, quàm neceſſarijs ad agendum concurrere, eas mouere, determinare, cum illis coagere per ipſammet earum ſubſtantiam, & ſolas virtutes, potentias, & qualitates Phyſicas à natura ipſis inſitas: itaut Deus cum igne v. g. concurrat per ſuum calorem, cum aqua per ſuum frigus, cum ſole per lucem ſuam, cum homine per ſuas potentias, tam ſenſitiuas, quàm intellectiuas, ſine vlla alia eis ſuperaddita qualitate quaſi ſpirituali ad earum virtutem natiuam excitandam, complendam, roborandam, & determinandam. Quæ ſententia longè videtur probabilior, probaturque multis, & non infirmis argumentis.

1. Argum.

4. Primum illa motio, illudque ens, & eſſe incompletum in agente creato ab eo re diſtinctum, & cùm agit à Deo receptum, vel eſt potentia, vel actus: neutrum dici poteſt. Non *pôtentia paſſiua*, quia non eſſet principium actionis: Neque *actus*. Eſſet enim, vel primus, vel ſecundus. Non *ſecundus*, quia eſſet ipſa actio agentis, quod ipſi nolunt; & præterea re idem eſſet cum ipſo termino, qui producitur, quique eſt

Quod non ſit forma.

Digitized by Google

extra ipſum agens. Neque eſt *actus primus*, vel enim eſt per ſe ſtans, vt Angelus, vel informans. Non per ſe ſtans, vt patet, & fatentur. Neque informans, quia nec eſt ſubſtantialis, vt patet: neque accidentalis. Cujus enim erit Categoriæ? Non *quantitatis*, quia non eſſet in agentibus ſpiritualibus: & præterea quantitas propriè actiua non eſt. Neque qualitatis. Cujus enim ſpeciei qualitatis? Neque relationis, vt perſpicuum eſt. Et ſic de alijs categorijs. Dicit Aluarez ſupra, eſſe quid medium inter actum primum, & ſecundum: quod admodum nouum, & prorſus ſine ratione dictum videtur: eſtque actum ſecundum facere tertium. Si quid enim medium inter duo interponas, quod erat ſecundum, fiet tertium. Quod ſi dicant illam motionem, cùm ſit ens imperfectum, in categoria eſſe ſui termini. Sed contra omnis motus re idem eſt cum ſuo termino: illa autem motio eſt in agente, non in termino, & à ſubjecto in quo recipitur, & à termino qui per eam producitur, re diſtinctam eſſe volunt.

5. SECVNDVM argumentum. Cùm non tantùm Angeli, vel Cœli, Sol, Luna, & ſydera, ſed etiam Elementa, ac mixta tam animata, quàm inanimata perpetuò agant, qualitas hæc per quam Deus cum eis concurrit, æquè ſolida, diuturna, & permanens erit, ac cæteræ earum virtutes, & qualitates naturales. Et in Beatis concurſus Dei cum eorum intellectu, & voluntate ad videndum, & amandum Deum in eis erit qualitas tam nobilis, tamque ſolida & perpetua; quàm ipſa Dei viſio, & amor beatificus: inauditum autem eſt in Theologia, præter lumen gloriæ, aliam requiri qualitatem. *2. Argum.*

6. TERTIVM argumentum. Non ſunt multiplicanda entia ſine ratione, & neceſſitate. At prædicta qualitas nullo modo neceſſaria eſt, ſiue ex parte Dei, ſiue ex parte cauſæ ſecundæ. Non ex parte Dei. Nam vel vt ſimpliciter agat, vel vt agat immediatè, vel vt per cauſam agat, eamque moueat ad agendum, vel vt eâ agat priùs naturâ. Non *primum*, cùm Deus, ſe ſolo, effectum cauſæ ſecundæ producere poſſit. Neque *ſecundum*, ſiue enim qualitas adſit, ſiue abſit, Deus aget ſemper immediatè immediatione tam ſuppoſiti, quàm virtutis, vt conſtat ex dictis præcedentibus Capitibus. Neque *tertium* quia & ignis per ſuum calorem, & anima per ſuas *3. Argum.* *Qualitas prædetermi-nans non eſt neceſſaria.*

Digitized by Google

potentias, ſuoſque habitus, & vniuerſim omnes formæ ſubſtantiales per ſuas virtutes, & qualitates naturales operantur, eaſque mouent ad operandum abſque eo quòd vllam eis nouam infundant formam, & qualitatem, quâ roborentur, & compleantur ad agendum. Neque *quartum* quia ſine qualitate prædeterminante omnes habet titulos agentis prius naturâ, quos præcedenti capite 60. expoſuimus, ẽperque per ipſam cauſam ſecundam aget, ſemper eam mouebit, & eâ ejuſque virtutibus vtetur ad effectum cauſæ ſecundæ producendum.

Non eſt neceſſaria ex parte cauſa ſecunda. NEQVE neceſſaria eſt ex parte cauſæ ſecundæ, quaſi ejuſmodi qualitas ſit complementum virtutis actiuæ naturalis, quâ roboratur, & potentior ſit ad agendum. Nam vnde habent Aduerſarij agentium naturalium virtutes actiuas ſine tali qualitate incompletas eſſe. Etſi enim ſine Deo illis cooperante, & eas mouente nihil efficere poſſint, non tamen inde ſequitur Deum eas mouere, illis cooperari, eis vti per ejuſmodi qualitatem ſuperadditam.

DEINDE ſi prædicta qualitas eſt forma informans cauſam ſecundam ſiue liberam, ſiue neceſſariam, æquè in ipſius cauſæ ſecundæ poteſtate erit, & eâ non minus aget ac vtetur ad effectum ſuum producendum, quàm ſuis alijs virtutibus actiuis, tametſi minùs duret. Quare illâ eâdem Deus non magis vtetur, quàm ipſa cauſa ſecunda, vel quàm vtitur virtutibus cauſæ ſecundæ permanentibus, & a natura inſitis.

4. Argum. QVARTVM argumentum. Motio, præmotio, & prædeterminatio, quâ Deus cauſas ſecundas mouet, & cum eis concurrit ad agendum, eſt actio & operatio quædam: Propterea enim concurſus appellatur, ſcilicet actionum ad eundem effectum: imò vna & eadem eſt actio & operatio Dei & cauſæ ſecundæ prout à Deo mouetur, ex S. Thom. 3. part. quæſt. 19. art. 1. vbi hæc habet. *Operatio qua eſt rei ſolùm ſecundùm quod mouetur ab alio, non eſt alia præter operationem mouentis ipſam: ſicut facere ſcamnum, non eſt ſeorſum operatio ſecuris ab operatione artificis, ſed ſecuris participat inſtrumentaliter operationem artificis* &c. Vult ergo quòd inciſio ſecuris, prout mouetur à fabro, eſtque ſcamnificatio, vna & eadem eſt & fabri & ſecuris actio. At forma mouens & prædeterminans non eſt actio; ſed qua-

Digitized by Google

litas, & forma inhærens ipſi cauſæ ſecundæ, vt volunt ejus defenſores, eademque eſt re diſtincta ab effectu, qui producitur, cùm ſit in ſubjecto diuerſo. Actio enim in doctrina S. Thomæ ex parte termini re eadem eſt cum illo. Igitur prædicta qualitas non poteſt eſſe motio, ſeu prædeterminatio cauſæ ſecundæ.

7. QVINTVM argumentum. Duplex, vt notat S. Thom. quæſt. 5. de potentia, art. 8. in agentibus corporeis eſt actio: Vna *materialis*, propria corporum, vt calefactio, frigefactio, & ſimiles alterationes ad rerum generationem & corruptionem tendentes: Altera *intentionalis* & quaſi ſpiritalis, quæ non eſt ad materiæ tranſmutationem, ſed ſolùm ad quandam ſuæ formæ, & ſimilitudinis in medio, atque in ſenſu, & intellectu noſtro diffuſionem; quo modo ſol aërem illuminat, & color ſui ſpeciem per medium diaphanum tranſmittit: ad neutram autem Deus concurrit per formam, & qualitatem agentibus naturalibus ſuperadditam. Non ad hanc ſecundam, quia cùm ſit actio intentionalis, ejuſque effectus entitatem ſolùm intentionalem habeat, forma à Deo agenti impreſſa, æquè firma, fixa, & ſolida erit, ac ipſe effectus, ipſaque actio intentionalis. Neque ad primam tantùm, cùm ſecundi generis actiones æquè nobiles, imò præſtantiores ſint actionibus primi generis, quia ſpirituales, & quia plurimæ intellectus, ac voluntatis noſtræ actiones alicujus nouæ qualitatis auxilium magis poſtulare videntur. *5. Argum.* *Duplex genus actionis naturalis.*

8. SEXTVM. Analogia inſtrumenti, quo ars ſeu artifex ad opus ſuum vtitur, v. g. faber malleo, aut limâ ad formandam clauem, ſcriba calamo ad ſcribendum, Aduerſarios ad ſuam opinionem de concurſu Dei per qualitatem cauſis ſecundis ſuperadditam, ſtabiliendam, nihil prorſus juuat: Tum quia artifex nullam imprimit nouam qualitatem, & formam inhærentem inſtrumento, quod ad opus ſuum adhibet: Tum quia motus quo inſtrumentum ab arte, & à cauſa agente principali, moueri, ſeu virtus artis, quam ab ea recipere dicitur, aliud nihil eſt, quàm ipſe vſus inſtrumenti, ejuſque actionis propriæ ad opus, & effectum agentis principalis, v. g. ſecuris, ejuſque duritiei & acuminis ad ſecandum, & ſectionis ad ſcamnum efficiendũ, vt docet S. Thom. ſupra 3. part. q. 19. *6. Argum.* *Quid ſit virtus inſtrumenti recepta ab agẽte principali.*

Digitized by Google

art. 1. & quæſt. 62. art. 1. & 4. hic autem vſus non eſt qualitas inſtrumento ab agente principali impreſſa: Tum quia vt interdum artifex inſtrumentum, quo vtitur, moueat localiter, talis motus nihil ponit intrinſecum mobili, cùm aliud nihil ſit, quàm ſucceſſiua acquiſitio loci extrinſeci, ſeu applicatio ſucceſſiua corporis cōtenti ad primam ſuperficiem continentis, vt docuimus lib. de hypoſtaſi cap. 54. num. 18. ex Philoſopho, & S. Thoma; & ita communiter tenent Thomiſtæ. Igitur argumentum ex prædicta Analogia ductum magis probat nullam à Deo imprimi qualitatem, & formam inhærentem cauſis ſecundis, quando eis vtitur ad agendum.

7. *Argum.* 9. SEPTIMVM. Sine ejuſmodi qualitate, & forma Deum concurrere cum cauſis ſecundis agentibus non implicat contradictionem. Neque ex parte Dei. Si enim ſe ſolo, & ſine vlla qualitate effectum cauſæ ſecundæ producere poteſt, multò magis cum cauſa ſecunda concurrens. Neque ex parte ipſius cauſæ ſecundæ. Semper enim Deo in agendo eſſentialiter ſubordinata erit, & ſemper verum erit, quòd ſine Deo agente nihil operari poteſt.

8. *Argum.* OCTAVVM. Si prædicta qualitas eſt neceſſaria, ſequitur omne agens creatum agendo pati, alterari, & recipere aliquid. Cùm enim incipiet agere, nouam recipiet qualitatem: quod eſt abſurdum. Deinde cur cauſa efficiens creata ad agendum noua qualitate magis indiget, quàm cauſa materialis aut formalis, vt ſint cauſæ actu?

9. *Argum.* NONVM. Prædictam qualitatem multæ circunſtant quæſtiones, & difficultates nullâ probabilitate extricabiles. Exempli gratiâ. *Sintne ejuſdem ſpeciei infima in omnibus cauſis ſecundis, nec ne?* Non primum, cùm ipſæ cauſæ ſecundæ, earumque effectus naturâ & perfectione ſint admodum inæquales. Nec ſecundum, quia erunt pene innumeræ nouæ qualitatum ſpecies. Et de qualibet quæri poterit, ſitne ejuſdem ſpeciei infimæ cum ipſa cauſa ſecunda, ejuſque virtute innata, quam afficit, & roborat, an diuerſæ? Sitne capax intenſionis, & remiſſionis, an non? ſi capax: an remittatur, cùm vis natiua cauſæ ſecundæ agit remiſſiùs, & intendatur, cùm intenſiùs? Si non eſt capax, eadem ergo erit in omnibus. An habeat contrarium necne? v. g. an motio, ſeu qualitas motiua frigoris

goris in aqua ad producendum frigus ſit contraria qualitati motiuæ caloris ? An quando plures cauſæ ſecundæ ſubordinatæ ad eundem effectum concurrunt, vt Intelligentia, Sol, Luna, Aqua, Terra, Aër, arbor ad fructum producendum, quælibet ſuam motionem, & qualitatem à Deo recipiat; necne ? & ſi quælibet recipit, an à Deo immediatè, an vna per aliam ? An in cauſis artificialibus inſtrumentum virtutem vnam motiuam à Deo, & alteram ab arte, quæ eſt in mente artificis, recipiat ? & aliæ ſimiles.

Quid ſit Motio, quâ Deus cauſas ſecundas tam liberas, quàm neceſſarias mouere, & cum illis in agendo concurrere dicitur.

CAPVT LXIII.

1. CONSTAT ex præcedenti Capite non eſſe formam inhærentem, & qualitatem realem, ſiue Phyſicam, ſiue intentionalem ipſi cauſæ ſecundæ à Deo impreſſam, quando cum ea concurrit ad agendum: Sed neque eſt ſimpliciter Deum cum illa agere. Nam duo equi eandem bigam trahentes, & duo homines idem pondus ferentes coagunt, & ſeſe juuant inuicem ad eundem effectum, nec tamen vnus alterum mouet.

NEQVE item eſt Deũ conſeruare tantùm entitatem, & virtutem naturalẽ cauſæ ſecundæ. Poteſt enim ſtare illa conſeruatio ſine motione, quando nimirum cauſa ſecunda exiſtens non agit etiam in paſſiuum ſibi proximum, vt ignis fornacis Babylonicæ. Igitur cauſæ ſecundæ à Deo motio, præter hæc, dicit aliquid aliud.

DIVVS Thomas quæſt. 3. de Potentia art. 7. lib. 3. contra Gentes, cap. 67. & 1. part. quæſt. 105. art. 5. exponens quomodo Deus operetur cum cauſis ſecundis, ſitque cauſa actionis earum, quatuor, aut quinque affert modos, ſeu titulos, propter quos eas mouere, & cum eis agere dicitur. *Quot modis Deus operetur cum cauſis ſecundis.*

2. PRIMVS eſt, quòd & naturam, & formam, & virtu-

tem actiuam naturalem, quam habent, eis dederit. Itaque hoc ſaltem ſenſu eas mouere dicitur, quo Philoſophus lib. 8. Phyſico. textu 33. docet grauia, & leuia moueri ſurſum, & deorſum à generante, quia ab eo ſuam grauitatem, & leuitatem accepere. Verùm iſte motionis modus, eſt valdè imperfectus, eſtque, vt diximus cap. 57. nō per ſe, ſed per accidens tantùm, cauſam eſſe actionis & motus, qui producitur à re genita. Nam eo ſenſu ignis jam extinctus, aut valde remotus ab eo, quem produxiſſet, ſi hic ſurſum moueatur, aut lignum comburat, eum mouere dici poſſet; quod eſt valde impropriè loqui.

2 Quod eas conſeruet cū agunt, & vt agant.

3. ITAQVE alio ſecundo, eoque magis proprio, ſenſu cauſas ſecundas Deus mouet ad agendum, nempe *quòd eas conſeruet*. Nam mouere interdum latiùs ſumitur, pro qualibet agentis actione, reique productione, ſiue prima, ſiue continua, quæ rei conſeruatio dicitur. Deus autem in cauſis ſecundis cùm agunt, verè agit, & continuè producit, non qualitatem nouam, ſed ipſam earum entitatem, & virtutem, quâ agunt, & vt agant, eamque illis dat, & continuè conſeruat, propterea continua hæc earum conſeruatio, quædam illarum eſt motio, & Deus eas ad agendum mouere, & inclinare dicitur.

3. Modus eſt quia ijs vtiturvt inſtrumentis.

4. TERTIÒ. Eo modo quo anima rationalis intellectum, & voluntatem, aliaſque ſuas potentias naturales & virtutes actiuas mouere dicitur ad agendum, quando ſimul cū eis, & per eas operatur: & quo calor naturalis ab anima vegetatiua moueri dicitur, quando per eum, & cum eo alimentum digerit, & conuertit in ſubſtantiam propriam viuentis; aut quemadmodum ſecuris ab artifice moueri, & virtutem artis participare dicitur, quando ab ea certo quodam modo, & menſura adhibetur ad lignum ſecandum, & in illud formam ſcamni inducendum: ac vniuerſim accidentia in virtute ſubſtantiæ, cujus ſunt proprietates, & inſtrumenta in virtute agentis principalis dicuntur agere, & ab eo moueri, cùm agunt. Quò fit vt, pro diuerſitate agentium principalium, à quibus mouentur, diuerſos effectus producant. Aliam enim formam, aliumque effectum habet color in igne, alium in arbore, alium in leone, in equo, & in homine: Ita cùm crea-

Digitized by Google

turæ omnes à Deo in agendo magis dependeant, quàm virtutes accidentales à forma ſubſtantiali, & inſtrumenta ab agente principali: ſintque ex naturali ſua conditione veluti Dei inſtrumenta & virtutes finitæ, infinitæ Dei omnipotentiæ eſſentialiter ſubordinatæ, quodque ſunt, quod habent, quod poſſunt, & agunt, Dei magis ſit, quàm ipſarummet, propterea in virtute Dei, & primæ cauſæ agere, & hæc illas ad agendum interiùs mouere, inclinare, inflectere, & impellere dicitur: præſertim cùm Deus intimè eis præſens ſit, & eas continuè producat, & ſuam omnipotentiam, ac virtutem infinitam cum creatæ cauſæ ſecundæ virtute ita conjungat, vt hæc illi in agendo ſeruiat, ſubſit, ac ſubordinetur, & per eam tanquam per ſecundariam ſuam virtutem ejuſdem effectum attingat, & producat. NOTA.

5. CREATVRAS enim reſpectu Dei agentis cum illis quædam ejus inſtrumenta eſſe, ex eo patet, quòd inſtrumenti in cauſis efficientibus ratio propria ſit *mouens motum*, ex D. Thom. lib. 2. contra Gentes, cap. 21. & Alenſi in text. 6. lib. 2. Metaphyſic. *Mouens* quatenus agit, & attingit effectum; *Motum* autem quatenus agit virtute cauſæ principalis, vel virtute ab ea acceptâ, & nonniſi cauſâ principali cum eo agente, vt patet in inſtrumentis tam artis, quàm naturæ: at creaturæ omnes, & quas habent virtutes, quibus agunt, à Deo accepêre, & ſine eo per illas agente, nihil efficere poſſunt. Igitur verè ſunt inſtrumenta, & mouentia mota, ſoluſque Deus abſolutè cauſa principalis, quia ita eſt mouens, vt à nemine moueatur, nec in cujuſquam virtute agat. In ordine enim cauſarum, ad eundem effectum per ſe concurrentium ſuperior cauſa reſpectu inferioris dicitur principalis, & inferior inſtrumentalis, & hæc in illius, non illa in hujus virtute agit. Neque dixeris inſtrumentum ignobilius eſſe debere ſuo effectu, cum vniuersè id verum non ſit. Artifex enim malleo vno, vt inſtrumento, ad alterum, & limâ vnâ ad alteram efficiendam vti poteſt, ipſæque naturales animæ noſtræ facultates nobiliores ſunt pleriſque noſtris operibus, præſertim externis.

Quid ſit inſtrumentum.

Creaturæ reſpectu Dei ſunt inſtrumenta.

Inſtantia.

Refellitur.

6. QVARTÒ modo Deus cauſam ſecundam mouere dicitur ad agendum, quatenus eam, & ejus effectum dirigit, &

Digitized by Google

4. *Titulus eſt quia cauſam ſecundã ordinat & dirigit.* ordinat ad bonum, & finem, non ſolùm cuique proprium, & particularem; ſed etiam in commune bonum vniuerſi, atque adeò ad ſeipſum, eſtque cauſa finalis omnium agentiũ, vt habet S. Thom. 1. 2. quæſt. 109. art. 6. his verbis. *Neceſſe eſt, cùm omne agens agat propter finem, quòd omnis cauſa conuertat ſuos effectus ad ſuum finem: & ideo cùm ſecundùm ordinem agentium, ſiue mouentium ſit ordo finium, neceſſe eſt quòd ad vltimum finem conuertatur homo per motionem primi mouentis: ad finem autem proximum per motionem alicujus inferiorum mouentium: ſicut animus militis conuertitur ad quærendum victoriam ex motione ducis exercitus; ad ſequendum autem vexillum alicujus aciei ex motione tribuni.* Cauſa autem finalis, eſt non ſolùm prior alijs omnibus cauſis, & earum cauſalitatibus; ſed eſt omnium prima, & potiſſimùm Deus, qui eſt finis vltimus rerum omnium hoc nomine prior erit actione cujuſcunque agentis creati, illudque mouere dicetur.

5. *Titulus quia applicat.* 7. QVINTÒ. Cùm motus localis omnium primus ſit, vt probat Philoſophus lib. 8. Phyſic. text. 55. nobiſque notiſſimus, & agentia tam naturalia, quàm artificialia, vt plurimùm per præuium, aut comitantem aliquem motum localem ſuis paſſiuis, vt agant, applicentur; propterea qui agens aliquod applicat paſſiuo, in quod agit, id illud mouere dicitur ad agendum: Deus autem cauſas ſecundas ſubjectis & paſſiuis, in quæ agant, vel per motum localem, vel ſine eo applicat, vt cùm potentias, & virtutes in anima producit, propterea metaphoricâ quâdam loquendi ratione cauſas ſecundas mouere dicitur ad agendum: eâdemque locutionis figurâ, voluntatem noſtram trahere, pellere, inclinare dicitur, cùm pulſus, & tractus propriè non niſi motus localis ſint ſpecies, ex Philoſopho lib. de inceſſu animalium cap. 2.

MOTIO igitur, quâ Deus cauſas ſecundas mouere dicitur, aliud nihil eſt, quàm ipſa earum applicatio, & vſus ad earum effectus cum illis, & per illas producendos; vel eſt ipſa cauſa ſecunda prout Deus cum ea, & per eam illius effectum attingit.

Digitized by Google

Quod S. Thomas nullam agnouerit qualitatem, quam vocant prædeterminantem, in voluntate, alijſque agentibus, à Deo, quando cum illis concurrit, receptam.

CAPVT LXIV.

1. QVANDOQVIDEM in ſuam hanc de qualitate prædeterminante opinionem ejus aſſertores venêre, ſolâ ducti authoritate S. Thomæ, quē ita ſenſiſſe, ex nō ſana quorundā ejus verborū intelligentia ſibi perſuaſerunt, eripienda etiam illis eſt hæc defenſio, & monſtrandum S. Doctorem nunquam fuiſſe in ea, 1. *Probatio.*
in qua ſunt, ſententia. Quod ex eo in primis manifeſtè oſtenditur, quòd credibile non ſit tantum Doctorem, in quæſtionibus Philoſophicis, & Theologicis diſcutiendis tam ſubtilē & accuratum, in definiendis tam ſolidum, tantoque ingenio, & tā acri maturoque judicio, eam rem affirmare voluiſſe, quæ nullâ authoritate vel Scripturæ, vel SS. PP. aut DD. Scholaſticorum, nullâ ratione, ſpeciem vllam probabilitatis habente, ſuſtineri poſſit. Fateor enim pro hac qualitate nullam me hactenus vel legiſſe, vel audiuiſſe, & ſi quam habent Aduerſarij, proferant.

SECVNDÒ oſtenditur ex eo quòd cùm, vt habet 1. part. quæſt. 103. à 4. duo ſint effectus diuinæ gubernationis, ſcilicet, *conſeruatio rerum in bono, & motio earum ad bonum*. De 2. *Probatio.*
hac motione agens poſtea tota quæſt. 105. prædictæ qualitatis, & formæ in agentibus receptæ nuſquam meminerit; ac ſpeciatim art. 3. cujus titulus eſt, *vtrum Deus moueat immediatè intellectum creatum:* de hac intellectus per qualitatem motione nihil planè habet: imò eam euidenter excludit his verbis. *Operationis intellectus duplex eſt principium in intelligente. Vnum, quod eſt ipſa virtus intellectualis: aliud eſt ſimilitudo rei intellectæ. Dicitur ergo aliquid mouere intellectum, ſiue det intelligenti virtutem ad intelligendum, ſiue imprimat ei ſimilitudinem*

Digitized by Google

rei intellectæ: vtroque modo Deus mouet intellectum creatum, in quantum dat ei virtutem vel naturalem, vel ſuperadditam ad intelligendum, & in quantum imprimit ei ſpecies intelligibiles, & vtrumque tenet, & conſeruat in eſſe. Et poſtea ad ſecundum. *Lumen intellectuale*, inquit, *ſimul cum ſimilitudine rei intellectæ eſt ſufficiens principium intelligendi.* Et ſimiliter art. ſequenti agens de motione voluntatis à Deo, nullam mentionem facit vllius qualitatis eam prædeterminantis: ſicut nec prima ſecundæ quæſt. 10. art. 4. in quo de eadem motione voluntatis à Deo tractat.

3. Probatio.

2. TERTIÒ, quia neque de eadem qualitate motiua quidquam habet lib. 3. contra Gentes Cap. 66. 67. 68. 69. 70. quæ ſunt de concurſu Dei cum cauſis ſecundis; ac nominatim cap. 67. in quo docet, quòd Deus eſt cauſa operandi omnibus operantibus multis modis, vt notat Ferrar. ibidem, videlicet, quatenus dat illis virtutem, quâ operantur, quatenus eam conſeruat, quatenus applicat, quatenus tanquam agens principale mouet ſecundarium, & quatenus vniuſcujuſque operationem in finem dirigit. Et cap. 70. hæc habet. *In quolibet agente eſt duo conſiderare, ſcilicet rem ipſam, quæ agit, & virtutem, quâ agit: ſicut ignis calefacit per calorem. Virtus autem inferioris agentis dependet à virtute ſuperioris, in quantum ſuperius dat virtutem inferiori, per quam agit, vel conſeruat eam, aut etiam applicat ad agendum, ſicut artifex applicat inſtrumentum ad proprium effectum, tamen interdum formam non dat, per quam agit inſtrumentum, nec conſeruat, ſed dat ei ſolum motum.*

Quot modis Deus ſit cauſa operandi cauſis ſecundis.

4. Probatio.

3. QVARTÒ de Deo, prout ab ipſo per gratiam adjuuamur ad intelligendum, volendum, & agendum, deque auxilio gratiæ diuinæ habitualis, & actualis, operantis, & cooperantis, præuenientis, & ſubſequentis ex profeſſo diſputans pleniſſimè prima ſecundæ quæſt. 109. 110. 111. 112. nullam planè mentionem facit vllius qualitatis realis vel intentionalis, quâ Deus nos moueat ad agendum; ſed ſæpius admonens locis citatis, & maximè art. 2. quæſt. 112. gratiam dici dupliciter: Quandoque ipſum habituale donum Dei; quandoque auxilium Dei mouentis animam ad bonum: hoc auxilium *motionem animæ appellat*, quam nullo modo vult eſſe qualitatem intentionalem animæ noſtræ ſuperadditam, ſed tan-

tùm eſſe bonum ipſum actum liberi arbitrij à Deo moti, quo præparamur ad gratiam habitualem ſuſcipiendam. Nam art. 1. quæſt. 109. ejuſmodi Dei motionem comparat motioni, quâ corpus cœleſte mouet ſublunaria, & inferiora, quando agunt. *Manifeſtum*, inquit, *eſt, quòd ſicut motus omnes corporales reducuntur in motum cœleſtis corporis, ſicut in primum mouens corporale. Vnde quantumcunque ignis habeat calorem perfectum non alteraret, niſi per motionem corporis cœleſtis: ita omnes motus tam corporales, quàm ſpirituales reducuntur in primum mouens ſimpliciter, quod eſt Deus, & ideo quantumcunque natura aliqua corporalis, vel ſpiritualis ponatur perfecta, non poteſt ſuum actum producere, niſi moueatur à Deo.* At certum eſt corpora cœleſtia, cùm mouent inferiora ad agendum, nullam eis imprimere nouam qualitatem realē vel intentionalem, eorum virtutibus naturalibus ſuperadditam, quâ careant, cùm non agunt. ***Notanda comparatio.***

IMO illâ 110. quæſt. art. 2. ejuſmodi Dei motionem, quâ adjuuamur, diſertè negat eſſe qualitatem. *Dupliciter*, inquit, *ex gratuita Dei voluntate homo adjuuatur. Vno modo inquantum anima hominis mouetur à Deo ad aliquid cognoſcendum, vel volendum, vel agendum: & hoc modo ipſe gratuitus effectus in homine non eſt qualitas; ſed motus.* Actus enim mouentis in motu eſt actus. *Alio modo adjuuatur homo ex gratuita Dei voluntate, ſecundùm quod aliquod habituale donum à Deo animæ infunditur.*

5. QVINTÒ, S. Thom. q. 3. art. de Potentia 7. ad 7. ex quo vno loco de motione & præmotione Phyſica opinionem hauſere Thomiſtæ, non dicit Deum rebus naturalibus, quando cum illis concurrit, dare vllam formam, aut qualitatem inhærentem, ſed ſolùm virtutem inſtrumentalem habentem quoddam eſſe incompletum: ita enim loquitur. *Quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, eſt, vt intentio ſola habens quoddam eſſe incompletum, per modum, quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento artificis; ſicut ergo ſecuri per artem dari potuit acumen, vt eſſet forma in ea permanens, non autem dari ei potuit, quòd vis artis eſſet in ea, quaſi quædam forma permanens, niſi haberet intellectum: ita rei naturali potuit conferri virtus propria, vt forma in ipſa permanens, non autem vis, quâ agit ad eſſe vt inſtrumentum primæ cauſæ. Nec iterum virtuti naturali conferri potuit, vt moueret ſeipſam, nec vt conſeruaret ſe in eſſe, vnde*

Digitized by Google

ſicut inſtrumento artificis conferri non potuit, quòd operaretur abſque motu artis, ſic rei naturali conferri non potuit, quòd operaretur abſque operatione diuina. Et certè in Corpore illius Articuli, in quo præclaro, & lectu digniſſimo diſcurſu, docet Deum eſſe cauſam omnis operationis naturæ & voluntatis, ſeu cujuſlibet agentis creati, inquantum dat ei virtutem agendi, inquantum eam cõſeruat, illudque mouet & applicat ejus virtutem ad agendũ, & inquantum ejus virtute omnis virtus creata agit, quando illam à Deo motionem explicat, & quando declarat, quomodo omnia agant in virtute cauſæ primæ, & vt ejus inſtrumenta, nullius planè formæ, aut qualitatis à Deo principali agente eis communicatæ mentionem facit, quod tamen facere debuiſſet; Imò nec in ipſa ſolutione argumenti ſeptimi, quod tale eſt. *Si Deus agenti naturali tribuit aliquid ad agendum præter virtutem eius naturalem, vel illud ſufficit vt operetur, vel non ſufficit. Si ſufficit, & hoc ipſum dici debuit de virtute naturali ei jam conceſſa, poteritque Deus per illam ſolam cum eo operari. Si non ſufficit, ſed alia apponitur, idem de ea fiet argumentum, quod de priori. Vel enim cum priori virtute, ſe ſolis, ac Deo nihil ampliùs cum illis cooperante, agent, quod eſt impoſſibile, vel ſi aliam tertiam ſuperaddat virtutem erit progreſſus in infinitum: effectum autem aliquem pendere ab actionibus infinitis eſt impoſſibile.* Huic argumento reſpondet quod ante dictum eſt, *id quod fit à Deo in re naturali quo actu agat, eſt vt intentio ſola habens eſſe incompletum, per modum quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento artificis.* At certum eſt nullam virtutem per modum formæ inſtrumento tribui ab artifice. Quænam enim illa erit? Et præterea, ſi Deus agenti creato formam informantem & qualitatem inhærentem tribuat, argumentum propoſitum nullo modo ſoluet S. Thom. valebitque illatio, vel progreſſus in infinitum in formis & qualitatibus, vel formæ ac virtutis alicujus creatæ per ſe, ac ſine Deo concurrente, operantis, & aliquid producentis.

6. ITAQVE S. Doctor neque hìc neque in 4. diſtin. 1. quæſt. 2. & 4. vbi agit de virtute cauſatiua gratiæ in Sacramentis, dicit id, quod fit à Deo in re naturali, quo actu agat, eſſe formam, & qualitatem aliquam Phyſicam, aut intentionalem, ſed ſolùm eſſe *vt intentionem, & habere eſſe incompletum*

completum per modum, quo colores ſunt in aëre, & virtus artis eſt in inſtrumento artificis, cùm eo vtitur: Artifex autem cùm ſuo aliquo vtitur inſtrumento, vel ſolùm motum localem, eumque certâ quâdam proportione, & menſurâ ei tribuit, vt faber ſecuri, pictor penicillo, ſcriba calamo accommodatè ſcilicet, ad lectum, aut cathedram, aut ſcriptionem, propriumque artis effectum: vel ſi agentium, & virtutum naturalium miniſterio vtatur, vt coquus ignè, medicus herbis, radicibus, ſuccis, &c. certam ſolùm eis dat proportionem effectui, quem intendit accommodatam: Motus autem localis, vt antea monuimus, in doctrina S. Thomæ, & noſtra, nihil ponit intrinſecum in corpore moto, cùm ſit tantùm ſucceſſiua quædam coexiſtentia, & applicatio corporis contenti ad continentis ſuperficiem. Et ſimiliter proportio, ac menſura agentium, & virtutum naturalium, quibus ars ad ſuum opus, velut inſtrumento vtitur, nulla eſt forma, vel qualitas phyſica ab eis re diſtincta.

7. Cvm autem ait S. Thomas virtutem artis ingredi, & quodammodo eſſe in inſtrumentis, nullam propterea nouam formam intrinſecam eis aduenientem intelligit: ſed tantùm vult eorum virtutem inſtrumentariam, ſiue naturalem, ſiue artificialem, ſiue obedientalem, non quocunque, ſed certo tantùm modo ab agente principali adhibitam, ejus effectum attingere. Nam, vt habet Ariſtot. lib. 1. de generatione Animalium cap. 20. *Anima, in qua eſt forma, & ſcientia, mouet manus, aut aliud membrum, motu certa qualitatis, vel diuerſo, à quibus efficitur diuerſum, vel eodem, à quibus idem: Manus autem, inſtrumentaque mouent. Ita natura maris ſemen emittentis vtitur eo ſemine, quaſi inſtrumento, & actu habente motum, vt in operibus artium inſtrumenta mouentur. In illis enim quodammodo motio artis eſt.* ***Ariſtoteles.***

8. Qvamobrem comparatio illa ejus *eſſe incompleti*, quod fit in inſtrumento ab agente principali, & à Deo in rebus, quo actu agant, ad ſpecies intentionales, & ad modùm, quo colores ſunt in äëre; non eſt accipienda ſecundùm omnes vtriuſque rei conditiones. Neque enim vlla eſt ſimilitudo, vel artis in inſtrumento, vel arboris in Sole, quo Deus vtitur: nec ſicut ſpecies intentionales coloris ſunt ***Vt ſit accipienda comparatio inſtrumenti.***

Ddd

ſicut inſtrumento artificis conferri non potuit, quòd operaretur abſque motu artis, ſic rei naturali conferri non potuit, quòd operaretur abſque operatione diuina. Et certè in Corpore illius Articuli, in quo præclaro, & lectu digniſſimo diſcurſu, docet Deum eſſe cauſam omnis operationis naturæ & voluntatis, ſeu cujuſlibet agentis creati, inquantum dat ei virtutem agendi, inquantum eam cõſeruat, illudque mouet & applicat ejus virtutem ad agendũ, & inquantum ejus virtute omnis virtus creata agit, quando illam à Deo motionem explicat, & quando declarat, quomodo omnia agant in virtute cauſæ primæ, & vt ejus inſtrumenta, nullius planè formæ, aut qualitatis à Deo principali agente eis communicatæ mentionem facit, quod tamen facere debuiſſet; Imò nec in ipſa ſolutione argumenti ſeptimi, quod tale eſt. *Si Deus agenti naturali tribuit aliquid ad agendum præter virtutem eius naturalem, vel illud ſufficit vt operetur, vel non ſufficit. Si ſufficit, & hoc ipſum dici debuit de virtute naturali ei jam conceſſa, poteritque Deus per illam ſolam cum eo operari. Si non ſufficit, ſed alia apponitur, idem de ea fiet argumentum, quod de priori. Vel enim cum priori virtute, ſe ſolis, ac Deo nihil ampliùs cum illis cooperante, agent, quod eſt impoſsibile, vel ſi aliam tertiam ſuperaddat virtutem erit progreſſus in infinitum: effectum autem aliquem pendere ab actionibus infinitis eſt impoſsibile.* Huic argumento reſpondet quod ante dictum eſt, *id quod fit à Deo in re naturali quo actu agat, eſt vt intentio ſola habens eſſe incompletum, per modum quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento artificis.* At certum eſt nullam virtutem per modum formæ inſtrumento tribui ab artifice. Quænam enim illa erit? Et præterea, ſi Deus agenti creato formam informantem & qualitatem inhærentem tribuat, argumentum propoſitum nullo modo ſoluet S. Thom. valebitque illatio, vel progreſſus in infinitum in formis & qualitatibus, vel formæ ac virtutis alicujus creatæ per ſe, ac ſine Deo concurrente, operantis, & aliquid producentis.

6. ITAQVE S. Doctor neque hîc neque in 4. diſtin. 1. quæſt. 2. & 4. vbi agit de virtute cauſatiua gratiæ in Sacramentis, dicit id, quod fit à Deo in re naturali, quo actu agat, eſſe formam, & qualitatem aliquam Phyſicam, aut intentionalem, ſed ſolùm eſſe *vt intentionem, & habere eſſe incompletum*

completum

completum per modum, quo colores ſunt in aëre, & virtus artis eſt in inſtrumento artificis, cùm eo vtitur : Artifex autem cùm ſuo aliquo vtitur inſtrumento, vel ſolùm motum localem, eumque certâ quâdam proportione, & menſurâ ei tribuit, vt faber ſecuri, pictor penicillo, ſcriba calamo accommodatè ſcilicet, ad lectum, aut cathedram, aut ſcriptionem, propriumque artis effectum : vel ſi agentium, & virtutum naturalium miniſterio vtatur, vt coquus ignè, medicus herbis, radicibus, ſuccis, &c. certam ſolùm eis dat proportionem effectui, quem intendit accommodatam : Motus autem localis, vt antea monuimus, in doctrina S. Thomæ, & noſtra, nihil ponit intrinſecum in corpore moto, cùm ſit tantùm ſucceſſiua quædam coexiſtentia, & applicatio corporis contenti ad continentis ſuperficiem. Et ſimiliter proportio, ac menſura agentium, & virtutum naturalium, quibus ars ad ſuum opus, velut inſtrumento vtitur, nulla eſt forma, vel qualitas phyſica ab eis re diſtincta.

7. Cvm autem ait S. Thomas virtutem artis ingredi, & quodammodo eſſe in inſtrumentis, nullam propterea nouam formam intrinſecam eis aduenientem intelligit: ſed tantùm vult eorum virtutem inſtrumentariam, ſiue naturalem, ſiue artificialem, ſiue obedientalem, non quocunque, ſed certo tantùm modo ab agente principali adhibitam, ejus effectum attingere. Nam, vt habet Ariſtot. lib. 1. de generatione Animalium cap. 20. *Anima, in qua eſt forma, & ſcientia, mouet manus, aut aliud membrum, motu certa qualitatis, vel diuerſo, à quibus efficitur diuerſum, vel eodem, à quibus idem : Manus autem, inſtrumentaque mouent. Ita natura maris ſemen emittentis vtitur eo ſemine, quaſi inſtrumento, & actu habente motum, vt in operibus artium inſtrumenta mouentur. In illis enim quodammodo motio artis eſt.* *Ariſtoteles.*

8. Qvamobrem comparatio illa ejus *eſſe incompleti*, quod fit in inſtrumento ab agente principali, & à Deo in rebus, quo actu agant, ad ſpecies intentionales, & ad modùm, quo colores ſunt in äëre; non eſt accipienda ſecundùm omnes vtriuſque rei conditiones. Neque enim vlla eſt ſimilitudo, vel artis in inſtrumento, vel arboris in Sole, quo Deus vtitur : nec ſicut ſpecies intentionales coloris ſunt *Vt ſit accipienda comparatio inſtrumenti.*

Digitized by Google

tenues quædam formæ informantes, & qualitates aëri inexiſtentes, à colore, quem repræſentant, productæ: Ita vis, virtus, applicatio, & vſus inſtrumenti à principali agente, noua quædam eſt forma, inſtrumento impreſſa; ſed in eo ſolùm valet comparatio, quòd ſicut ſpecies intentionales ſunt quiddam medium, quo color tendit in viſum; ita vſus, motio, & virtus inſtrumenti eſt veluti quid medium, quo vis, & efficacia agentis principalis tranſit in ipſum effectum. Nam 3. part. quæſt. 62. art. 4. & alibi illud *eſſe incompletum virtutis inſtrumentalis* comparat motui, imo appellat motum, qui eſt actus imperfectus ab agente in patiens: at certum eſt motum non eſſe formam mediam ab agente, & patiente re diſtinctam: ſed ſolùm metaphoricum quendam egreſſum, & exitum ipſius termini ab agente. Præterea ibidem ait, quòd *illud eſſe incompletum eſt quoddam eſſe tranſiens ex vno in aliud*, hoc eſt, ex agente principali in effectum: igitur ſi tranſit, nihil manet in inſtrumento. Itaque ſicut eſt tranſitus metaphoricus, ſic eſt qualitas, & forma tantùm metaphorica, eademque vt virtus intentionalis metaphorica, quaſi virtus actiua agentis principalis ſuam efficaciam per ipſum inſtrumentum tranſmittat in effectum; vt habet quæſt. de vnione Verbi art. 5. ad 12. *Agens*, inquit, *non ſemper dat inſtrumento nouam formam, vel virtutem quieſcentem in ipſo; & tamen inſtrumentum, in quantum mouetur ab agente, conſequitur quandam intentionalem virtutem per influxum agentis, qui per inſtrumentum tranſit in effectum.*

Eſt tantum virtus, & qualitas metaphorica.

ADDE quod, quam appellat locis citatis vim, virtutem, & vt intentionem, alibi nominat operationem principalis agentis, ab eo quod mouetur inſtrumentaliter participatam, vt 3. parte quæſt. 19. art. 1. *Vbicunque*, inquit, *mouens, & motum habent diuerſas formas, ſeu virtutes operatiuas; ibi oportet quòd ſit alia operatio propria moti, licet motum participet operationem mouentis, & mouens vtatur operatione moti, & ſic vtrumque agat cum communione alterius. Quare diuina natura vtitur operatione naturæ humanæ*, in Chriſto ſcilicet, *ſicut operatione ſui inſtrumenti: & ſimiliter humana natura participat operationem diuinæ naturæ, ſicut inſtrumentum participat operationem principalis agentis.* At operatio agentis principalis non eſt qualitas, aut

Digitized by Google

forma inſtrumento inhærens. Neque enim & inciſio, & & ſcamnificatio v. g. ſunt in ſecuri lignum ſcindente, ſed potius in ligno, & ſcamno, quod fit à fabro per ſecurim. Igitur noluit S. Doctor inſtrumentum vllam veram formam recipere ab agente principali.

SEXTÒ. Ita nobiſcum de Diuo Thoma, & ſecundùm rei veritatem ſentit Cajetanus 3. parte quæſt. 13. art. 2. vbi S. Doctor agit de virtute inſtrumentaria, & gratia miraculorum à Deo conceſſa, ac etiam quæſt. 62. art. 4. vbi agit de virtute inſtrumentaria productiua gratiæ in anima, Sacramentis nouæ Legis conceſſa. Docet enim locis citatis virtutem inſtrumentalem animæ Chriſti ad miracula, & Sacramentis ad gratiam in anima producendam, aliud nihil eſſe, quàm ipſam Chriſti animam à Deo adhibitam, & eleuatam ad omnes immutationes miraculoſas faciendas ordinabiles ad Incarnationis finem. Et in Sacramentis eſſe eorum materiam, & formam, prout à Deo aſſumuntur ad gratiam in anima efficiendam. Et maximè priore loco declarat ſubtiliter, & exactè vim, ac virtutem inſtrumentalem cujuſque inſtrumenti nihil aliud eſſe, quàm *ipſam inſtrumenti entitatem, & virtutem, ab agente principali adhibitam, vt cum ea, & per eam ſuum effectum attingat.* Quam inſtrumenti aſſumptionem, motionem, & cooperationem ejus *motum virtuoſum, & vſum paſſiuum* appellat, & veluti quendam ejus actum, quo de inſtrumento potentia fit inſtrumentum actu, varioſque S. Thomæ de inſtrumenti à cauſa principali motione, & vſu loquendi modos pluribus explicat.

5. Probatio. Oſtenditur Cajetani authoritate.

PORRO cùm Cajetanus ibidem duplicem in inſtrumento cum S. Thoma 1. parte quæſtione 45. art. 5. & lib. 2. contra Gentes cap. 21. & alibi ſæpe diſtinguat actionem, vnam ei propriam ſecundùm ſuam formam propriam, vt calori calefacere, ſecuri ſcindere, calamo atramentum effundere; alteram *ſecundariam* ſecundùm quòd mouetur à cauſa principali, ejuſque effectum attingit, vt calori cibos coquere, nutrire, formam ſubſtantialem attingere, ſecuri lectum, aut cathedram ſcindendo efficere, calamo eo loco, modo, figurâ, & ordine atramentum diſtribuere, vt ſit ſcriptio; licet propriè inſtrumentum dicatur reſpectu hujus ſecundæ

Duplex actio in inſtrumento.

Digitized by Google

actionis, quâ attingit effectum principalis agentis : tamen cùm vtrique actionum generi Deus cooperetur, & rebus omnibus creatis velut inſtrumentis vtatur, ad vtramque actionem concurrit ; & vtroque agente, velut inſtrumento ſuo vtitur.

Postremo, Cum ne ipſa quidem *Phyſicæ prædeterminationis aut formæ, vel qualitatis præmouentis* appellatio apud S. Thomam legatur, non ſolùm vbi agit in genere de Dei motione, & concurſu cum cauſis ſecundis, ſed etiam cùm in ſpecie differit de motu, quo intellectum, aut voluntatem noſtram mouet ad agendum, magno eſt argumento talem formam prædeterminantem illi nunquam in mentem veniſſe.

Videat nunc æquus, ac bene intelligens Lector vtri S. Doctoris de concurſu Dei cum cauſis ſecundis, tam liberis, quàm neceſſarijs, earumque motione, ac præmotione ſcribentis, mentem, ac ſenſum ſint aſſecuti : an qui formam nouam realem, & phyſicam, vt vocant, prædeterminationem defendunt ; an qui negant. Et num loca, quæ illi pro ſe afferunt, potiſſimùm ille, qui eſt ex artic. 7. quæſt. 3. de Potentia, cui tantopere confidunt, non niſi violentis, & extortis, vt aiunt, explicationibus detorqueri poſſint, an verò factæ à nobis expoſitiones veræ, & germanæ ſint ſincerè judicet : idemque noſtras attentè conſideret, & omnes, licet contraria ſentientes, in viſceribus Chriſti diligat, & complectatur. Nam, vt cecinit Poëta neſcio quis,

Did. Aluarez Reſp. lib. vltimo cap. 10.

Diuerſum ſentire duos de rebus iiſdem
Incolumi licuit ſemper amicitiâ.

Finis.

Deo lavs, eivsqve Matri
Virgini Sanctissimæ.

Digitized by Google

TABVLA RERVM NOTABILIVM HVIVS LIBRI

SECVNDVM NVMERVM PAGINARVM.

A.

ACCIDENTIVM definitiones imperfectæ. *Pag* 73

Actus quomodo potentijs & objectis priores & poſteriores ſint. *pag.* 66. 67. *& ſeqq.*

Actus Diuini à nullo extra Deum pendent. 399

Æternitas quid ſit. 93. 98. Cujus rei menſura. 96. A tempore & æuo vt diſtinguatur. 97. 99. Quomodo vtroque prior. 104. 108. 109. Vt concipienda. 106 Eſt indiuiſibilis, & tota ſimul ſine & principio carens. 76. Eſt incomparabilis cum tempore. 92. Quomodo de eſſentia Dei. 99

Æternitati ſcientiæ diuinæ, vt omnia ſint, & objectiuè, & realiter præſentia. 116 *& ſequentibus*

Æuum quid ſit. 100. Quomodo tempore prius. 104

Agens per intellectum prius eſt agente per naturam. 208

Angelus à Deo annihilari poteſt. 98 Æuo non tempore menſuratur. *ibid.*

Artes & ſcientiæ practicæ quædam potentiæ ſunt. 65

Auguſtinus quid de prædeſtinatione, & reprobatione ſenſerit. 322. *& ſeqq.*

B.

BONITAS diuina quomodo finis rerum omnium. 316

C.

CAVSA naturâ prior eſt cauſato. 13

Cauſæ quomodo ſibi inuicem cauſæ in codẽ, & in diuerſo genere. 58. 59. *& ſeqq.*

Cauſæ diuerſi generis quem habeant ordinem in cauſando. 348

Cauſæ ejuſdem ordinis quomodo ſubordinentur in prædicando, & in agendo 349

Chriſtus videt in verbo omnia, quæ Deus nouit ſcientiâ viſionis. 86

Cognitio intuitiua quid ſit. 76

Cognitio diuina omni modo creaturis cognitis prior eſt 79

Cognitio Angelica ſuo objecto, neque prior, neque poſterior. *ibid.*

Cognitio perfecta ſui ipſius cognitio eſt. 86

Cognoſci in cauſa tribus modis intelligitur. 122

Cognoſci res poteſt in ſe, vel in ſua cauſa. *ibid.*

Concilij Tridentini Canon exponitur. 267

Concurſus Dei non deſtruit libertatẽ. 374 Eo nullo modo prior eſt concurſus noſtræ voluntatis. 350. Quid ſit ejus modificatio, & determinatio à concurſu cauſæ ſecundæ. 380. *& ſeqq.*

Creaturæ ſunt actiuæ. 351

Conſultatio eſt opus rationis. 40 Eſt tantum de medijs non de fine. *ibid.*

Contingens quid ſit. 145

Contritio & gratia juſtificationis quid ordinis habeant inter ſe. 53

Eee

D.

DEvs ſimul omnia vult, & intelligit. 192. 228. 230. 244. Non vult cauſam priùs, quàm effectum, licet velit eſſe prius. 230. Non mouetur à rebus creatis ad quidpiam volendum. 307. & ſeqq. Concurrit cum cauſis ſecundis in agendo. 352. & ſeqq. Agit nihilominus immediate. 357. & ſeqq. Concurrens cum homine peccãte, cur nõ peccet. 366. 371 Quo ſenſu prius naturâ agat, quàm cauſa ſecunda. 376. & ſeqq. Non vult nec intendit peccatum. 321. 341 Ei nihil eſt futurum, aut prçteritum. 110 Sed omnia præſentia. 112

Decretum in Deo conditionatum eſt nullum. 126. & ſeqq.

Decretum Dei nullum reſpectu alterius eſt futurum. 127. 160

Decretorum Dei ordo, vel nullus, vel inutilis. 227. & ſeqq. In eis coordinandis quanta Authorum varietas. 232

Diſpoſitio vltima, & forma quid habeant ordinis in generatione. 55

Doctrina Sancti Thomæ de Prædeſtinatione. 287

Duratio quid ſit. 93. Quotuplex. 100

Definitum per ejus definitionem probare de aliquo non eſt petitio principij. 372

E.

ELectio efficax ad gloriam duobus tantùm fit modis. 295. Non eſt ex meritis, ſed ex ſola Dei voluntate. 299 300. & ſeqq. Quo ſenſu ſit ante, & poſt electionem ad gratiam. 297

Enunciatio hypothetica quid ſit. 170 Quotuplex. 171. Quandonam vera, quando falſa. *ibid.*

Eſſe rei poſſibile quomodo prius & poſterius eſſe actuali ejuſdem. 44

F.

FInes immediati ejuſdem actionis quomodo plures. 365

Forma ignobilior eſt compoſito. 61 Nullo tempore vel inſtanti duæ formæ ſunt in eadem materia. 48. 49 & ſeqq.

Futura conditionata quotuplicia. 149 Cognoſcuntur à Deo ſcientiâ abſolutâ quædam viſionis, alia ſimplicis intelligentiæ. 157. 166. 178. & ſeqq. Actu non futura ſunt purè poſſibilia. 159. 168. 178 Eorum futuritio in Scripturis importat cauſarum diſpoſitionem ad illa. 173. 174. & ſeqq.

Inter Futurum & non futurum nullum datur medium. 167

Futura contingentia in ſeipſis, non in cauſis proximis à Deo certò cognoſcuntur. 124. 125

G.

GEneratio vnius, & corruptio alterius tempore ſimul ſunt, & re idem. 47. Non tamen ſimul naturâ. 53

Gloria æterna cur gratia nominetur. 313 326

H.

HAbitvs quomodo ſpecificentur ab actibus & objectis. 91. Quomodo priores & poſteriores ijſdem. 70

I.

ILlatio & conſequentia non niſi ſunt in intellectu noſtro. 172

Immediatio agentis, alia eſt ſuppoſiti, alia virtutis. 357

Immenſitati diuinæ dupliciter aliquid præſens dicitur. 120

Inſtantia rationis & naturæ inter cauſam & effectum, ſunt nulla. 25

Eſſe in inſtanti naturæ non recte dicitur. 26

Intellectus eſt ordinare non voluntatis. 39

Intelligere multa ſimul perfectius eſt, quàm ſucceſſiuè. 228

Intelligimus ſucceſſiuè, & cur. 191

Digitized by Google

L.

L Ex nulla Deo poteſt imponi. 372
Libertas noſtra quomodo cum Dei præſcientia concilianda ſine ſcientia media. 259. 260. *& ſeqq.* 267. 269

M.

MENSVRA quid ſit. 94. 101
Cur debeat eſſe certa, parua, & aliquo modo indiuiſibilis. 93
Dicit rationem notitiæ. 94. 95
Alia actiua, alia paſſiua. 101
Malum per accidens tantùm ordinis capax eſt. 339
Motio qua Deus cauſas ſecundas mouet quid ſit. 389
Motus omnis duas includit mutationes. 50
Motus cœli quomodo tempus & menſura. 101
Motus voluntatis in finem, & media, interdum re idem. 42

N.

NECESSARIVM quid ſit. 145. 263
Neceſſitas alia ſimpliciter & abſoluta, alia ſecundùm quid, & ex hypotheſi. 131. 263
Neceſſitas hypothetica quando libertatem nihil lædat. 194. Quando tollat. 264.
Neceſſitas antecedens & conſequens quomodo intelligenda. 265
Quomodo Neceſſarium ſit quod Deus præſciuit futurum. *ibid.*

O.

OBIECTVM non ſemper prius cognitione, interdum eſt cauſa, regula & menſura noſtræ cognitionis. 130. Qua objectum, & ſpoliatum ratione cauſæ vel effectus erga cognitionem, eâ neque prius, neque poſterius. 219
Objecta potentijs & actibus quomodo priora & poſteriora. 68. 69. *& ſeqq* 89
Quomodo ſimul cum illis. 71
Ordo quid ſit. 28 Eſt quid tranſcẽdens. 27
Species quædam eſt diuerſitatis. 28
Rationẽ prioris & poſterioris includit 29
Ejus vis, dignitas, & præſtantia. 4
In eo conſiſtit bonum vniuerſi. 5
Varia ejus genera & ſpecies. 30
Alius actiuus, alius paſſiuus. 31. 41
Ordo intentionis, & ordo executionis, quid ſint. 40. Re idem ſunt. 39. Quomodo ſint in Deo, & in nobis. 238. 239
Ordo temporis vtrique accidentalis eſt. 40
Inter oppoſitos Ordines nullus propriè eſt ordo. 37
Ordo in decretis Dei nullus conſtituendus. 128. 129 *& ſeqq.*
Eſt inutilis ad difficultates Theologicas expediendas. 254. 255. *& ſeqq.*
Nec in Scripturis, nec in Patribus habet fundamentum. 246. 247. *& ſeqq.*

P.

PECCATVM eſt cauſa per accidens pœnæ. 342
Pœnæ quæ grauiores ſint. 346
Periculum quid ſit. 174
Poſſibile quid ſit, quot modis ſumatur. 43. 143
Potentiarum varia genera. 65
Potentiæ quomodo objectis & actibus priores & poſteriores. 66. 67. *& ſeqq.*
Quomodo ſpecificentur ab objectis. 91
Potentia faciendi, & potentia non faciendi aliquid quomodo ſimul ſunt in voluntate. 194
Prædeſtinatio, alia actiua, alia paſſiua 281
Quid ſint. 284
Actiua æternitate, & cauſalitate prior eſt paſſiuâ, in Scripturis ſolam æternitatis & cauſalitatis prioritatem importat. 245
A præſcientia quomodo differat. 285
Quo ſenſu præſupponat præſcientiam. 276
Prædeſtinatio paſſiua, & ex parte effectus quid ordinis habeat. 288
Non niſi in ea ordinem ponit S. Th. *ibid.*

Digitized by Google

Non eſt ex meritis, ſed ex ſola Dei voluntate. 290. 291. & ſeqq.
Præſens æternitatis quomodo differat à præſenti temporis. 111
Priuatio natura & ratione prior formâ oppoſitâ. 206
Prius & poſterius ſunt de ratione ordinis. 6
Varij eorum modi. ibidem, & ſeqq.
Prius & poſterius naturâ quotuplex. 12. 17. 18
Prius naturâ eſt, quod, vel cauſalitate, vel prædicatione communius. 13. 376
Prius dicitur ſecundùm rationem principij alicujus. 12
Prius ſecundùm actum & potentiam quid ſint. ibid.
Prius cognitione aliud ſimpliciter, aliud ſecundùm quid. 9
Prius hypotheticum & conditionale nullum eſt. 27
Item prius in quo nullum eſt. 23
Prius intentione, & ſecundùm cauſam finalem ſimpliciter prius dicitur. 15. 348
Idem eodem multis modis eſt Prius. 14
Ac etiam poſterius. ibid. 33. 348
Rem eſſe in Priori vel poſteriori naturæ, non rectè dicitur. 19. 21. 25
Propoſitio duplex, formalis & objectiua. 129
Propoſitio abſoluta prior eſt conditionatâ. 268
Propoſitio hypothetica bona eſt antecedēte & conſequēte falſis & impoſſibilibus. 156. 171. Suſpēdit ſenſum abſolutè. ibid.
Interdum habet vim abſolutæ. 195
Propoſitiones cauſales de Deo vt intelligendæ. 314. 315
Propoſitiones de futuro contingenti non ſunt determinatè veræ vel falſæ. 133. 138

Q.

QVALITAS Phyſica prædeterminans cauſas ſecundas, tam liberas, quàm neceſſarias, ad agendum nulla datur. 384. 385. & ſeq.
Etiam ex Sancto Thoma. 393. & ſeqq.

R.

RATIO & cauſa quomodo differant. 291
Relata quomodo ſimul naturâ ſint, & non ſint. 72. Secundùm eſſe, & ſecundùm dici quomodo differant. ibid.
Reprobatio quid ſit. 327
Quomodo differat à prędeſtinatione. ib.
Non eſt ex demeritis, ſed ex Dei voluntate. 330. 331. & ſeqq.
Duplex eſt, negatiua & poſitiua. 328
Vna actiua, altera paſſiua. ibid.
Ejus effectus aliter ordinantur, quàm effectus prædeſtinationis. 341. & ſeqq.
Res ſunt, quia ſciuntur à Deo, non contra. 187
Reuelatio diuina, & ſcientia diuina quomodo differant. 170
Reuelatio peccati futuri nihil lædit libertatem. 193. 223

S.

SCRIPTVRA Sacra humano more loquitur. 173. Non ſemper in proprietate ſermonis accipienda 182. De futuris conditionatis loquens quomodo intelligenda. 174. 175. & ſeqq. 180. 181
Scientia diuina nullo modo poſterior ſuo objecto. 74. Niſi quoad nos. ibid.
Ejus duplex eſt objectum. 75. Non ſpecificatur à ſuo objecto ſecundario. ibid.
Multiplex eſt, neceſſaria, libera, ſpeculatiua, practica, præciſionis, viſionis, & ſimplicis intelligentiæ. 140. 141. Ejus diuiſio eſt per noſtros conceptus. 166
Eſt cauſa rerum adjunctâ voluntate. 209. 217. Et illæsâ libertate. 187
Scientia viſionis quid ſit. 140
Eſt cauſa rerum, ijſque prior. 76. 78
Libera eſt. 221
Nihil lædit libertatem. 219. 220
Scientia ſimplicis intelligentiæ quid ſit. 140. 141. Nullius rei cauſa. 212. 213
Non continetur in ſcientia viſionis. 145
Ejus objectum. ibid.

Digitized by Google

Neque prior, neque poſterior ſcientiâ viſionis. 203. 211. 212. & ſeqq.
Quomodo libera. 221
Scientia conditionata in Deo nulla. 156 157. & ſeqq. Antiquioribus Theologis incognita. 150. 151. Non continetur ſub abſoluta. ibid. Nihil olet Pelagianiſmi. 102. 103. Non eſt neceſſaria ad tuendam libertatem. 157. 163. 267
Scientia noſtra cur poſterior ſuo objecto. 80
Sapientis eſt ordinare & imperare. 6
Seruus & liber reſpectu ejuſdem ſimul eſſe nemo poteſt. 50
Simul eſſe quinque modis dicitur. 32
Simul non ſunt quæ mutuam habent dependentiam. 34

T.

TEMPVS quotuplex. 100
Quid diſcretum. ibid.
Quid continuum. ibid.
Quomodo menſura. 101
Quomodo quantitas. 102
Vt ſit ens reale, licet pendeat ab anima.
Quæ propriè ſint in tempore. 107
Totum quomodo naturâ prius & poſterius ſuis partibus. 12
Quomodo item cognitione ſit prius & poſterius ijſdem. 11

V.

VERBA & aduerbia temporis non dicuntur propriè de Deo. 106.107.114
Veritas in intellectu quid ſit propriè. 132
Vitæ æterna quibus nominibus appelletur. 312
Vniuerſalia quomodo cognitione priora. 10
Voluntas abſoluta & efficax finis in Deo nihil lædit libertatem noſtram circa media. 30
Voluntas antecedens & conſequens in Deo quid ſint, & quomodo differant. 197
Voluntatis diuinæ actus circa creaturas quomodo ijs priores ſint. 79
Voluntarium & naturale non variant ordinem finis & mediorum. 35

INDEX RERVM FINIS.

Digitized by Google

APPROBATIONES.

OPus eximium *De Ordine, deque Priori & Poſteriori, Authore N. N. Doctore Theologo*, ad mentem Antiquorum Scholaſticorum concinnatum, & elaboratum, & ad omnem planè materiam, tum Philoſophicam, tum Theologicam perutile, ac neceſſarium, diligenter & jucundè perlegimus, atque probauimus, & dignum, quod in lucem prodeat judicauimus. Datum Metis, 1. Decemb. 1639.

M. Mevrisse Epiſcopus Madaurenſis.

EGo Gvillelmvs Parent, Sacræ Facultatis Theologicæ Pariſienſis Doctor, Eccleſiaſtes, & Metropolitanæ Remenſis Eccleſiæ Decanus, teſtor me, quâ potui diligentiâ Librum, cui titulus eſt, *De Ordine, deque Priori & Poſteriori, Authore N. N. Doctore Theologo*, ſummo ſtudio, & excellenti ordine elaboratum legiſſe, in eoque ſolidam, & perutilem prorſus Doctrinam, ad grauiſſimas & abſtruſas Theologiæ, de Prædeſtinatione, de Dei Voluntate, de Præſcientia, & ejuſdem Prouidentia difficultates nullo fere negotio enodandas, & facile explicandas deprehendiſſe : Quam qui probè aſſecutus fuerit, nihil videri, quod illum à vera rerum harum cognitione, & intelligentia, & innumeris præſtantiſſimis, tum in Philoſophia, tum in Theologia vtiliſſimis quæſtionibus elucidandis, remorari queat. Quapropter opus illud, vt pote doctiſſimum, & ſolidiſſimis rationibus confirmatum, dignum prorſus cenſeo, quod in manus omnium veniat, quippe cùm nihil à Fide Catholica, aut bonis moribus alienum, aut contrarium contineat : in cujus rei fidem hæc ſcripſi Remis & ſubſcripſi. Die 25. Mart. ann. Domini 1640.

G. PARENT.

Digitized by Google

DE *Ordine*, quo etiam in litterarum Orbe nihil pulchrius ac præſtantius, *deque Priori & Poſteriori liber* nullus prior extitit, nec poſterior, meo judicio, futurus eſt, qui rem adeò Philoſophis & Theologis perneceſſariam, tantâ ingenij ſolertiâ, tantâ vi Rationis, tantâque ſtili perſpicuitate, exponere potuerit, aut valeat: quantâ præclariſſimus Author hocce Opere vtraque, eoque exquiſitâ, atque excultiſſimâ doctrinâ ampliſſimo, proindeque ab vtriuſque ſtudioſis addiſcendo, & à ſapientibus quibuſque approbando, vtpotè omnium lectione, & laude digniſſimo, vti expertus teſtor ego Remis apud S. Auguſtinum, die 12. Octob. an. 1639.

Fr. Iacobvs Chappelain, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, ac Prouinciæ Franciæ Ord. E. S. Auguſtini Prouincialis ind.

SCriptvs à N. N. Liber hic, in quo ardua *De varijs Prioris ac Poſterioris generibus quæſtio* hactenus parùm à quouis explicata, non minùs acutè, quàm ſolidè pertractatur, difficultateſque ob ejuſmodi terminorum obſcuritatem permultæ plenè, perfectèque diſſoluuntur, omnibus ſeu Philoſophiæ, ſeu Theologiæ ſtudioſis vtiliſſimus, nihil, quod Fidei Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ tantiſper aduerſetur, edocet. Datum Remis, Anno reparatæ ſalutis milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo, menſis verò Martij die vigeſima-ſeptima.

N. Colin, in Sacra Theologiæ Facultate Doctor, & Eccleſiæ Sancti Martini Rem. Paſtor.

EGo infra ſcriptus Sacræ Theologiæ Pariſienſis Facultatis Doctor, Librum hunc, *De Ordine, deque Priori & Poſteriori, Authore N. N. Doctore Theologo* conſcriptum, perlegi, & diligenter euolui, nihilque in eo reperi vel rectæ fidei, vel pietati, ac bonis moribus contrarium; ſed non pauca, & Theologica, & Philoſophica, ſolidè, ſubtiliter, & perſpicuè pertractata; eademque doctrinæ Doctoris Angelici valde conſentanea. Quem propterea luce, prælo, & lectione digniſſimum judico, eumque non ſub modio, ſed ſuper candelabrum ponendum, vt ijs luceat, qui in domo Dei ſtudijs ſubtilioribus vacant. Actum Muſſiponti, an. Dom. 1640. die Februarij 26.

F. G. Galhavlt.

Digitized by Google

Errata Corrigenda.

Pagina.	*Linea.*	*Error.*	*Correctio.*
94	18	ante habet	ante dicta habet.
103	13	memoriam	attentionem.
115	19	præſentiæ	præſcientiæ.
127	38		ſiue voluntatis.
134	5	artem	partem.
139	3	verè	veræ.
ibidem.	22	terminus	terminis.
148	5	cap. 35.	cap. 34.
176	13	10	1.
ibidem.	15	id eſt	ſed.
250	16	capritaneas	caprilaneas.
251	2	nec cum ad	nec ad.
269	3	quo	quâ.
270	27	neceſſaria	præſentia.
296	8	& mercedis	
303	38	referemur	referemus.
319	38	nullamque	nihilque.
317	23	volitionum	volitorum.
ibidem.	31	conjunctione	præpoſitione.
321	35	glolationem	gloriæ collationem.
335	21	motu	moto.

BIBLIOTECA NAZ. EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Errata Corrigenda.

Pagina.	*Linea.*	*Error.*	*Correctio.*
94	18	ante habet	ante dicta habet.
103	13	memoriam	attentionem.
115	19	præſentiæ	præſcientiæ.
127	38		ſiue voluntatis.
134	5	artem	partem.
139	3	verè	veræ.
ibidem.	22	terminus	terminis.
148	5	cap. 35.	cap. 34.
176	13	10	1.
ibidem.	15	id eſt	ſed.
250	16	capritaneas	caprilaneas.
251	2	nec cum ad	nec ad.
269	3	quo	quâ.
270	27	neceſſaria	præſentia.
296	8	& mercedis	
303	38	referemur	referemus.
319	38	nullamque	nihilque.
317	23	volitionum	volitorum.
ibidem.	31	conjunctione	præpoſitione.
321	35	glolationem	gloriæ collationem.
335	21	motu	moto.

NAZ. EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

5-5-1

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google